





# MONUMENTA
ORDINIS
# FRATRUM PRAEDICATORUM
HISTORICA


## TOMUS XIII.

## ACTA CAPITULORUM GENERALIUM (VOL. VIII.)

RECENSUIT

FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1903

# ACTA
# CAPITULORUM GENERALIUM
## ORDINIS PRAEDICATORUM
## VOL. VIII.

AB ANNO 1670 USQUE AD ANNUM 1721

IUSSU

REVERENDISSIMI PATRIS

**FR. ANDREAE FRÜHWIRTH**

MAGISTRI GENERALIS

RECENSUIT


FR. BENEDICTUS MARIA REICHERT

EIUSDEM ORDINIS



ROMAE
IN DOMO GENERALITIA
10, via dicta « San Sebastiano », 10

ROMAE
EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA S. C. DE PROPAGANDA FIDE
1903


THE INSTITUTE OF MEDIAEVAL STUDIES
SEP 10 1953
LIBRARY

# LECTORI



Seriem capitulorum generalium, quorum acta in hoc tomo continentur, sequens schema una cum loco, ubi acta typis prodierunt, exhibet:

| *Capitula celebrata* | | *Acta typis excusa* |
|---|---|---|
| Romae | a. 1670 | Ibidem, typis Nicolai Angeli Tinassii 1671. |
| Romae | a. 1677 | |
| Romae | a. 1686 | Ibidem, typis reverendae Camerae Apostolicae 1687. |
| Romae | a. 1694 | Bononiae, typis Petri-Mariae Montii 1706. |
| Bononiae | a. 1706 | Romae, per Franciscum Gonzagam 1706. |
| Romae | a. 1721 | Ibidem, ex typographia Tinassia sub prope S. Marcelli in Via Cursus. 1721. |

Duplex, quod addi consuevit, *Imprimatur* additur actis capitulorum generalium

1) Romae anno 1686, hoc modo: *Imprimatur, si videbitur Reverendiss. P. Mag. sac. Pal.* A. Steph. Ioseph Menattus Episc. Cyreneñ. Vicesg.

*Imprimatur.* Fr. Ioseph Clarianus Sacrae Theologiae Magister, ac Reverendiss. Patris Fratris Dominici Mariae Puteobonelli Sacri Apostolici Palatii Magistri Socius, Ordinis Praedicatorum.

2) Bononiae anno 1706: *Imprimatur, si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sac. Pal. Apost. Magist.* Dominicus de Zaulis Episcopus Verulanus Vicesgerens.

*Imprimatur.* Fr. Paulinus Bernardinius Sac. Ap. Palatii Magist. Ordinis Praedicatorum.

3) Romae anno 1721: *Imprimatur, si videbitur Reverendissimo P. Magistro Sac. Pal. Apost.* N. Beccario Episcop. Boianen. Vicesgerens.

*Imprimatur.* Fr. Gregorius Selleri Ordinis Praedicatorum Sacri Apostolici Palatii Magister.

Acta vero capitulorum generalium Romae celebratorum anno 1670 et 1694 nullum prae se ferunt *Imprimatur.*

Quod attinet denique acta capituli generalis Romae celebrati anno 1677, numquam hucuscque typis excusa sunt. Apographum, in tabulario generali ordinis asservatum, recensui.

Gratissimo animo prosequor nomen dilecti sodalis fr. Vincentii Molloy, qui in plagulis corrigendis mecum insudavit.

Dabam Romae, die festo s. Philippi Nerii 1903.

**Fr. Benedictus M. Reichert**
Ord. Praed.

ACTA CAPITULORUM GENERALIUM ORDINIS PRAEDICATORUM

VOL. VIII.

# ACTA CAPITULORUM GENERALIUM
## ORDINIS PRAEDICATORUM



### ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SS. PENTECOSTES DIE XXV. MAII MDCLXX.

Sub reverendissimo patre fr. Ioanne Thoma de Rocaberti (1), sacrae theologiae professore, magistro generali eiusdem ordinis, in praedicto capitulo electo, diffinientibus pariter reverendis admodum patribus provincialibus et diffinitoribus, nempe:

admodum rev. p. magistro fr. Petro Maria Passerino (2) vicario generali,
adm. rev. p. s. theol. prof. fr. Andrea Faure provinciali Tholosano,
admodum rev. p. magistro fr. Elia Couraud provinciali Franciae,
adm. rev. p. m. fr. Iulio Vincentio Gentili (3) prov. utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. magistro fr. Hieronymo Victorio provinciali Romano,
admodum rev. p. magistro fr. Gregorio Saydia provinciali Regni,
admodum rev. p. magistro fr. Friderico Adriani provinciali Teutoniae,
admodum rev. p. magistro fr. Leonardo Hansen provinciali Angliae,
admodum rev. p. magistro fr. Gregorio Badowicz provinciali Poloniae,
admodum rev. p. magistro fr. Bernardino de Venetiis provinciali Graeciae,
adm. rev. p. mag. fr. Gregorio Arostegui et Areilza prov. Terrae Sanctae,
admodum rev. p. magistro fr. Francisco de Latas provinciali Aragoniae alias electo et in eodem capitulo confirmato,
admodum rev. p. mag. fr. Thoma Elia Ardizzonio (4) prov. Bohemiae,
admodum rev. p. magistro fr. Ambrosio Caravaneo prov. Dalmatiae,

---

(1) De fr. Ioanne Thoma de Rocaberti cf. SSOP. II, 630.
(2) De fr. Petro Maria Passerino cf. l. c. pag. 827.
(3) De fr. Iulio Vincentio Gentili cf. l. c. pag. 736.
(4) De fr. Thoma Elia Ardizzonio cf. l. c. pag. 696.

admodum rev. p. magistro fr. Dominico Rosa provinciali Trinacriae, admodum rev. p. magistro fr. Ludovico de Espinosa prov. Bethicae, admodum rev. p. m. fr. Godefrido Marquis (1) prov. Germaniae inferioris, admodum rev. p. mag. fr. Dominico Cito provinciali Apuliae, admodum rev. p. mag. fr. Chrysostomo Condottiero prov. Calabriae, admodum rev. p. magistro fr. Bernardo Maercin provinciali Occitaniae, adm. rev. p. m. fr. Iacobo Maria Iannvitio (2) prov. s. Dominici Venetiarum, admodum rev. p. magistro fr. Dominico Bergomi prov. s. Petri Martyris, adm. rev. p. m. fr. Reginaldo Puccino prov. s. Catharinae de Senis Aprutii, admodum rev. p. mag. fr. Hyacintho Klonski prov. s. Hyacinthi Russiae, admodum rev. p. magistro fr. Oliverio Richeceur prov. Parisiensi, admodum rev. p. magistro fr. Michaele Woynilowicz prov. Lituaniae, adm. rev. p. s. theol. prof. fr. Antonino Mousset prov. s. Ludovici, admodum rev. p. magistro fr. Ioanne Correa diffinitore Hispaniae, adm. rev. p. s. theol. prof. fr. Ioanne Mahuet (3) diffinitore Tholosano, admodum rev. p. magistro fr. Stephano Ravenneu diffinitore Franciae, adm. r. p. m. fr. Ioanne Baptista Petrobelli (4) dif. utriusque Lombardiae, admodum rev. p. magistro fr. Thoma Camotti diffinitore Romano, admodum rev. p. mag. fr. Michaele Fontanarosa diffinitore Regni, admodum rev. p. mag. fr. Matthia Truckmiller diffinitore Teutoniae, admodum rev. p. baccal. fr. Placido Komunski diffinitore Poloniae, admodum rev. p. magistro fr. Iulio M. Blanchi (5) diffinitore Graeciae, admodum rev. p. magistro fr. Petro Lorent diffinitore Aragoniae, admodum rev. p. mag. fr. Seraphino Caparro diffinitore Bohemiae, admodum rev. p. mag. fr. Stephano de Thoro diffinitore Provinciae, admodum rev. p. mag. fr. Victorio Maria Morea diffinitore Dalmatiae, admodum rev. p. mag. fr. Francisco Bartolino diffinitore Trinacriae, adm. rev. p. praed. gen. fr. Antonio Fereira diffinitore Portugalliae, admodum rev. p. mag. fr. Ludovico de Messa diffinitore Bethicae, adm. rev. p. mag. fr. Ambrosio Nachtegael dif. Germaniae inferioris, admodum rev. p. mag. fr. Salvo de Vico diffinitore s. Thomae Apuliae, admodum rev. p. mag. fr. Sylvestro a s. Catharina diffinitore Calabriae, adm. rev. p. s. theol. prof. fr. Ioanne a s. Dominico dif. Hiberniae, admodum rev. p. praesentato fr. Petro de Spinosa diffinitore Mexicano, admodum rev. p. mag. fr. Antonio Gonzalez (6) diffinitore Peruano,

(1) De fr. Godefrido Marquis cf. l. c. pag. 670.
(2) De fr. Iacobo Maria Iannvitio cf. l. c. pag. 699.
(3) De fr. Ioanne Mahuet cf. l. c. pag. 717.
(4) De fr. Ioanne Baptista Petrobelii cf. l. c. pag. 654.
(5) De fr. Iulio M. Blanchi cf. l. c. pag. 776.
(6) De fr. Antonio Gonzalez cf. l. c. pag. 692.

adm. r. p. praed. gen. fr. Alonso de Acosta dif. s. Antonini de Novo Regno, admodum rev. p. mag. fr. Raymundo Labat diffinitore Occitaniae, adm. rev. p. mag. fr. Leonoro Rizzardo dif. s. Dominici Venetiarum, adm. rev. p. mag. fr. Martino de Cobos dif. s. Catherinae Mart. de Quito, adm. rev. p. m. fr. Ioanne de Castiglio dif. s. Hippolyti Mart. de Oaxaca, adm. rev. p. magistro fr. Hyacintho Falletto dif. s. Petri Martyris, adm. rev. p. mag. fr. Pelino Ardentio dif. s. Catherinae de Senis Aprutii, admodum rev. p. mag. fr. Ambrosio Drzilowski diffinitore Russiae, adm. rev. p. s. theologiae prof. fr. Petro Martin diffinitore Parisiensi, admodum rev. p. mag. fr. Gregorio Derderukwicz diffinitore Lituaniae, admodum rev. p. praes. fr. Felice de Gusman diffinitore Canariarum, adm. rev. p. s. theol. prof. fr. Paulo Golefer diffinitore s. Ludovici, admodum rev. p. mag. fr. Ioanne Thoma Serry et adm. rev. p. sacrae theologiae professore fr. Ioanne Lepul ex speciali indulto.

Universis et singulis totius ordinis praedicatorum religiosis
fr. Ioannes Thomas de Rocaberti, sacrae theologiae professor
eiusdemque ordinis humilis magister generalis et servus,
salutem et primaevum sanctae religionis spiritum.

« Tamquam inundantes aquae, sic rugitus meus; quia timor quem timebam evenit mihi, et quod verebar accidit » (1). Quid dicam? Supremi in ordine gubernaculi pondus mihi ut minime merenti, sic trepide moerenti incubuit. Condolete, nam clavus hic molestissimus, cui moderando, versando, dirigendo iubeor assidere, simul tormentum et iugum est, quo premar ac perimar, ni succuratis: equuleus est iugium vigiliarum, honorificus ille quidem, at nonne: « Vigilia honestatis tabefaciet carnes et cogitatus illius auferet somnum? » (2). Forsitan huic non tam praelusit quam digitum intendit praesaga optimi patris encyclica, qua superiori anno, ut meministis, ad haec generalia totius ordinis comitia vocabamur; signabat illa diem quo emanabat pervigilium esse s. p. n. Dominici ac inde ad proximam Pentecostes vigiliam pro novi magistri generalis electione vocales invitabat, nempe in diem qui translationi eiusdem sanctissimi patriarchae hoc anno sacer erat, quasi vaticinans a vigiliis ad vigilias protrahendum fore tanti patriarchae legitimum successorem. En ut dies diei hoc verbum eructavit et vigiliae vigiliis indicarunt scientiam, ne quisquis ille ad hoc fastigium eligeretur ambigeret, sese a vigiliis ad vigilias in supremam religionis speculam elevari. Lassus

(1) Iob. III, 24, 25.
(2) Eccli. XXXI, 1.

eram vigilia quadrienni pro mea Aragoniae provincia, cui indignus provincialis excubabam, tempus optatum aderat, quo propediem statione decederem quieturus, et ecce capitularibus suffragiis in solemni pervigilio ad novas longeque difficiliores compellor vigilias. Inhiabam quieti, et dicitur mihi: « Tu vero vigila, in omnibus labora » (1). Procubui voce attonitus, ingemui tacite, implorans misericordiam paracleti, et intus audio: « Fili hominis, speculatorem dedi te domui Israël, et audies de ore meo verbum et annuntiabis eis ex me » (2). Porro in his angustiis quo me vertere? Quid restabat humi prostrato, nisi ut dicerem: ergo « super custodiam meam stabo, et figam gradum super munitionem, et contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi » (3). Sic nimirum cui parcendum videbatur, parendum fuit, ad quietem anhelare licuit, pertingere non licuit, soporis indigus in speculam in excubias adigor, vigilare cogor et minacem expavesco in me sententiam: « Quod si speculator viderit gladium venientem, et non insonuerit buccina, et populus se non custodierit, veneritque gladius, et tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est, sanguinem autem eius de manu speculatoris requiram » (4). Quid horribilius? Quid mihi pariter et vobis atrocius formidandum?

Igitur ex nunc de officii mei praerupta specula ad vos clamitare incipio, dilectissimi, e sublimi do signum, vociferor ad arma, o cives et domestici Dei, ad arma, nam hostis adest: « Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli » (5). Quid cunctamur? « Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo et in omnibus perfecti stare » (6). Heu quantum in mora periculum! Hostis in foribus: « State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiae, et calceati pedes in praeparatione evangelii pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, et galeam salutis assumite et gladium spiritus, quod est verbum Dei, in ipso vigilantes in omni instantia » (7). Ast ubi aut quisnam ille hostis? Aptius dixeritis, quis hodie non hostis moenia nostra circumdat, suffodit, oppugnat? Admoventur scalae, saevit in muros impactus aries, laborant sub iaculorum imbre pinnacula, et ubi sit hostis morose quaeritur? « Colluctatio nobis est non adversus carnem et sanguinem, sed adversus principes et pote-

(1) II. Tim. IV, 5.
(2) Ezech. III, 17.
(3) Hab. II, 1.
(4) Ezech. XXXIII, 6.
(5) Eph. VI, 11.
(6) L. c. 13.
(7) L. c. 14-18.

states, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus » (1). Evigilate, surgite, convolate omnes ad religionis moenia, quae custodiunt civitatem. Et quaenam haec moenia nisi primaevae ordinis leges, vota solemnia, munimenta regulae et constitutionum? In his firmiter state, in his gradum figite, ex his repellite hostem, retroagite assultum, scalas inimicorum subvertite! Nemo hic sese delicatus eximat, nemo a sanctae observantiae fida statione turpiter declinet, nemo a religiosae perfectionis studio, a professionis communi tessera, a culmine suae vocationis ad ignava relaxationum latibula divertat; quisque meminerit periculi sui, recordetur officii, servet militiae suae ordinem ac disciplinam, et ecce in tuto sunt omnia.

Interim, prout in hoc actorum libello perspicue agnoscetis, comitiorum nostrorum generale diffinitorium una nobiscum assumpsit curam, qua saluberrimis ordinationibus annosa legum nostrarum moenia validius firmentur, obducantur, si qui sunt ruinarum hiatus, vallo fossaque muniantur constitutionum antemuralia, statutorum propugnacula resarciantur; quod integrum est consolidetur, quod collapsum robustius instauretur. Proinde modicum istud actorum volumen ceu magnum in hostili quam diximus obsidione succursum et amica auxilia ut patulis ubique portis et animis laeti excipiatis, universim praecipimus; quippe nonnisi in vestrae salutis praesidium tendunt et veniunt, ut alacritatem spiritus vestri ardentius excitando sufflaminent, ut irrepentes abusus ceu totidem occultos proditores urbe excludant, ut expositam tot armatis hostibus rempublicam servata servent ac muniant iuxta illud Ecclesiastici: « Si volueris mandata servare, conservabunt te » (2).

Caeterum quia ob multiplicium impedimentorum fere continuos intercursus haec acta longe tardius, quam sperabamus, e proelo in lucem prodeunt, nos interea neutiquam feriantes apud hanc s. sedem apostolicam ea procurare studuimus, quae nobis generale nostrum diffinitorium, ut infra § Commissiones invenietis, solicitanda commiserat. Ex his vero quaecumque post solutum capitulum successive impetravimus, nihilominus una cum reliquis denuntiandis huc inter denuntiationes iudicavimus apponenda, ut simul cum reliquis actis opportunius toti religioni innotescant.

Quod superest, charissimi patres et fratres, viscera mea in domino ac pignora mei cordis unice pretiosa, ne tardetis expergefieri ad vocem anxii speculatoris vestri, non dissimuletis aure surdastra validum e turri clamorem vestri excubitoris, non aspernemini iuges ipsius pro vestra se-

(1) L. c. 12.
(2) XV, *16*.

curitate vigilias, solicitudinum angores, laborum pondus, curas insomnes, quin monente s. Augustino « potius ipsius miseremini, qui propter vos quanto in loco sublimiori, tanto in periculo maiori versatur » (1), utpote arctissimam de animabus omnium vestrum, ut audistis, rationem domino suo redditurus. Vicissim ergo me in alto fastidiorum fastigio constitutum potenter adiuvet vestrarum precum frequens commeatus, sublevet fatigatum et fatigantem patrem devota filiorum pietas, refocillet aridam e specula vociferantis raucedinem alacris vestra obediendi promptitudo, ne forsitan hostis aut inermes vos occupet aut soporatos. Denique sic valete, suavissimi filii, ut de vestra incolumitate valeamus et nos hostique communi insimul praevaleamus. Haec nostrorum votorum summa esto.

Iterum iterumque valete.

Acta capituli generalis Romae in conventu s. Mariae super Minervam ordinis praedicatorum celebrati in festo Pentecostes die 25. maii anno 1670 sub reverendissimo p. fr. Ioanne Thoma de Rocaberti, s. theol. prof., magistro generali eiusdem ordinis in dicto capitulo electo.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, nec non beatae Mariae semper virginis, beati patris nostri Dominici omniumque sanctorum.

**Denuntiationes.**

1. Denuntiamus, vacante magisterio ordinis per obitum reverendissimi p. mag. fr. Ioannis Baptistae de Marinis, piae laudatissimaeque memoriae, in generalem totius ordinis magistrum, divina afflante gratia, rite et canonice electum fuisse reverendissimum patrem magistrum fr. Ioannem Thomam de Rocaberti, provincialem provinciae Aragoniae, sicque feliciter electum eodem die publica ac solemni totius capituli processione ss. d. n. Clementi X. oblatum atque ab eodem perbenigne clementibusque suae apostolicae benedictionis auspiciis fuisse exceptum.

2. Denuntiamus, ad amplificandum gloriosissimi s. p. n. Dominici cultum ac venerationem, cuius tot regna auspicatissimo gaudent patrocinio, ab Alexandro VII. fel. rec. emanasse breve, quo sanctissimum patrem totius regni Neapolitani patronum eiusque festum solemni ritu tamquam festum de praecepto ab omnibus regni incolis observari et officium cum octava ab universo clero eiusdem regni recitari praecipit, ut apparet in brevi sequentis tenoris:

(1) S. Augustinus in regula.

Alexander papa VII.

Ad perpetuam rei memoriam. Commissi nobis divinitus sacrosancti apostolatus officii ratio postulat, ut piis christifidelium votis, quibus sanctorum in coelis regnantium honor et veneratio in terris augentur, paterna benignitate annuamus. Cum itaque ea semper fuerit erga sanctum Ianuarium dilectorum filiorum populi Neapolitani religio, ut quamvis idem populus sanctum Dominicum confessorem in totius regni patronum duxerit assumendum, eum tamen sancto Ianuario digniori patrono, utpote martyri pontifici, praeferendum nunquam assenserit; proindeque congregationi venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sacris ritibus praepositorum iterum atque iterum supplicaverit, ut debitas sancto Ianuario martyri et pontifici patronatus regni praeeminentias decerneret, et eadem congregatio supplicationibus hisce die 4. augusti 1663 benigne subscripserit, nunc vero ne exinde in eodem regno devotio erga sanctum Dominicum decrementum aliquod patiatur, populus praedictus festum eiusdem sancti Dominici patroni in toto regno Neapolitano pariter de praecepto servari eiusque officium cum octava ut hactenus ab universo clero inibi recitari summopere desideret, Nos memorati populi devotionem specialis favore gratiae prosequi cupientes, ipsiusque populi singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de praedictorum cardinalium consilio festum eiusdem sancti Dominici patroni in universo regno Neapolitano praedicto ab omnibus christifidelibus illic degentibus de praecepto servari, et sicut alia festa de praecepto celebrari, eiusque officium cum octava, ut hactenus, ab universo clero eiusdem regni recitari, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus, praecipimus et mandamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praedictae congregationis cardinalium. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 28. iunii 1664, pontificatus nostri anno decimo.

S. Ugolinus.

3. Denuntiamus, ad manutenendam firmiter et conservandam nostri ordinis inviolabilem unitatem emanasse breve Alexandri papae VII. sub die 16. decembris 1658 tenoris sequentis:

Alexander papa VII.

Ad futuram rei memoriam. Militantis ecclesiae regimini, meritis licet imparibus, divina dispositione praesidentes, illis quae pro foelici sacrarum religionum in eadem ecclesia pie sapienterque institutarum, uberesque benedicente domino fructus iugiter proferentium directione et gubernio provide constituta sunt, libenter, cum a nobis petitur, apostolici muniminis adiungimus firmitatem. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister generalis ordinis praedicatorum, quod ad avertendam eiusdem ordinis divisionem retinendamque illius unionem, quam ab ipsa sui institutione ad haec usque tempora sub unius superioris generalis directione servavit, factae fuerunt a diversis ipsius ordinis capitulis generalibus ordinationes tenoris, qui sequitur, videlicet: in capitulo generali Romae 1583 sic dicitur: « Ordinamus de communi totius ordinis consensu et prohibemus, quod nullus procuret ordinis divisionem sub poena excommunicationis latae sententiae ac aliis poenis gravioris culpae, a quibus non possit absolvi nisi a magistro ordinis, mandamusque sub eadem poena, quod nullus procuret institutionem vicarii generalis Indiarum » (1). Quod idem Romae 1589, Venetiis 1592, et iterum Romae 1601, et Parisiis 1611, et Ulyssiponae 1618 (2) et ultimo Mediolani 1622 his verbis confirmatur: « Confirmamus ordinationem Romae, Venetiis, Parisiis et Ulyssiponae factam et confirmatam, ne scilicet ullus sub poenis in capitulo de graviori culpa contentis ac etiam sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica monitione praemissa, cuius absolutio reverendissimo magistro ordinis reservatur, directe vel indirecte divisionem ordinis vel institutionem vicarii generalis Indiarum quovis praetextu audeat vel praesumat procurare » (3). Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dictus magister generalis exponens ordinationes huiusmodi pro firmiori illarum subsistentia et observatione apostolicae confirmationis nostrae robore communiri summopere desideret, nos ipsum magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie ab-

(1) Cf. MOPH. X, pag. 242, l. 6 sqq.

(2) L. c. pag. 271 l. 26 sqq.; pag. 311 l. 24 sqq.; MOPH. XI, pag. 14 l. 12 sqq.; pag. 136 l. 11 sqq.; pag. 297 l. 6 sqq.

(3) L. c. pag. 321 l. 39 sqq.

solventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ordinationes praeinsertas auctoritate apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis apostolicae firmitatis robur adiicimus, ac omnes et singulos iuris et facti defectus, si quomodolibet intervenerint in eisdem, supplemus. Decernentes easdem praesentes litteras et praeinsertas ordinationes semper firmas, validas et efficaces existere et fore, ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos et causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon, quatenus opus sit, dicti ordinis eiusque provinciarum et conventuum quorumvis et aliis quibuslibet etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 16. decembris 1658, pontificatus nostri anno quarto.

S. Ugolinus.

4. Denuntiamus, eundem summum pontificem Alexandrum VII. pro tuendo iure proprii nostri habitus eoque manifestius a caeteris distinguendo concessisse breve, quo districte prohibet religiosissimis patribus ordinis sanctissimae Trinitatis de redemptione captivorum vestiri cappa nigri coloris. Tenor huius prohibitionis est iste:

Alexander papa VII.

Ad perpetuam rei memoriam. Ex iniuncto nobis coelitus apostolicae servitutis officio controversias inter viros religiosos exortas, ne pacis fraternaeque charitatis serenitatem obnubilent, opportunis rationibus dirimere satagimus, quemadmodum omnibus mature consideratis arbitramur in domino rationi esse consentaneum. Exponi siquidem nobis nuper fecit dilectus filius magister generalis ordinis fratrum praedicatorum, quod licet dictus ordo a s. Dominico fundatus proprio et peculiari habitu decoretur, nempe tunica et scapulari albis, cum caputio pariter albo et cappa nigra, cum caputio item nigro, eumque habitum sub praescriptis forma, colore, modo et dispositione publice et privatim fratres praedi-

catores deferre consueverint, illoque ab aliis religionibus distinguantur et ex speciali privilegio decem Romani pontifices fel. rec. praedecessores nostri severissime praeceperint, ne aliquis, sive sit in ordine sive extra ordinem constitutus, deferat habitum fratrum praedicatorum aut ita consimilem, quod propter eum frater praedicator credi possit, absque speciali apostolicae sedis mandato, addito decreto irritanti, si quid in contrarium factum fuerit, et committendo dioecesanis locorum, ut per censuras ecclesiasticas, omni appellatione postposita, cum requisiti fuerint, compellant quemcumque ad eum deponendum, prout ex eorumdem praedecessorum nostrorum litteris apostolicis desuper expeditis constare dicitur; nihilominus provinciae Castellae, Aragoniae et Bethicae ordinis fratrum sanctissimae Trinitatis redemptionis captivorum contra tenorem tot constitutionum apostolicarum, imo et contra usum maioris partis provinciarum suae religionis cum suo capite ministro generali mutavere habitum album primitivum suae religionis et deferunt cappas et caputia nigri coloris in nullo dissimilia ab illis, quibus utuntur fratres praedicatores, praeterquam in signo Crucis, quod minime aut parum discernit eos a fratribus praedicatoribus nec facit, quin habeantur pro fratribus praedicatoribus, contendentes usum cappae et caputii nigri coloris sibi esse licitum per modificationem regulae factam a recol. mem. Clemente papa IV. praedecessore pariter nostro sub dat. Viterbii 7. idus decemb. anni 1267, et per concessionem factam per litteras poenitentiariae apostolicae sub piae mem. Pio papa IV. etiam praedecessore nostro sub dat. Romae 5. nonas iulii pontificatus eius anno primo, in quibus, ut asserunt, concedatur color brunus in cappis. Et quoniam hoc est libere dictum, quia talis permissio non solum non reperitur in praedicta modificatione, imo in eadem praecipitur contrarium, quia in illa solummodo leguntur haec verba: « vestimenta sint lanea et alba », ut constat ex regesto originali in archivio apostolico Vaticano existente et hoc alias a similis rec. Innocentio papa III. in primitiva regula dispositum erat per eius litteras quarum initium « Operante divinae dispositionis clementia », datas Laterani 6. kal. ianuarii 1198, pontificatus sui anno primo. Et in praecitatis litteris poenitentiariae apostolicae permittitur provinciae tantum Castellae usus bruni coloris determinati, illius nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur *Buriel;* in vim cuius assertae permissionis, sive proprio arbitratu sive alias praedicti fratres ordinis sanctissimae Trinitatis addiderunt regulae et constitutionibus in locis, ubi tractatur de vestimentis fratrum, aliquas clausulas in grave dictorum fratrum praedicatorum praeiudicium et contra dispositionem tot summorum pontificum et signanter in reg. num. 6. § Vestimenta ad illa verba: « excepta cappa », et in eodem text. relato cap. 14. titulo De vestitu et honestate habitus, et

in declaratione eiusdem text. cap. citato § 2. ad illa verba: « sed in modificatione », usque ad fin. § et in cap. 16. titulo De signis in habitu ponendis, text. 8. § primo ad illa verba: « sed neque cappa ». Nobis propterea memoratus magister generalis tam suo quam totius sui ordinis praedicatorum nomine humiliter supplicari fecit, ut praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsum magistrum generalem specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium, negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositorum, qui rem de mandato nostro pluries partibus auditis mature discusserunt et examinarunt, consilio visisque per eosdem cardinales brevibus apostolicis et signanter regesto originali litterarum praedicti Clementis IV. praedecessoris, quarum initium « In ordine vestro » sub dat. Viterbii 7. idus decembris 1267, pontificatus sui anno tertio, necnon privilegiis, scripturis et instrumentis hinc inde exhibitis, aliisque videndis, auctoritate apostolica tenore praesentium decernimus et declaramus, non licere fratribus Trinitariis tam dictarum quam aliarum quarumcumque provinciarum uti cappa nisi albi coloris, excepta tamen provincia Castellae, in qua ad praescriptum litterarum poenitentiariae apostolicae memorati Pii IV. praedecessoris sub dat. Romae 5. nonas iulii pontificatus eius anno primo licere uti cappa coloris bruni, eius nimirum qui in illis partibus vulgo dicitur *Buriel*, non autem nigri coloris, et ad tenorem praesentium litterarum corrigendas esse regulam et constitutiones dicti ordinis sanctissimae Trinitatis respective in locis, textibus, capitulis et declarationibus, in quibus tractatur de vestimentis fratrum. Ut autem earumdem litterarum executioni firmius consulatur, auctoritate praedicta committimus et iniungimus ordinariis locorum, ut quoties pro parte dictae religionis praedicatorum fuerint respective requisiti, seu quilibet eorum fuerit requisitus, fratres dicti ordinis sanctissimae Trinitatis, qui cappam nigri coloris seu alias contra praesentium litterarum formam deferre praesumpserint, ad ipsam deponendam per censuras ecclesiasticas aliaque iuris et facti remedia, omni appellatione postposita, invocato etiam, quatenus opus sit, brachii saecularis auxilio, per se vel per alios dicta auctoritate cogant et compellant, salva tamen semper in praemissis auctoritate congregationis praedictorum cardinalium; decernentes ipsas praesentes litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore,

suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter observari et dicto ordini praedicatorum in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus in contrarium deductis, etiam speciali expressione dignis, ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, necnon dicti ordinis sanctissimae Trinitatis eiusque provinciarum etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra adhibeatur, quae praesentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 7. februarii 1666, pontificatus nostri anno undecimo.

S. Ugolinus.

5. Denuntiamus, iussu ac mandato eiusdem summi pontificis Alexandri VII. fel. rec. per sacram congregationem eminentissimorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praepositam die 29. iulii 1665 emanasse decretum de non convocando capitulo generali in ordine nostro, nisi expeditis convocatoriis ad provincias Indiarum eisque assignato competenti termino ad conveniendum; quod est sequentis tenoris:

Super instantia fratris N. ordinis praedicatorum convocandi capitulum generale dicti ordinis in festo Pentecostes anno proximi 1666.

Sacra congregatio eminentissimorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, re semel atque iterum discussa, eminentissimo Brancaccio referente, censuit nihil esse rescribendum, et sanctissimus Dominus noster, cui facta fuit relatio, id approbavit. Iussit autem ac mandavit sanctitas sua, ut perpetuis futurisque temporibus, quando fuerint celebranda capitula generalia seu generalissima eiusdem ordinis, expediantur tempore

debito convocatoriae ad omnes et singulas provincias Indiarum occidentalium et orientalium etiam Philippinarum cum termino competenti ad hoc, ut possint et debeant omnes convenire, quantumvis habeant suos procuratores in Europa; et ita sanctitas sua harum vigore mandat ac praecipit, contrariis quibuscumque non obstantibus. Romae 29. iulii 1665.

M. card. Ginettus.

Loco † sigilli.

E. ep. Camer. secr.

Quod decretum die 24. iulii 1669 fuit per supradicti pontificis immediatum successorem Clementem IX. fel. rec. explicatum de capitulis generalibus in ordine nostro celebrandis, exceptis tamen capitulis generalibus electivis, ne ex diuturna religionis viduitate ordo grave damnum patiatur, ut apparet ex subsequenti decreto.

Die 21. iulii 1669 congregatio nonnullorum Romanae curiae praelatorum, quos sanctissimus dominus noster ad suprascriptas preces procuratoris et vicarii generalis ordinis praedicatorum examinandas deputavit, re mature perpensa decrevit, nisi aliter sanctitati suae placuerit praenarratum decretum non esse ita intelligendum, ut comprehendat capitulum, in quo magistri generalis electio fit.

F. archiep. Florentin.
C. de V. archiep. Athen.
P. Fagnanus.
M. Albericius.
S. Augustinus.

Et die 24. iulii 1669, facta relatione sanctissimo, sanctitas sua congregationis sententiam approbavit.

C. de V. archiep. Athen.

6. Denuntiamus, officium s. Vincentii Ferrerii ordinis nostri ex concessione summi pontificis Clementis IX. appositum fuisse breviario Romano, ut ad libitum sub ritu semiduplici a reliquo clero recitetur. Cuius concessionis tenor est iste:

Urbis et Orbis.

Remisso per sanctissimum dominum nostrum Clementem IX. sac. rituum congregationi supplici libello sibi porrecto nomine serenissimae Hispaniarum reginae ab excellentissimo domino marchione de Astorga, catholicae maiestatis oratore, quo supplicabatur pro facultate apponendi in breviario Romano officium s. Vincentii Ferrerii ordinis praedicatorum,

eadem sac. congregatio, re mature perpensa, sub die 19. novembris censuit, si sanctissimo visum fuerit, apponi posse sub ritu semiduplici ad libitum recitandum ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, tum saecularibus tum regularibus utriusque sexus. De quo facta per me secretarium sanctissimo relatione, sanctitas sua benigne annuit et praedictum decretum promulgari concessit. Hac die 29. novembris 1667.

M. ep. Portuensis card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

7. Denuntiamus, sub die 31. augusti 1669 sacrorum rituum congregationem decrevisse in causa b. Margaritae a Sabaudia, monialis ordinis s. p. n. Dominici, constare ei cultum fuisse exhibitum et exhiberi ex indulto apostolico, ac proinde constare de casu excepto et posse procedi ad ulteriora, ut patet ex sequenti decreto:

Albanensis.

Canonizationis b. Margaritae de Sabaudia tertii ordinis s. Dominici.

Sacra Rituum congregatio, referente eminentissimo d. card. de Ilcio, censuit constare cultum praedictae b. Margaritae a Sabaudia fuisse exhibitum et exhiberi ex indulto apostolico, et propterea constare de casu excepto a decretis sanctissimae Inquisitionis eisdemque sufficienter satisfactum fuisse, et posse procedi ad ulteriora in causa canonizationis, si sanctissimo visum fuerit. Die 31. augusti 1669.

Et facta de praedictis sanctissimo relatione per me secretarium, sanctitas sua annuit. Die 8. octobris 1669.

M. ep. Portuensis card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

8. Denuntiamus, ab eadem sacrorum Rituum congregatione fuisse expeditas apostolica auctoritate litteras remissoriales, quatenus in regno Peruano fabricari possint necessarii processus de vita, miraculis et sanctitatis fama nostrorum religiosorum fr. Ioannis Massias, conversi, et fr. Martini de Porras, donati seu tertiarii, ad effectum, ut exinde ulterius in dicta congregatione procedatur ad amborum solemnem canonizationem. Idem factum pro venerabili p. fr. Francisco Capillas, filio conventus Vallisoletani s. Pauli, ac protomartyre in vasto regno Chinarum.

9. Item denuntiamus, in praefata sacrorum Rituum congregatione pro validis ac legitimis admissos et declaratos fuisse processus olim fabricatos circa martyrium, quod religiosi nostri ordinis ab anno 16. usque ad annum 30. seculi currentis, inter quos ven. dei servus p. fr. Angelus Ursuccius, Lucensis, singularitate passionis praeclarus, in Iaponia gloriose ac palam pro Christi fide tolerarunt, atque decisum, in vi dictorum processuum in s. congregatione procedi posse ad ulteriora, quod et propediem futurum speramus, ut ex sequenti decreto.

Iaponen.

Beatificationis et canonizationis seu declarationis martyrii servorum Dei Alphonsi Navarrettae ordinis praedicatorum, Petri de Assumptione minorum s. Francisci, Ferdinandi de Ayala seu de s. Iosepho ordinis eremitarum s. Augustini et Caroli Spinolae societatis Iesu, ac sociorum respective tam eorum ordinum quam etiam saecularium pro fide catholica in Iaponia interemptorum.

Sacra Rituum congregatio, proponente eminentissimo et reverendissimo domino cardinale Azzolino in ipsa sacra congregatione ordinaria ex speciali indulto ss. d. n. dubium, an constet de validitate processuum super martyrio et causa martyrii dictorum servorum dei apostolica auctoritate peractorum, et testes in eis sint rite et recte examinati, censuit constare de validitate processuum Chinensis, Maniliensis et Iaponensis, et testes fuisse rite et recte examinatos; facto tamen verbo cum sanctissimo pro sanatione cuiuscumque defectus iurisdictionis, de quo dubitatum fuit tam propter obitum episcoporum in remissorialibus deputatorum quam etiam, quia testes, ut plurimum examinati fuerunt super articulis et notulis datis per procuratores in partibus, non autem super contentis in dd. litteris remissorialibus et ad dictamen notariorum reservatis aliis exceptionibus in articulo relevantiae. Hac die 21. aprilis 1668.

Et facta de praedictis sanctissimo distincta relatione, sanctitas sua benigne annuit et sanavit. Die 1. maii 1668.

M. ep. Portuensis card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

10. Denuntiamus, pro manutenendo firmiter privilegio apostolico reverendissimi magistri ordinis pro tempore circa facultatem et auctoritatem ei privative quoad omnes extra ordinis obedientiam constitutos concessam erigendi confraternitates sanctissimi Rosarii, emanasse decretum a s. Rituum congregatione in causa Mediolanen. diu agitata, huius tenoris, videlicet:

Mediolanen.

Stantibus hinc inde deductis, mature discussis, sac. Rituum congregatio ad relationem eminentissimi domini cardinalis Astallii censuit, confraternitatem sanctissimi Rosarii auctoritate ordinaria erectam in collegiata ecclesia sancti Laurentii Maioris civitatis Mediolanen. omnino erigi debere a generali ordinis praedicatorum. Die 9. aprilis 1661.

I. ep. Sabinen. card. Sacchettus.

Cui s. congregationis decreto accessit sententia diffinitiva et iudicialis illustrissimi ac reverendissimi camerae apostolicae generalis auditoris Romanaeque curiae iudicis ordinarii, quam hic apponendam curavimus ad futuram rei memoriam.

P. Palutius Alberthonius, prothonotarius apostolicus utriusque signaturae sanctissimi domini nostri papae referendarius, necnon curiae causarum camerae apostolicae generalis auditor Romanaeque curiae iudex ordinarius sententiarum quoque ac causarum tam in eadem Romana curia quam extra eam latarum ac litterarum apostolicarum quarumcumque universalis et merus exequutor ab eodem ss. d. n. papa specialiter electus et deputatus. Noverint universi et singuli hoc praesens publicum sententiae instrumentum visuri, lecturi pariter et audituri, quod lite et causa alias coram nobis introducta pro parte et ad instantiam ven. conventus et rr. patrum s. Eustorgii Mediolanen. ordinis praedicatorum et ven. confraternitatis sanctissimi Rosarii in eadem ecclesia erectae contra et adversus rr. priores et confratres societatis sanctissimi Rosarii erectae in ecclesia s. Laurentii Maioris Mediolani de et super contentis in infrascripta sententia, decreto a nobis monitorio, illoque legitime in partibus executo et in actis infrascripti nostri notarii reproducto, exhibitisque iuribus ad causam faciendis servatisque terminis et aliis de iure et stylo nostri tribunalis in similibus servari solitis et consuetis, et hic in curia d. Stephano Menatto, procuratore dictorum dd. prioris et confratrum serv. serv. legitime citato. Nos tandem tulimus et promulgavimus diffinitivam sententiam huiusmodi sub tenore videlicet : Christi nomine invocato, pro tribunali sedentes solumque deum prae oculis habentes per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam de iurisperitorum consilio in his scriptis ferimus in causa et causis coram nobis in prima instantia vertentibus inter rr. fratres s. Eustorgii Mediolanen. ordinis praedicatorum et ven. confraternitatem sanctissimi Rosarii in eadem ecclesia erectam ex una et dd. praepositum et canonicos collegiatae s. Laurentii Maioris eiusdem civitatis, necnon confratres et societatem sub eadem invocatione sanctissimi Rosarii ibi auctoritate ordinaria fundatam partibus

ex altera, de et super executione decreti s. congregationis Rituum secum ferentis dictam confraternitatem sanctissimi Rosarii auctoritate ordinaria erectam in dicta ecclesia collegiata s. Laurentii omnino erigi debere a reverendissimo generali ordinis praedicatorum, dicimus, pronuntiamus, decernimus, declaramus ac diffinitive sententiamus, ordinarium non potuisse erigere supradictam societatem in ecclesia s. Laurentii Maioris sub invocatione sanctissimi Rosarii, sed illius erectionem et fundationem omnino fieri debuisse et debere a reverendissimo generali ordinis praedicatorum, talemque erectionem ab ordinario factam fuisse et esse nullam et invalidam nulliusque roboris et momenti, et proinde illius vigore non licuisse neque licere confratribus sive dd. praeposito et canonicis collegiatae s. Laurentii peragere functiones fieri solitas per societatem sanctissimi Rosarii erectam et fundatam in dicta ecclesia s. Eustorgii, mandatumque et mandata quaecumque desuper necessaria decernenda et relaxanda fore et esse, prout decernimus et relaxamus et pro decretis et relaxatis haberi volumus et mandamus, victumque victori in expensis condemnamus, quarum taxationem nobis, vel cui de iure in posterum reservamus, et ita dicimus, pronuntiamus, decernimus, declaramus ac diffinitive sententiamus, non solummodo praedicto, sed etiam omni alio meliori modo etc. Ita pronuntiavi ego Azo Areostus locumtenens. Quam quidem praeinsertam sententiam omniaque et singula in ea contenta vobis omnibus et singulis supradictis intimamus, notificamus, insinuamus et ad vestram et cuiuslibet vestrum notitiam deducimus deducique volumus et mandamus per praesentes, ne ullo unquam tempore ignorantiam aliquam de praesentibus allegare possitis, seu alter vestrum possit et valeat. In quorum fidem etc. Datum Romae ex aedibus nostris anno domini 1662, indictione 15, die vero secunda mensis octobris, pontificatus autem sanctissimi in Christo patris et d. n. d. Alexandri divina providentia papae septimi anno eius octavo.

Pro d. Alcide Octaviano not.

Lib. mem. fol. 15.

Locus † sigilli.

Franciscus Serantonius connot.

A. Areostus locumtenens.

11. Denuntiamus, per rev. adm. p. procuratorem ordinis proposita fuisse sacrae congregationi eminentissimorum cardinalium sacrosancti concilii Tridentini interpretum nonnulla dubia resolvenda circa eos, qui praetendentes, se invalide emisisse professionem, etiam post quinquennium

audent reclamare, fuisseque a praefata s. congregatione determinata in hunc modum, ut infra:

Romana. Nullitatis professionis.

Procurator generalis ordinis praedicatorum infrascriptas ponit dubitationes, quas per sacram congregationem diffiniri supplicat ad occurrendum inconvenientibus, quae ad praesens in quadam provincia dicti ordinis emergere comperit.

I. An quinquennium, post cuius lapsum iuxta decretum s. concilii regulares professi praetendentes reclamare contra suam professionem non debent audiri, intelligi debeat de quinquennio, numerando a die professionis tacitae vel expressae eorumdem religiosorum.

II. An habentes impedimentum etiam perpetuum, ex quo professio de iure est nulla, possint audiri post quinquennium.

III. An illi, qui intra quinquennium impediti fuerunt reclamare vel ignorarunt causam nullitatis suae professionis, possint similiter post quinquennium audiri.

IV. An superiore regulari impedito vel etiam nolente convenire cum episcopo ad audiendum reclamantem contra professionem, episcopus solus possit reclamationis causam cognoscere ac definire.

V. An episcopus possit superiorem regularem compellere vel per censuras vel per alias poenas, ut conveniat cum illo ad audiendum reclamantem contra professionem et ad causam reclamationis cognoscendam ac definiendam.

Die 15. decembris 1668 sacra congregatio eminentissimorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium concilii Tridentini interpretum respondit:

Ad primam dubitationem. Quinquennium numerandum esse a die professionis tam tacitae quam expressae.

Ad II. Exprimendos casus particulares.

Ad III., IV., V. negative.

A. card. Celsus praefectus.

Locus † sigilli.

I. archiep. Adrianapol. secr.

12. Ad excitandum et augendum nostrorum religiosorum zelum in apostolico et sacrosancto ministerio missionum denuntiamus, per eumdem sanctissimum pontificem Clementem IX. editum fuisse breve pro missionariis, qui tum ipsis tum populis, ad quos missi erunt, apostolicam benedictionem plenariamque omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem pro una vice tantum tempore cuiuslibet missionis misericorditer in domino impertitur.

Qua in re serio monemus omnes et singulos nostri ordinis religiosos, quos ad exercendum praefatum apostolicum ministerium destinavimus et in posterum destinabimus, eos quidem posse et debere praedictam benedictionem apostolicam a s. sede concessam populis intimare ac e suggestu tempore dictae missionis propalare, neutiquam vero conferre seu tribuere, cum eis huiusmodi facultas concessa non sit, ut ex sequenti apparet brevi.

Clemens papa IX.

Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Coelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit altissimus, nullis licet nostris meritis, divina clementia libenter erogamus, cum ad religionis incrementum et animarum salutem profecturum speramus. Sane cum, sicut accepimus, nonnulli fratres ordinis praedicatorum sancti Dominici de ordinariorum locorum et superiorum suorum licentia in diversas christianae reipublicae provincias ad procurandam fidelium salutem mitti soleant, nos eorumdem fratrum pietatem eorumque, ad quos illi mittentur, devotionem confovere atque augere cupientes, omnibus et singulis fratribus praedictis ac aliis utriusque sexus christifidelibus, ad quos mittendi accesserint, nostram et apostolicam benedictionem per praesentes impartimur, eisdemque vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui pro sanctae Romanae ecclesiae exaltatione, principum christianorum unione, infidelium conversione et haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad deum preces effuderint, una vice tempore dictae missionis plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in domino concedimus. Praesentibus ad septennium, quoad Indias vero ad quindecim annos tantum valituris. Volumus autem, quod praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Sabinam die 2. martii 1669, pontificatus nostri anno secundo.

Gratis pro Deo etiam scriptura.

I. G. Slusius.

13. Denuntiamus, constitisse nobis per litteras patentes reverendissimi p. magistri ordinis venerandae memoriae fr. Ioannis Baptistae de Marinis de data Romae apud s. Sabinam die 4. martii 1669, Clementem IX. summum pontificem vivae vocis oraculo ibidem tempore suae illic per aliquos dies residentiae concessisse et clementer indulsisse, rev. adm. pp. duobus provincialibus, sociis reverendissimorum magistrorum

ordinis pro tempore existentium, videlicet provinciali Angliae et provinciali Terrae sanctae, quod cum ad suas nativas provincias vel congregationes redierint, ipso facto gaudeant loco paternitatis caeterisque praerogativis, ac si ante huiusmodi officia magistri in theologia existentes insuper iam fuissent re ipsa provinciales aut vicarii suarum provinciarum aut congregationum.

14. In memoriam revocamus breve quoddam Bonifacii papae IX. incipiens « Licet is de cuius munere » sub dat. Romae 12. cal. martii, quo omnibus visitantibus ecclesias conventuum ordinis, in quibus contigerit celebrari capitulum provinciale, per totum tempus, quo durat, concedit easdem indulgentias, quae sunt in ecclesia sanctae Mariae de Portiuncula prope Assisium, easdemque impertitur opem ferentibus huiusmodi capitulis et omnibus fratribus nostris eisdem assistentibus, nec non potestatem facit priori provinciali eligendi quatuor ex suis fratribus pro audientia confessionum per illud tempus, qui absque consensu episcopi valeant absolvere a quibuscumque casibus quascumque personas causa huiusmodi indulgentiae consequendae, ut ex sequenti.

Constitutio Bonifacii IX.

Bonifacius episcopus servus servorum dei. Universis christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, de abundantia suae pietatis, quae merita supplicum excedit et vota, bene servientibus sibi multo maiora tribuat quam valeant promoveri, nihilominus tamen desiderantes domino populum reddere acceptabilem bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi quasi quibusdam allectivis muneribus, indulgentiis scilicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinae gratiae aptiores. Cupientes igitur, ut ecclesia apud quam per dilectos filios priores et fratres ordinis praedicatorum provinciale capitulum pro tempore celebrari contigerit, congruis honoribus frequentetur et etiam conservetur, ipsique priores et fratres benigne pertractentur et congrue sustententur, et ut christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eamdem ecclesiam et ad eius conservationem necnon priorum et fratrum huiusmodi sustentationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui, quotiescumque et ubicumque in perpetuum huiusmodi capitulum celebrari contigerit, eamdem ecclesiam tempore, quo capitulum provinciale huiusmodi celebrabitis, a primis vesperis diei quo capitulum ipsum celebrari inchoabitur, usque ad octo dies inclusive immediate sequentes devote visitaverint et ad conservatio-

nem et sustentationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet octo dierum praedictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et adiutrices manus porrexerint, ut praefertur, ac etiam prioribus et fratribus, qui huiusmodi capitulo interfuerint, illam indulgentiam et remissionem peccatorum concedimus auctoritate apostolica, quam visitantes ecclesiam beatae Mariae de Portiuncula, aliter dictam de Angelis, extra muros Assisinat. primo et secundo diebus augusti quomodolibet consequuntur. Et insuper ut christifideles huiusmodi ad eamdem ecclesiam tempore celebrationis capituli praefati per octo dies praedictos, ut praefertur, confluentes conscientiae pacem et animarum salutem, deo propitio, consequantur, indulgentiae huiusmodi melius participes esse possint, benignius agere volentes, praesidenti huiusmodi capituli, qui pro tempore fuerit, ut quatuor fratres, idoneos presbyteros dicti ordinis professores, in confessores eligere possit ac etiam deputare, ordinarii loci licentia minime requisita seu obtenta, qui confessiones quarumcumque personarum ecclesiam praedictam causa huiusmodi indulgentiae consequendae visitantium per ipsos octo dies dumtaxat audire et, eisdem confessionibus diligenter auditis, eisdem personis pro commissis absolutionem debitam impendere valeant et iniungere poenitentiam salutarem, nisi forsan talia fuerint, propter quae sedes apostolica sit merito consulenda, auctoritate praedicta concedimus per praesentes. Nulli ergo etc. Dat. Romae apud s. Petrum 12. kal. martii pontificatus nostri a. 12.

Caeterum facultas praedicta concessa priori provinciali eligendi et deputandi ad confessiones quatuor ex suis fratribus absque licentia episcopi, qui possint absolvere etc., revocata est per concilium Tridentinum, imo per breve Urbani VIII. incip. « In plenitudinem » dat. Romae anno II. sui pontificatus, remanente tamen in suo robore praedicto brevi Bonifacii quoad indulgentias s. Mariae de Portiuncula nostris ecclesiis communicatas tempore capituli provincialis necnon quoad absolutionem a reservatis sedis apostolicae ut supra.

15. Denuntiamus notificamusque universae nostrae religioni, reverendissimum p. magistrum ordinis, expleto iam capitulo generali, supplicasse ss. d. n. Clementi papae X. tum pro apostolica benedictione patribus capitularibus abeuntibus ac simul toti ordini nostro clementer impartienda, tum pro liberali ss. indulgentiarum beneficio in singulos ex thesauris ecclesiae largiter distribuendo. Cui perbenigne annuit sanctissimus pontifex et concessit die 12. mensis iunii ea quae sequuntur:

I. Toti nostrae religioni singulisque eius alumnis utriusque sexus, etiam tertii ordinis, pastoralem suam benedictionem; et quamquam a s. sede iampridem indulgentia plenaria specialiter pro mortis articulo

iisdem concessa fuerit, attamen pro nostra omnium firmiori consolatione denuo illam favore singularissimo impertivit.

II. Universis fratribus nostris, quotquot nuperrimo generali capitulo ex mandato intervenerunt, servata proportione indulgentias extraordinarias donavit sub certo numero, videlicet provincialibus ducentas, diffinitoribus et electoribus centum, cathedraticis, adsistentibus, praedicatoribus et reliquis dicti capituli officialibus pariter unicuique centum, cum facultate illas distribuendi pro cuiusque beneplacito.

III. Item extraordinariam indulgentiam una cum papali benedictione pro articulo mortis sua sanctitas munificentissime largita est praedictorum omnium consanguineis in primo et secundo gradu.

IV. Reverendissimo magistro ordinis peculiariter harum indulgentiarum concessit tria millia, cum potestate easdem impertiendi quibusvis aliis personis aut etiam committendi nostris religiosis earum distributionem, ita tamen, quod unusquisque nostrum in huius thesauri dispensatione, dono et applicatione observet decretum a fel. rec. Alexandro VII. emanatum die 6. februarii 1657, cuius haec summa est, quod ubicumque semel eiusmodi indulgentiae certo numismati, cruci, imagini etc. fuerint applicatae vel alteri personae gratuito communicatae, nequeant deinceps transferri eaedem ad aliud quodcumque numisma, crucem, imaginem vel personam, quando contigerit perire, destrui vel quoquomodo deperdi aliquod horum, quibus hae indulgentiae semel aut applicatae fuerunt aut respective communicatae.

V. Denique idem beatissimus pater ordini universo et singulis eius professoribus utriusque sexus indulsit pro unica vice particulare iubilaeum, quo liceat unicuique ex nostris eligere semel idoneum confessarium, per quem apostolica auctoritate ab omnibus tum casibus tum censuris quomodocumque reservatis valide in interiori foro absolvatur.

Huc usque ea quae denuntiata fuerunt in diffinitorio capituli.

Sed quia expleto iam generali capitulo multa et quidem magni ponderis ac pretii pro decore totius nostri ordinis summa cura et solerti sollicitudine per reverendissimum patrem ordinis magistrum a s. sede apostolica obtenta sunt, ut ea universae religioni clarius innotescant et opportune perpetuae tradantur memoriae, ex mandato eiusdem reverendissimi patris hic inter denuntiationes apponuntur. Unde:

16. Denuntiatur, ss. d. n. Clementem X. in proximo praeterito vere, nempe 12. aprilis 1671, nostros beatos Ludovicum Bertrandum Valentinum et Rosam de sancta Maria Limanam communi totius urbis et orbis iubilo ac populorum festivo plausu in Romana principis apostolorum basilica solemni canonizationis ritu sanctos pronuntiasse. Primum qui-

dem velut occidentalium Indiarum vere taumaturgum apostolum, secundam vero ceu primum ex iisdem occiduis Indiis florem seu potius fructum amoenae ac prodigiosae sanctitatis. Quam eximiam virginem annis praeteritis per multiplicata pontificum diplomata specialibus privilegiis mirum in modum condecoratam et praesertim a Clemente IX. fel. rec. post eius solemnem beatificationem vidimus appositam in martyrologio Romano cum officio duplici et octava pro toto clero seculari et regulari totius Americae, Philippinarum et Indiarum, necnon in universo nostro ordine cum octava solemni, atque eamdem ab eodem pontifice datam, institutam et declaratam in principaliorem et universalem Civitatis Regum et totius regni Peruani patronam cum omnibus praerogativis principalioribus patronis debitis cumque festo de praecepto; simulque a praefato pontifice illius officium sub ritu duplici datum et concessum in toto clero seculari et regulari Hispaniarum et in capella reginae magnae Britanniae. Cui deinde accesserat regnantis pontificis Clementis X. privilegium peculiare, ut scilicet eiusdem b. Rosae officium et missa etiam sub ritu duplici ab universo tam seculari quam regulari clero utriusque sexus in omnibus ditionibus, regnis, statibus ac provinciis augustissimi imperatoris, regis catholici ac totius domus Austriacae, necnon in quibuscumque dominiis serenissimi regis Poloniae die 26. augusti quotannis celebraretur; simulque quod de praedicta b. Rosa ubique per totum terrarum orbem in ecclesiis quorumcumque sive regularium sive secularium possit missa celebrari per anni circulum tum ex voto tum ex libera devotione. Quam tandem in sanctorum catalogo adscriptam sanctitas sua in universalem et principalem patronam omnium et singularum provinciarum, regnorum, insularum et regionum terrae firmae totius Americae, Philippinarum et Indiarum elegit pariter et declaravit, eiusque festum ibidem de praecepto celebrari praecepit, ut ex brevi sequenti:

Clemens papa X.

Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancti apostolatus cura, quam inscrutabilis divinae sapientiae atque bonitatis altitudo humilitati nostrae, meritis licet et viribus longe impari, imponere dignata est, nos urget, ut piis orthodoxorum regum votis ad augendam in terris sacrarum virginum cum coelesti sponso in beata aeternitate regnantium venerationem tendentibus favorabilem assensum paterno affectu praebeamus. Alias siquidem fel. rec. Clemens papa IX. praedecessor noster beatam Rosam de sancta Maria, virginem Limanam tertii ordinis s. Dominici, in patronam principaliorem Civitatis Regum seu Limanae totiusque regni Peruani cum omnibus praerogativis, quae patronis principalioribus debentur, auctoritate apostolica elegit et declaravit et alias, prout uberius con-

tinetur in ipsius Clementis praedecessoris litteris desuper in simili forma brevis expeditis tenoris qui sequitur, videlicet:

Clemens papa IX.

Ad perpetuam rei memoriam. Orthodoxorum regum de ecclesia dei multis nominibus optime meritorum studia, quibus christianorum populorum erga beatos regni coelestis incolas devotio atque pietas fovetur, apostolico favore libenter prosequimur, sicut spirituali eorumdem populorum consolationi atque praesidio conducibile in domino arbitramur. Cum itaque nos per nostras in simili forma brevis die 12. februarii proximi praeteriti emanatas litteras beatam Rosam de sancta Maria, virginem Limanam tertii ordinis s. Dominici, multiplici virtutum decore florentem, inter beatas apostolica auctoritate iuxta huius sanctae sedis ritum retulerimus aliaque ad eiusdem beatae Rosae honorem et venerationem statuerimus et indulserimus, prout in eisdem litteris continetur, et sicut pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici et charissimae in Christo filiae nostrae Mariannae reginae viduae, eius genitricis, per dilectum filium nobilem virum modernum marchionem de Astorga, eiusdem Caroli regis apud nos et sedem praedictam oratorem, nobis nuper expositum fuit, ipsi Carolus rex et Marianna regina, ut eidem beatae Rosae, quam coelestis sponsus tot charismatum decoravit monilibus, tot virtutum ornavit floribus tantaque et tam late sparsa de unguentorum suorum odore imbuit fragrantia, ut ex dei servis, quos occidentales Indiae protulerunt, prima publici cultus honore per hanc sanctam sedem decorari meruerit, venerationis fiat accessio, et ex illius intercessione tanto potentius partium illarum populi patrocinium sperent, quanto populi ipsi illam crebriori interiorique devotione colere atque honorare studuerint, ipsam beatam Rosam in patronam principaliorem civitatis Limanae seu Regum totiusque regni Peruani eligi et declarari summopere desiderent, Nos quamvis constitutiones apostolicae et decreta congregationis venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium sacris ritibus praepositorum vetent beatorum huiusmodi nondum canonizatorum electiones in patronos principaliores, ac requisita necessaria pro eiusmodi electione valida desint, nihilominus piis enixisque eorumdem Caroli regis et Mariannae reginae magno in ecclesiam dei meritorum splendore fulgentium precibus nobis super hoc humiliter porrectis pro praecipuo paternae nostrae in eos charitatis affectu duximus annuendum. Itaque memoratam beatam Rosam de sancta Maria in patronam principaliorem Civitatis Regum seu Limanae et totius regni Peruani praedictorum cum omnibus praerogativis, quae patronis principalioribus debentur, auctoritate apostolica tenore praesentium eligimus et declaramus, ipsiusque beatae Rosae festum in universo regno huiusmodi

de patrona principaliori ab omnibus utriusque sexus christifidelibus illic degentibus de praecepto servari, et sicut alia festa de praecepto celebrari, eiusque officium ab universo clero tum seculari tum regulari de principaliori patrona iuxta rubricas breviarii Romani inibi recitari, auctoritate et tenore praedictis mandamus, non obstantibus quibusvis decretis ac constitutionibus, ordinationibus apostolicis ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae eisdem praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 2. ianuarii 1669, pontificatus nostri anno secundo. Cum autem, sicut praedictus marchio de Astorga, dicti Caroli regis pariter apud nos et sedem apostolicam orator, eorumdem Caroli regis et Mariannae reginae viduae nomine nobis nuper exponi fecit, ipsi Carolus rex et Marianna regina fovendae et propagandae fidelium erga eamdem beatam Rosam devotioni laudabili pietate studentes, praeinsertas Clementis praedecessoris litteras ad universa Americae et Indiarum loca a nobis extendi plurimum desiderent, nos gloriosae beatae Rosae praedictae, quae ecclesiam universam bono Christi odore longe lateque perfundit, merita magno cum spirituali animi nostri gaudio recolentes piisque et devotis dictorum Caroli regis et Mariannae reginae supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes ac memorati Clementis praedecessoris vestigiis inhaerentes, eamdem beatam Rosam de sancta Maria in universam et principaliorem patronam omnium et singularum provinciarum, regnorum, insularum et regionum terrae firmae totius Americae, Philippinarum et Indiarum cum eisdem praerogativis dicta auctoritate tenore praesentium eligimus pariter et declaramus, ipsiusque beatae Rosae festum ibidem tamquam de patrona principaliori ab omnibus utriusque sexus christifidelibus illic degentibus de praecepto servari, et sicut alia festa de praecepto celebrari eiusque officium et missam ibidem ab universo clero tam seculari quam regulari de principaliori patrona iuxta rubricas breviarii et missalis Romani recitari et celebrari eadem auctoritate harum serie similiter mandamus; firmis tamen simul remanentibus particularibus patronis, si qui sint, pro aliqua vel aliquibus civitatibus aut locis praedictarum regionum alias legitime constitutis. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae praedictus Clemens praedecessor in suis litteris praeinsertis concessit non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque. Ceterum volumus pariter, ut ipsarum praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam im-

pressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ab omnibus et ubique tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur eisdem praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 11. augusti 1670, pontificatus nostri anno primo.

I. G. Slusius.

Hanc ergo pretiosissimam Christi sponsam Peruanae provinciae decus singulare et b. Ludovicum Bertrandum non solum provinciae Aragoniae, verum totius nostri ordinis fulgentissimum sanctitatis iubar in albo sanctorum relatos notificatur.

Quare per omnia nostri ordinis coenobia imprimis duplicandae erunt preces et sacrificia pro ss. d. n. Clemente X., de cuius paterna clementia munificentique manu haec gaudia suscepimus, deinde in iisdem utriusque sexus nostrae religionis conventibus seu monasteriis, ea qua decet magnificentia ac solemnitate, quantum in domino fieri potest, praefatae canonizationis memoria festivo plausu congruoque apparatu peragatur.

17. Denuntiatur, ad supplicem instantiam reverendissimi magistri ordinis eumdem ss. d. n. Clementem X. ex occasione, qua in fastos sanctorum retulit quinque sanctos: Caietanum, Franciscum Borgiam, Philippum Benitium, Ludovicum Bertrandum et Rosam Peruanam, thesauros particularium indulgentiarum aperuisse nostrisque pro earum ampla participatione ac distributione supplicantibus concessisse, ut sequitur:

Ss. d. n. Clemens X. ex occasione universaliori, qua in fastos sanctorum retulit quinque sanctos: Caietanum, Franciscum Borgiam, Philippum Benitium, Ludovicum Bertrandum et Rosam Peruanam, denuo thesauros novarum indulgentiarum aperuit nobisque earum ampla participatione supplicantibus concessit, ut sequitur:

I. Magistro ordinis quinquies mille, quas possit distribuere ipse ac distribuendas committere.

II. Singulis nostri ordinis tum provincialibus tum vicariis congregationum quadringentas, quas ipsimet per se distribuant.

III. Singulis nostrorum conventuum seu prioribus seu vicariis in capite ducentas, per ipsos distribuendas.

IV. Unicuique nostri ordinis regulari seu fratri seu sorori, etiam tertiae regulae, intra Italiam centum, extra Italiam ducentas, pariter distribuendas.

V. Utriusque sexus consodalibus nostrarum confraternitatum ss. nominis Iesu et Rosarii unicam singulis.

VI. Unicuique nostri ordinis parocho in partibus Indiarum, qui sacramenta ministrat Indis recenter ad fidem conversis, ut possit cuilibet horum nunc viventi impertire unicam ex istis indulgentiis.

VII. Apostolicis eiusdem ordinis missionariis, nunc in regione Chinarum et Iaponiarum laborantibus, ut similiter unicam ex his indulgentiis possint impertire cuilibet per ipsos ad catholicam fidem converso vel per eosdem convertendo.

Tenor vero istarum specialium indulgentiarum est iste:

I. Quisquis ad minus semel in hebdomada solet recitare coronam Domini vel b. Virginis aut Rosarium eiusque tertiam partem vel officium divinum aut parvum de b. Virgine aut defunctorum aut septem psalmos poenitentiales vel graduales aut consuevit invisere carceratos aut subvenire pauperibus aut saltim per quadrantem horae vacare orationi mentali, si confiteatur alicui confessario per ordinarium approbato et communicarit in aliqua festivitate Domini vel beatae Virginis solita per ecclesiam celebrari videlicet Natalis, Circumcisionis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Trinitatis, Corporis Christi; item Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Visitationis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis beatae Virginis aut in Nativitate s. Ioannis Baptistae, in die ss. apostolorum Petri et Pauli, vel in festo unius ex praedictis quinque sanctis novissime canonizatis aut in die Omnium Sanctorum vel in dedicatione propriae ecclesiae seu eiusdem tituli vel patroni ac devote oraverit pro exstirpatione haeresum, propagatione catholicae fidei aliisque s. matris ecclesiae necessitatibus, pro qualibet vice consequatur indulgentiam plenariam.

II. Quisquis ieiunaverit in vigilia cuiuslibet ex supradictis quinque sanctis et confessus communicaverit in festo eiusdem oraveritque ut supra, toties adquirat plenariam indulgentiam.

III. Qui celebrarit missam vel confessus et communicatus eam audierit ad altare, in quo sit imago vel corpus aut reliquiae alicuius ex iisdem sanctis, atque oraverit ut supra, plenariam lucretur indulgentiam una cuiuslibet mensis die per ipsum eligenda.

IV. Qui poenitens de suis peccatis ac proponens vitae emendationem visitarit unica die septem ecclesias suo arbitrio eligendas, aut ubi non fuerint septem ecclesiae, visitarit quotquot illic sunt, vel si unica tantum ibidem fuerit, omnia illius altaria visitaverit, orando ut supra, semel in anno consequatur indulgentias septem ecclesiarum urbis Romae.

V. Qui devote meditatus fuerit aliquod mysterium passionis Domini nostri et in eiusdem passionis reverentiam humiliter terram septies

fuerit osculatus, illa die adquirat indulgentiam scalae sanctae, idque una dumtaxat vice per annum.

VI. Quisquis de suis peccatis actum verae poenitudinis elicuerit cum firmo emendationis proposito, aut ad exemplum praedictorum sanctorum aliquod virtutis opus exercuerit, toties lucretur septem annos et totidem quadragenas indulgentiarum.

VII. Quicumque legerit aliquod capitulum ex vita eorumdem sanctorum aut ipsorum altare visitaverit vel eorum imaginem veneratus fuerit, orando pro exaltatione s. ecclesiae et peccatorum conversione, qualibet vice lucretur centum dies indulgentiarum.

VIII. Quisquis se exercuerit in devotione erga sanctissimum altaris sacramentum aut erga beatam Virginem, meditando illud mysterium et beneficia, quae inde in nos profluunt, aut compatiendo doloribus, quos sensit beata Virgo in passione ac morte filii, aut sub alia forma venerando sanctissimum sacramentum et orando pro necessitatibus s. ecclesiae, toties consequatur centum dies indulgentiarum.

IX. Qui pauperibus eleemosynam dederit aut eos de rebus fidei vel bonorum morum instruxerit, seu id per alios fieri procurarit, toties lucretur centum dies indulgentiarum.

X. Qui Romae aut intra 20 milliaria in eius districtu existens, ob aliquod legitimum impedimentum adesse non potuerit benedictioni solemni, quam summus pontifex dare solet in die Paschatis et Ascensionis, si confessus et communicatus oraverit pro extirpatione haeresum etc., adquirat indulgentiam, ac si adfuisset, quam pariter adquirat extra Romam eumdemque districtum quovis loco existens, etiamsi impeditus non sit, dummodo supradicta praestiterit.

XI. Quisquis in articulo mortis devote animam suam deo commendans simul ad intercessionem praedictorum sanctorum aut unius cuiuslibet ex ipsis recurrerit saltim corde, si ore nequeat, praemissa confessione et communione vel, si non potuerit, adminus contritione, plenariam suorum peccatorum indulgentiam adquirat.

XII. Unaquaeque supradictarum indulgentiarum per modum suffragii applicari possit animabus in purgatorio constitutis.

Denique pro nostris ubique ecclesiis peculiariter concessa est in singulos annos plenaria indulgentia perpetua pro anniversariis festivitatibus sanctorum nostrorum Ludovici Bertrandi et Rosae de s. Maria.

18. Denuntiatur, quod ad augendam erga praedictos nostros sanctos Ludovicum Bertrandum et Rosam de sancta Maria fidelium devotionem sanctitas sua per literas in forma brevis expeditas liberalissime indulsit indulgentiam plenariam visitantibus nostras ecclesias pro die vel

diebus, quo solemnitatem seu festivitatem canonizationis huiusmodi ibidem celebrari contigerit, ut in brevi tenoris sequentis:

Clemens papa X.

Ad futuram rei memoriam. Cum nos nuper ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium ac patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in alma urbe nostra existentium consilio b. Ludovicum Bertrandum ord. praed. professorem, et b. Rosam de s. Maria, virginem Limanam tertii ordinis s. Dominici, auctoritate nobis a domino tradita sanctos esse decrevimus et definiverimus ac sanctorum catalogo solemni ritu adscripserimus, et, sicut accepimus, dilecti filii fratres conventuum et dilectae in Christo filiae moniales monasteriorum ordinis praedicti solemnitatem seu festivitatem canonizationis eorumdem ss. Ludovici Bertrandi et Rosae de s. Maria in suis respective ecclesiis celebrare intendant, nos ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui ecclesias quorumcumque conventuum, monasteriorum et domorum regularium tam fratrum quam monialium dicti ordinis ubicumque locorum existentes die, quo solemnitas seu festivitas canonizationis huiusmodi ibidem respective celebrabitur, vel aliquo ex septem diebus immediate sequentibus devote visitaverint ac ibidem pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in domino concedimus. Praesentibus pro unica vice quoad ecclesias praedictas earumque singulas valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut etiam sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die prima iunii 1671, pontificatus nostri anno secundo.

I. G. Slusius.

19. Item denuntiatur, ex eiusdem ss. d. n. placito festum annuum sanctae virginis Rosae deinceps 30. die mensis augusti, festum vero

s. Ludovici Bertrandi die 10. mensis octobris fore celebranda, ideoque festum s. Brunonis confessoris ad diem sextam octobris esse retrahendum.

Pro istis ergo diebus, in quibus praedictorum ss. Ludovici et Rosae festa annua in posterum celebrabuntur, per eumdem summum pontificem Clementem X. visitantibus nostras ecclesias plenaria indulgentia perpetuis futuris temporibus valitura concessa est. Tenor vero concessionis est iste.

Clemens papa X.

Ad perpetuam rei memoriam. Redemptoris et Domini nostri Iesu Christi, qui gloriosos saluberrimorum, quae nobis reliquit, exemplorum sectatores altis decoravit honoribus et coelestis beatitudinis consortes effecit, vices licet immeriti gerentes in terris, spiritualium munerum thesauros, quorum nobis credita est dispensatio, libenter erogamus, sicut ad excitandam et fovendam erga eosdem beatos coeli incolas fidelium devotionem salubriter expedire in domino arbitramur. Cum itaque nos nuper ad honorem sanctissimae et individuae Trinitatis, ad exaltationem catholicae fidei et christianae religionis incrementum de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae cardinalium ac patriarcharum, archiepiscoporum et episcoporum in alma urbe nostra tunc existentium consilio beatum Ludovicum Bertrandum, ordinis praedicatorum professorem, et beatam Rosam de s. Maria, virginem Limanam tertii ordinis s. Dominici, auctoritate nobis a domino tradita sanctos esse decreverimus et definiverimus illosque sanctorum catalogo solemni ritu adscripserimus, hinc est quod nos ad augendam fidelium religionem et animarum salutem coelestibus ecclesiae thesauris pia charitate intenti ac de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac sacra communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis quorumcumque conventuum, monasteriorum et domorum regularium tam fratrum quam monialium ordinis praedicti hactenus erectis in posterum quandocumque erigendis et ubicumque locorum existentibus diebus festis eorumdem ss. Ludovici Bertrandi et Rosae de s. Maria, nempe s. Ludovici quidem die 10. octobris, s. Rosae vero die 30. augusti, a primis vesperis usque ad occasum solis festorum huiusmodi annis singulis visitaverint et ibi pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in domino concedimus. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ipsarum praesentium litterarum tran-

sumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 15. maii 1671, pontificatus nostri anno secundo.

I. G. Slusius.

20. Denuntiatur, iuxta commissionem primam inferius suo loco ponendam factas fuisse a reverendissimo magistro ordinis debitas instantias, ac demum feliciter obtentum a paterna benignitate ss. d. n. Clementis X., cuius pastorali providentiae ac propitio in ordinem nostrum affectui hoc grande beneficium divinitus reservabatur, quod pro ampliori in ecclesia erga b. Albertum Magnum excitanda veneratione deinceps in toto praedicatorum ordine tam a fratribus quam a monialibus quotannis die 15. mensis novembris celebretur festum et officium cum missa de tam insignis sanctitatis et doctrinae viro, ut constat ex decreto, quod hic apponimus.

Colonien.

Beati Alberti Magni ordinis praedicatorum.

Felicis recordationis Urbanus papa VIII., suorum praedecessorum summorum pontificum insistens vestigiis ac indultis, quibus annuum festum b. Alberti Magni ex ordine praedicatorum Ratisbonensis episcopi successive Coloniae, Ratisbonae ac demum Lauinghae cum officio chori missarumque solemniis celebrari concesserant, attentis b. viri in ecclesiam praeclaris meritis, demum anno 1635. ad fovendam augendamque fidelium devotionem extendit hanc gratiam, concedens ordini s. Dominici per universam Germaniam, ut illic anniversario ritu celebrare posset festum praememoratum. Exinde fel. itidem mem. Alexander papa VII., instante serenissima Venetiarum republica, id ipsum praefato ordini indulsit per omnia dictae serenissimae reipublicae dominia. Tandem ss. d. n. Clemens papa X., supplicante praenominati ordinis hodierno magistro generali, benigne annuit, quod deinceps in toto praedicatorum ordine sub die 15. novembris quotannis atque perpetuis futuris temporibus ab utroque sexu privatim et publice in choro officium de b. Alberto Magno cum missa de confessore pontifice sub ritu solemni peragatur, non obstantibus in contrarium quibuscumque. Hac die 27. augusti 1670.

M. ep. Portuensis card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

21. Idem ex apostolica s. sedis benignitate denuntiatur indultum ad instantias tum regiae celsitudinis ducis Sabaudiae tum excellentissimi d. Petri de Aragonia, Segorbiae et Cardonae ducis, Neapolis proregis et ad ss. nomine maiestatis catholicae obedientiae oratoris, pro b. Margarita de Sabaudia ordinis nostri moniali professa, cuius officium et missam die 27. novembris per universum ordinem nostrum celebrari nuper concessum est, ut apparet ex praesenti s. congregationis decreto.

Ordinis praedicatorum.

B. Margaritae a Sabaudia nec virginis nec martyris ordinis s. Dominici.

Post indultam a s. mem. Pio V. de anno 1565 abbatissae et monialibus monasterii sanctae Mariae Magdalenae Alben. ordinis s. Benedicti, ubi corpus b. Margaritae de Sabaudia ordinis s. Dominici requiescit, facultatem de illa faciendi commemorationem in die eius festivitatis nempe 22. iulii quotannis, et die 6. decembris 1670, ad preces serenissimi ducis Sabaudiae extensam ad universum ordinem praedicatorum post declarationem iam factam sub die 8. octobris 1669 a ss. Rituum congregatione, referente eminentissimo d. card. de Ilcio, constare videlicet de casu excepto et cultu exhibito praedictae beatae ex indulto apostolico excellentissimus d. Petrus de Aragonia, Segorbiae et Cardonae dux, Neapolis prorex et ad ss. d. n. Clementem papam X. nomine maiestatis catholicae obedientiae orator, sanctitatem suam per supplicem libellum supplicavit, ut dictum indultum dignaretur ampliare, concedendo toti ordini praedicatorum officium et missam praedictae beatae, et sanctitas sua tum praedictam instantiam tum etiam iam factam a serenissimo duce Sabaudiae remisit ad ss. Rituum congregationem et audita in consistorio relatione sibi facta ab eminentissimo d. card. Brancatio, cui ab eadem causa reperiebatur commissa, benigne concessit, ut per universum ordinem praedicatorum utriusque sexus quotannis die 27. novembris, quae prima est non impedita post eius obitum, celebrari possit festum dictae b. Margaritae de Sabaudia de communi unius nec virginis nec martyris iuxta rubricas breviarii et missalis Romani et usum praedictae religionis, et praesens decretum expediri mandavit. Hac die 29. aprilis 1671.

Card. Antonius Barberinus ep. Praen.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

22. Similiter denuntiatur, instantibus illustrissimo et excellentissimo marchione de las Minas apud summum pontificem oratore coronae Portugalliae ac reverendissimo magistro ordinis obtentum fuisse decretum

et breve apostolicum pro officio et missa s. Gundisalvi de Amarantho, virtutibus, miraculis ac sanctitate çonspicui, in toto ordine nostro celebrandis die 10. ianuarii, ut ex sequenti constat diplomate.

Clemens papa X.

Ad perpetuam rei memoriam. Sacrosancti apostolatus officium humilitati nostrae divinitus commissum salubriter exequi, adiuvante domino, satagentes, pia sublimium religiosarumque personarum vota ad augendam in terris beatorum in coelis cum domino nostro Iesu Christo regnantium venerationem laudabili studio tendentia libenter exaudimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam spiritualemque christifidelium consolationem atque aedificationem expedire in domino arbitramur. Alias siquidem commisso per fel. rec. Pium papam IV. praedecessorem nostrum ad preces clarae memoriae Sebastiani, dum vixit, Portugalliae et Algarbiorum regis illustris bonae memoriae Henrico tituli sanctorum quatuor coronatorum presbytero cardinali, Portugalliae nuncupato, et Prospero episcopo Rossanensi, tunc sedis apostolicae in regno Portugalliae cum potestate legati de latere nuntio, quatenus examinato per ipsos processu antea confecto de mandato recolendae memoriae Iulii papae III. praedecessoris pariter nostri vel alio desuper servata forma sacrorum canonum de novo conficiendo coniunctim procedentes, constito prius de crebris miraculis, quae omnipotens deus intercessione b. Gundisalvi de Amaranto, sacerdotis expresse professi ordinis praedicatorum, in regno Portugalliae nati et vita functi tam in illius vita quam post felicem illius obdormitionem operari dignatus fuerat, concurrente ad ecclesiam, ubi requiescit corpus illius, a clarae pariter memoriae Ioanne rege Portugalliae illustri ipsius Sebastiani regis praedecessore magnifice extructam et dotatam ex diversis regnis et provinciis incredibili frequentia christifidelium eorumque in eumdem b. Gundisalvum devotione in dies magis invalescente, concederent, ut in omnibus et singulis ecclesiis tam saecularium quam regularium regnorum ipsi Sebastiano regi subiectorum officium, horae canonicae et missa de dicto b. Gundisalvo ad instar aliorum sanctorum confessorum in die obitus ipsius libere et licite recitari et celebrari possent, prout in ipsius Pii praedecessoris litteris desuper in forma brevis die 3. septembris 1560 expeditis latius continetur; idem Henricus cardinalis ac Prosper episcopus nuntius in executionem litterarum huiusmodi constito prius de praemissis iuxta sacrorum canonum dispositionem per eorum sententiam latam die 16. septembris sequentis anni 1561, auctoritate apostolica, qua fruebantur in hac parte, concesserunt et indulserunt, ut ex tunc in omnibus et quibuscumque ecclesiis et monasteriis etiam saecularium omnium regnorum et dominiorum Portugalliae possent libere et licite recitari officium et horae canonicae ac

missae celebrari in honorem dicti gloriosi Gundisalvi de Amaranto eodem prorsus modo et forma, quo et qua recitantur et celebrantur in honorem aliorum sanctorum confessorum. Cum autem sicut pro parte dilectissimi in Christo filii nostri Petri, principis Portugalliae et Algarbiorum regnorum gubernatoris, per dilectum filium nobilem virum modernum marchionem de las Minas, coronae Portugalliae apud nos et sedem apostolicam oratorem ordinarium, nobis nuper expositum fuit, crescente in dies populi erga praefatum b. Gundisalvum devotione, tam idem Petrus princeps quam dilectus filius Ioannes Thomas de Rocaberti, magister generalis dicti ordinis, pro singulari, quem erga memoratum b. Gundisalvum gerunt devotionis affectu, indultum praefatum ad universum ordinem s. Dominici tam fratrum quam monialium extendi summopere desiderent; nobis propterea iidem Petrus deinceps et Ioannes Thomas magister generalis tam suo quam universi ordinis praefati nomine humiliter supplicari fecerunt, ut praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur laudabili dicti Petri principis pietati favorabilem assensum paterno affectu praebere cupientes ac praefatum Ioannem Thomam magistrum generalem specialis favore gratiae prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum nostrorum sanctae Romanae ecclesiae card. sacris ritibus praepositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio indultum recitandi officium et horas canonicas ac celebrandi missam de dicto b. Gundisalvo tamquam de s. confessore non pontifice concessum, ut praefertur, ad universum ordinem tam fratrum quam monialium s. Dominici modo et forma praemissis auctoritate apostolica tenore praesentium extendimus et ampliamus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 10. iulii 1671, pontificatus nostri anno secundo.

I. G. Slusius.

23. Denuntiatur, ss. d. n. Clementem X., cuius in Petri solium fausta exaltatio ipso s. Petri Martyris festivo die contigit, instante sacro Romanae et universalis Inquisitionis senatu per decretum apostolicum mandasse, festum eiusdem sancti sub ritu duplici in tota militante ecclesia celebrari ab omnibus, quotquot in ea ad pensum horarum canonicarum ex praecepto obligantur. Huius decreti transumptum hic adiungimus.

Urbis et orbis.

Ss. d. n. Clemens X. ad preces sibi porrectas per eminentissimum d. cardinalem Barberinum decanum nomine congregationis s. Inquisitionis benigne indulsit, ut in posterum officium s. Petri Martyris ordinis praedicatorum, quod hactenus sub ritu semiduplici ab ecclesia universali recitatum est, sub ritu duplici recitetur et sub eodem ritu in breviario apponatur ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, tum saecularibus tum regularibus utriusque sexus de praecepto recitandum die 29. aprilis, et ita servari mandavit. Die 26. iulii 1670.

M. ep. Portuen. card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

24. Denuntiatur, similiter ex speciali favore eiusdem ss. d. n. Clementis X. emanasse decretum, quo officium s. Catharinae Senensis deinceps sub ritu duplici ac de praecepto ab omnibus tam regularibus quam saecularibus, qui ad horas canonicas tenentur, celebrari statuitur sub his verbis.

Urbis et orbis.

Ss. d. n. Clemens X., attentis singularibus meritis, quibus sancta Catharina de Senis, tertii ordinis sancti Dominici virgo, sanctam sedem apostolicam sibi obstrinxit, dum vivebat in terris, necnon eximia celebritate suae sanctimoniae et qua exinde per universum orbem colitur mirifica devotione, ad preces sibi porrectas per fr. Ioannem Thomam de Rocaberti, magistrum generalem ordinis praedicatorum, benigne indulsit et constituit, ut in posterum annuale de praenominata sancta virgine officium, quod hactenus sub ritu semiduplici ab ecclesia universali fuit celebratum, deinceps sub ritu duplici recitetur et sub eodem ritu in breviario apponatur ab omnibus, qui ad horas canonicas tenentur, tum saecularibus tum regularibus utriusque sexus de praecepto recitandum die 30. aprilis, et ita servari mandavit. Die 9. octobris 1670.

M. ep. Portuen. card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

25. Denuntiatur, eumdem s. pontificem Clementem X. ad instantiam excellentissimi d. Petri de Aragonia, ducis Segorbiae et Cardonae, proregis Neapolitani atque ex nomine catholicae maiestatis regii oratoris obedientiae, indulsisse, ut officium et missa s. Raymundi de Pennafort apponantur breviario ac missali Romano sub ritu semiduplici de praecepto recitanda die 23. ianuarii, quo die deinceps de eo etiam in ordine nostro celebrari praecipimus. Tenor decreti talis est.

Urbis et orbis.

S. Raymundi de Pennafort confessoris non pontificis ord. praed.

Dum nuper d. dux Segorbiae et Cardonae, prorex Neapolitanus atque ex nomine catholicae maiestatis regius orator obedientiae, ss. d. n. Clementi X. reduxisset in memoriam praeclara merita s. Raymundi de Pennafort, confessoris non pontificis ordinis praedicatorum, quibus hic olim sanctam sedem apostolicam et universalem ecclesiam affecit, una humiliter supplicavit, quatenus dignaretur mandare, quod praenominati s. confessoris officium breviario ac missali Romano inseratur tamquam ex praecepto deinceps ab universo clero annue recitandum ac celebrandum. Proinde sanctitas sua aequitatem huius petitionis agnoscens et pie considerans, quam sit divino obsequio consentaneum, devotionem erga hunc sanctum adeo eximium ubique terrarum dilatari, clementer annuit praecepitque dictum officium et missam quotannis die 23. mensis ianuarii sub ritu semiduplici cum nona lectione et commemoratione s. Emerentianae celebrari ab omnibus tum saecularibus tum regularibus, quotquot ad recitandas horas canonicas obligantur, atque ad hunc effectum praefatam missam et officium respective missali, breviario et martyrologio Romanis apponi et praesens decretum expediri mandavit. Hac die 23. martii 1671.

Card. Antonius Barberinus ep. Praen.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

26. Denuntiatur, ex immensa erga nostram religionem munificentia ac benignitate eiusdem s. pontificis Clementis X., quem deus pro tot tantisque beneficiis in nos collatis diu incolumem servet ad optimum sanctumque catholicae ecclesiae gubernium, emanasse breve, quo tum recitantes tum audientes tum celebrare facientes missam sanctissimi Rosarii, quae incipit « Salve radix sancta », quamplurimis de ecclesiae thesauro indulgentiis ditat, quae distincte una cum brevi desuper emanato hic apponuntur, ut horum omnium memoria securius perennet.

Clemens papa X.

Ad perpetuam rei memoriam. Coelestium munerum thesauros, quorum dispensationem humilitati nostrae commisit deus, fideli prudentique liberalitate libenter erogamus, sicut pia sublimium personarum regali fastigio ac multiplici virtutum decore splendentium eximiaque in nos et hanc sanctam sedem devotione conspicuarum vota postulant, et nos ad augendam fovendamque fidelium pietatem profuturum in domino arbitramur. Itaque piis et devotis charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici ac charissimae in Christo filiae nostrae Mariannae earumdem Hispaniarum reginae catholicae viduae, eius genitricis, nomine nobis per dilectum filium nobilem virum Petrum de Aragonia, ducem Segorbiae et Cardonae, regni Neapolis proregem ac dicti Caroli regis apud nos et sedem apostolicam oratorem, ad praestandam nobis eiusdem Caroli regis nomine obedientiam missum, humiliter porrectis supplicationibus paterno affectu annuere cupientes ac de omnipotentis Dei misericordia et bb. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi omnibus et singulis sacerdotibus saecularibus vel regularibus, quibus missam de sanctissimo Rosario iuxta constitutiones et decreta dictae sedis celebrare licet, missam huiusmodi de cetero celebraturis necnon omnibus et singulis fratribus et monialibus, etiam tertiariis ordinis praedicatorum seu sancti Dominici ac confratribus et consororibus quarumcumque confraternitatum eiusdem ss. Rosarii tam hactenus erectarum, quam in futurum quandocumque erigendarum et ubicumque locorum existentium, qui vere poenitentes et confessi vel saltem confitendi propositum habentes missae de Rosario huiusmodi, ut praefertur, celebrandae devote interfuerint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad deum preces effuderint, qua vice id egerint, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas confratres et consorores dictarum confraternitatum totum Rosarium recitando ex concessione dictae sedis consequuntur, auctoritate apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Praeterea omnibus et singulis praefatis, qui missam de Rosario, sicut praemittitur, celebrare vel audire consueverint, si vere poenitentes et confessi ac sacra communione refecti, ut praefertur, oraverint, ut quolibet mense easdem pariter indulgentias ac peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequuntur confratres et consorores praefatarum confraternitatum, qui processioni ss. Rosarii huiusmodi prima dominica cuiuslibet mensis intersunt, utque omnes et singulae indulgentiae ac peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationes huiusmodi animabus fidelium defunctorum, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce mi-

graverint, per modum suffragii applicari possint, auctoritate et tenore praefatis concedimus pariter et indulgemus. Non obstante nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur in iudicio et extra illud, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Dat. Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 16. febr. 1671, pontificatus nostri anno primo.

I. G. Slusius.

Indulgentiae concessae sodalibus utriusque sexus Rosarium totum recitantibus, quas etiam deinceps in vi huius brevis iidem lucrabuntur, si missam de sanctissimo Rosario vel celebraverint vel auscultarint (1).

I. Ex bulla Innocentii VIII. « Splendor paternae gloriae » data 4. cal. martii 1488 confratribus et consororibus conscriptis, vere poenitentibus et confessis, rosarium quinquagenarium dicentibus, toties quoties id dixerint, 60 millia annorum et totidem quadragenae indulgentiarum de iniunctis sibi poenitentiis misericorditer in domino relaxantur, perpetuis futuris temporibus duraturae. Pag. 57. bullarii Rosariani Romae per eminentissimum card. Albicium ex ordine s. Officii Romanae et universalis inquisitionis recogniti, approbati et ibidem anno 1668 typis apostolicae camerae excusi.

II. Alexander VI. in bulla « Illius qui perfecta charitas est » data id. iunii 1494 supradictas indulgentias non solum approbavit et confirmavit, sed insuper has et omnes indulgentias a praedecessoribus suis Romanis pontificibus concessas huic devotissimae confraternitati duplicavit, perpetuis futuris temporibus duraturas. Bullar. cit. pag. 56.

III. Clemens VII. in brevi « Considerantes » dato prid. nonas aprilis 1524, et iterum in brevi « Ineffabilia » dat. 10. cal. aprilis 1529, quinquaginta annorum indulgentiam ab Adriano VI. concessam sodalibus Rosarium in nostro Victoriensi b. virginis sacello recitantibus ampliavit et extendit iisdem confratribus ad cuiusvis loci ecclesiam vel oratorium, statuens et declarans, hanc indulgentiam non comprehendi sub ullis clausulis revocatoriis etiam in favorem iubilaei, neque sub quibuscumque derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis, insoli-

(1) De hoc argumento cf. *Acta s. Sedis pro societate ss. Rosarii* Lugudini 1891. vol. II, p. III. pag. 685 sqq.

tis etc.; sed ab illis exemptam et exceptam esse ac fore. Bullar. cit. pag. 72 et 75. Consequenter hanc indulgentiam ubique lucrantur in toto orbe sodales in vi brevis Gregorii XIII. « Pastoris aeterni » dat. 5. maii 1581, et alterius brevis Sixti V. « Dum ineffabilia » 30. ianuarii 1586, quibus omnes indulgentiae confraternitati Rosarii particulariter in uno loco concessae extenduntur generaliter ad eamdem, quocumque loco per universum mundum canonice erecta sit vel erigetur. Bullar. cit. pag. 113 et pag. 116.

IV. Leo X. in brevi « Pastoris aeterni » dato prid. nonas octobris 1520 decem annos et totidem quadragenas indulgentiarum largitur sodalibus vere poenitentibus et confessis seu confitendi propositum habentibus, qui ter in hebdomada dictum Rosarium devote oraverint; idque pro qualibet vice. Bullar. cit. pag. 63.

V. Sixtus V. in brevi cit. « Dum ineffabilia » sodalibus conscriptis navigantibus, itinerantibus ac servientibus totum Rosarium, infirmis vero aut alias legitime impeditis tertiam eius partem devote recitantibus, nec non temporibus debitis et ab ecclesia constitutis confitendi et communicandi firmum propositum habentibus, qui capellam Rosarii nusquam visitare nèc processioni qualibet prima dominica mensis fieri solitae interesse potuerint, concedit plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam ac remissionem. Bullar. cit. pag. 120.

VI. Sixtus IV. in brevi « Ea quae ex fidelium » dato 4. idus maii 1479 pro qualibet Rosarii quinquagena seu tertia parte concedit quinque annos et totidem quadragenas indulgentiarum, quibus deinde Clemens VII. alios duos annos superaddidit in motu proprio « Et si temporalium » dato 8. idus maii anno sui pontificatus undecimo. Bullar. cit. pag. 51 et pag. 79.

VII. Pius V. in brevi « Consueverunt » dato 17. septembris 1569 integrum Rosarium qualibet hebdomada devote recitantibus septem annos et totidem quadragenas de iniunctis sibi poenitentiis relaxat. Bullar. cit. pag. 97.

VIII. Clemens VIII. in brevi « Cum sicut » dato 2. februarii 1598 sodalibus Rosarium devote recitantibus qualibet vice septem annos de iniunctis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta condonat. Bullar. cit. pag. 125.

IX. Clemens IX. in brevi « Exponi nobis » dato 22. februarii 1668 refert, Paulum III. omnibus fidelibus in regnis Hispaniarum degentibus et Rosarium integrum recitantibus concessisse omnes et singulas indulgentias, quas in iisdem regnis lucrantur christifideles recitantes coronam b. Virginis; porro has indulgentias coronae pariter omnes et singulas ibidem praefatus Clemens IX. extendit ad omnes consodales ss. Rosarii

in regnis Indiarum Carolo regi catholico subiectarum degentes integrumque Rosarium recitantes; consequenter iisdem gaudent reliqui per orbem sodales Rosarii, ut ostensum supra num. III. ex Gregorio XIII. et Sixto V.

X. Iidem in mortis articulo constituti, si ante obitum recitarunt totum Rosarium et in agone cereum speciali benedictione Rosarii benedictum manu tenuerint, adquirunt plenariam indulgentiam, ex bulla Adriani VI. « Illius qui Dominicum Gregem » 1. aprilis 1523. Bullar. locis cit.

Aliae indulgentiae vel ad certum numerum 40 aut 100 dierum restrictae vel ad certas dumtaxat anni festivitates concessae sodalibus Rosarium devote recitantibus passim occurrunt in eodem autenticato bullario.

Sequuntur indulgentiae concessae sodalibus Rosarianae processioni qualibet prima dominica mensis intervenientibus, quas hoc novissimum breve Clementis X. pariter extendit iisdem sodalibus, si missam ss. Rosarii celebrarint vel auscultarint.

I. Pius V. in supracitato brevi « Consueverunt » intervenientibus huic processioni, quae mense quolibet fieri consuevit, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis sibi poenitentiis relaxat. Bullar. cit. pag. 97.

II. Gregorius XIII. in praefata bulla « Pastoris aeterni » plenariam indulgentiam omnium peccatorum impertit sodalibus, qui processionem prima cuiuslibet mensis dominica fieri solitam associaverint. Bullar. cit. pag. 114.

III. Idem pontifex in brevi « Cupientes » dato 24. decembris 1593 sodalibus inscriptis, qui infirmitatis aut alio legitimo impedimento detenti processionibus ab ipsa societate Rosarii fieri solitis interesse nequeunt, confessis tamen et sanctissima communione refectis, easdem indulgentias concedit, dummodo Rosarium devote recitent ac alias preces pro sanctae matris ecclesiae exaltatione, haeresum extirpatione ac pace inter principes christianos concilianda et conservanda fuderint. Bullar. cit. pag. 116.; vide etiam supra n. V.

IV. Idem centum dies indulgentiarum concedit sodalibus, dummodo associaverint huiusmodi processiones per eosdem debitis diebus faciendas. Ex brevi « Cum sicut » dato 3. ianuarii 1579. Bullar. cit. pag. 111.

V. Omnes supra positae indulgentiae nunc valent pro missa ss. Rosarii proque perpetuis futuris temporibus et a quolibet sodali possunt applicari per modum suffragii fidelibus defunctis, prout Clemens X. concedit in brevi hic seorsim accluso.

VI. Notandum, quod missa ss. Rosarii votiva ac propria, cui intelliguntur supradictae indulgentiae a Clemente X. applicatae, est illa quae

sic incipit « Salve radix sancta », ut in missali ordinis, quia haec est approbata Romae a s. Rituum congregatione; porro has indulgentias, favores et gratias apostolicas nostri secure poterunt in populis ubique praedicare, utpote ex ipso ss. Rosarii bullario legitime hic per s. congregationem supremae et universalis inquisitionis Romanae cura nuper exactissima recognito iustoque examine approbato excerptas, quibus deinde accesserunt duo brevia ss. d. n. Clementis X., quorum alterum pro sufflaminando studio orationis mentalis non ita pridem ordini communicavimus, alterum hodie pro missa ss. Rosarii communicamus.

27. Denuntiatur, indulgentias confratribus ss. Rosarii a diversis summis pontificibus concessas sacrae congregationis s. Officii iussu paucis abhinc annis recognitas et approbatas fuisse per eminentissimum et reverendissimum cardinalem Albicium, ut plenius constat ex libro Romae impresso anno 1669, cui titulus « Ordo et modus spiritualis exercitii ss. Rosarii », et latius in bullario confraternitatum ordinis praedicatorum impresso Romae 1668.

28. Tandem denuntiatur, ad augendam devotionem praedictam ss. Rosarii in Indiis per summum pontificem Clementem IX. fel. rec. editum fuisse breve, quo omnibus confratribus utriusque sexus ss. Rosarii in Indiis Carolo regi Hispaniarum subiectis quoties Rosarium integrum recitaverint, easdem et singulas indulgentias concedit, quas consequuntur coronam eiusdem beatissimae Virginis recitantes, ut in sequenti.

Clemens papa IX.

Ad perpetuam rei memoriam. Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Ioannes Baptista de Marinis, magister ordinis praedicatorum, quod dudum fel. rec. Paulus papa III. praedecessor noster omnibus et singulis utriusque sexus christifidelibus in regnis Hispaniarum degentibus, qui Rosarium seu psalterium b. Mariae Virginis integrum devote recitassent, ut omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes coronam eiusdem b. Mariae Virginis recitantibus concessas consequerentur, auctoritate apostolica in perpetuum concessit. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedictus Ioannes Baptista magister generalis easdem indulgentias ad confratres confraternitatis ss. Rosarii in Indiis charissimo in Christo filio nostro Carolo Hispaniarum regi catholico subiectis degentes per nos extendi summopere desideret, nos piis ipsius Ioannis Baptistae, magistri generalis, votis hac in re favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes,

supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati omnibus et singulis confratribus et consororibus confraternitatum ss. Rosarii huiusmodi in Indiis dicto Carolo regi subiectis erectarum et in futurum erigendarum, qui Rosarium seu psalterium b. Mariae Virginis integrum recitaverint, ut eas omnes et singulas indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes consequantur, quas consequerentur christifideles in regnis Hispaniarum degentes, qui coronam eiusdem b. Mariae Virginis recitant, apostolica auctoritate tenore praesentium perpetuo concedimus et indulgemus. Non obstante nostra et cancellariae apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 22. februarii 1668, pontificatus nostri anno primo

I. G. Slusius.

Qua extensione, privilegio vel indulgentiis pro Indiis concessis gaudent et fruuntur etiam ceteri confratres ss. Rosarii cuiuslibet loci, provinciae aut nationis per breve Gregorii XIII. incip. « Pastoris aeterni », sub die 5. maii 1581, confirmatum a Sixto V. per breve « Dum ineffabilia », quo conceditur, quod quaelibet indulgentia aut privilegium uni loco vel aliquibus confratribus Rosarii, etiam specialiter indultum, omnibus et singulis aliis confratribus ss. Rosarii per omnes mundi partes distributis intelligitur per communicationem applicatum.

**Declarationes.**

1. Declaramus, verba illa posita in prologo constitutionum nostrarum num. 10.: « Porro praelati omnes a multitudine praeceptorum et ordinationum abstineant, ne laqueum animabus subditorum iniiciant », admonere dumtaxat superiores et praelatos nostri ordinis, ne praecepta et ordinationes absque urgente necessitate multiplicent. Omnia tamen eorum praecepta et ordinationes, etiamsi forte multiplicatas, omnino vim habere et obligare decernimus et declaramus. Admonemus tamen serio et districte iniungimus singulis nostrae religionis superioribus, ne in imponendis aut fulminandis praeceptis et censuris sint faciles aut praecipitanter et indiscrete se gerant, sed memores eorum, quae circa hanc materiam in eodem prologo nostrarum constitutionum num. 6. habentur, prudenti consideratione ac sufficienti inquisitione praehabita et ex causa

urgenti et necessaria huiusmodi praecepta faciant et censuras ferant, sicut fuit ordinatum Parisiis 1269, Oxoniae 1280, Ferrariae 1290 et Bononiae 1564. Quibus ordinationibus innixi omnino prohibemus, ne deinceps praelati sive provinciales sive conventuales audeant vel praesumant sine praevio maturo patrum consilio ac diligenti deliberatione eorumdem praecepta illa imponere ac eas censuras fulminare, quae totam communitatem obligare valeant ad mortale. Quod si secus factum fuerit, totum fore irritum et inane per praesentes statuimus et declaramus.

2. Declaramus, quando in constitutionibus nostris de institutione supprioris vel de quacumque electione dicitur: « Maioris vel sanioris partis », particulam illam « vel » non accipi disiunctive, sed magis explicative, ita quod maioris et sanioris simul in eodem sensu coincidant, eademque pars intelligatur sanior, quae maior.

3. Declaramus iuxta constitutiones nostras de electione, si infra tres menses de priore a provinciali ob defectum vocalium non fuerit provisum, omnino quidem electionem devolvi ad magistrum ordinis. Dispensamus tamen de consensu speciali reverendissimi p. generalis cum remotissimis provinciis Indiarum, in quibus rationabiliter protractionis huius consuetudo introducta fuit, ut, si provinciales iuxta taxatum in nostris constitutionibus tempus non elegerint vel instituerint, ius eligendi iterum ad vocales ipso facto revolvatur; eamque consuetudinem tamquam rationi consentaneam, imo necessariam intuitu distantiae per praesentes approbamus.

4. Insistentes textui nostrarum constitutionum necnon plurium generalium capitulorum decretis et ordinationibus et specialiter declarationi capituli generalis Romani 1656 num. 12. de sequela chori, declaramus, omnes et singulos nostri ordinis patres ac fratres, cuiuscumque sint gradus aut dignitatis, nullatenus eximi aut dispensari a sequela chori, nisi actualiter officium lecturae aut praedicationis exerceant, circa quos nihilominus legitimae provinciarum vel congregationum consuetudines observentur. Peculiarem vero rationem volumus haberi circa dumtaxat magistros illos a suis provinciis acceptatos, qui fructuose occupantur in conscribendis libris, habendis ad populum concionibus et in assidua sacramenti poenitentiae administratione. Hos tamen hortamur, ut iuxta praefati capituli declarationem citatam sui status et professionis memores, ultro dum possunt, satagant choro divinisque laudibus adsistere nec unquam ab eo omnimode se exemptos putent. Quam ordinationem et declarationem de obligatione uniuscuiusque ad chorum in ordine nostro omnino observari volumus, mandantes prioribus seu conventuum praesidentibus, ut eam adamussim observari faciant; quod si in hoc negligentes inventi fuerint, a provincialibus in poenam ab officio suspendantur ad tempus, iisdem provincialibus pro sua prudentia benevisum.

5. Declaramus, magistros novitiorum iuxta inchoationem ultimam capituli generalis Valentini 1647 per diffinitorium provincialis capituli electos ac designatos, qui per tempus in praefato capitulo taxatum officium suum cum fructu regularis observantiae et religiosa educatione iuventutis laudabiliter exercuerint,. admitti debere, ac si essent praedicatores generales, ad omnes electiones provincialis capituli, non tamen ad consilium patrum provinciae; et iuxta hanc nostram interpretationem verba illa praefati capituli « ac si essent praedicatores generales vel patres provinciae » sensum habere declaramus.

6. Declaramus, nomine principalis vel primi lectoris, qui iure paternitatis a consiliis tamquam doctor conventus ad consilium pertinet iuxta declarationem primam Mediolanensis capituli 1505., intelligendum esse lectorem primarium actu in eodem conventu legentem, non vero lectores, qui huiusmodi primariae lecturae munus expleverunt. Titulo autem discretorum in constitutionibus nostris pluribus in locis nominatorum eos intelligendos esse declaramus, qui de iure ad consilium conventus ratione paternitatis a consiliis spectant.

7. Declaramus praeterea, quod praedicatores generales, qui extra conventum propriae praedicaturae per magistrum ordinis vel per priorem provincialem assignati remanent, habeant ius paternitatis in consiliis conventus, in quo sic morantur assignati, iuxta ordinem in nostris constitutionibus praescriptum.

8. Declaramus, priores tam provinciales quam conventuales post expletum vel absolutum sui provincialatus aut prioratus officium ad eos conventus pertinere, ex quibus tamquam ibidem ultimo simpliciter assignati fuerunt assumpti, etiam si forte praedictorum conventuum filii non sint, iuxta declarationes in aliis capitulis generalibus factas, quacumque consuetudine in contrarium non obstante.

9. Declaramus, in casu, quo ad electiones canonicas antiquiores in ordine, quibus de iure competit munus scrutandi, ob aliquod impedimentum accedere non possint aut nolint, in locum eorum alios esse eligendos per vota publica eo prorsus modo, quo iuxta decretum capituli generalis Romae 1629 declarat. 16. quartus scrutator eligi debet. At si talia vota aequalia fuerint, antiquiori a professione in ordine pro electione ad scrutandi officium suffragabuntur.

10. Declaramus, acta capitulorum provincialium iuxta decretum capituli gen. Valentini 1647 [ord. 19.] necnon declarat. 6. capituli Romani 1656 omnino ad reverendissimum magistrum ordinis una cum electionis decreto transmittenda pro eorum revisione, correctione et approbatione, antequam ab ipso confirmentur, pro primo illo anno dumtaxat habere suam vim ac robur a sui promulgatione in provinciali capitulo; quorum

si aliqua a reverendissimo magistro ordinis non confirmari aut in melius mutari, restringi, ampliari vel omnino cassari contigerit, sic mutata et innovata provincialis statim per singulos suae provinciae conventus promulgari et accurate observari faciat; quod totum provincialibus seu congregationum vicariis respective sub poena absolutionis ab officio stricte praecipimus et mandamus. Ne autem superiores praefati desides sint in huiusmodi actis transmittendis, declaramus, quod, si elapso anno aut ad reverendissimum magistrum ordinis transmissa aut ab illo confirmata non fuerint, nullam prorsus habeant vim et firmitatem, quousque ab eodem confirmentur et approbentur, exceptis tamen provinciis Indiarum et insularum Canariarum, circa quas propter maximam illarum ab Urbe distantiam specialem rationem habere volentes huiusmodi tempus confirmationis actorum ad biennium prorogamus; quod si infra taxatum tempus ea transmissa aut confirmata non sint, omni prorsus robore ac valore carere decernimus.

11. Inhaerentes textui nostrarum constitutionum in prologo num. 9., ubi expresse habetur: « Omnia acta per generale capitulum vel per magistrum ordinis, exceptis tamen praeceptis et censuris, durare etiam post mortem, donec fuerint revocata per similem potestatem », declaramus, hoc intelligendum esse etiam de gratiis quibuscumque communitati sive personae particulari concessis iuxta declarat. 2. cap. generalis Argentinae 1296. Qua declaratione volumus comprehendi etiam gratias exemptorias, non obstante quadam dispositione capituli generalis apud Castras 1352, quae in contrarium solet allegari, eo quod acta praefati capituli Castrensis, quamvis magna diligentia conquisita nec in nostro archivio nec alibi reperiri potuere; ac proinde hac in re tamquam dubia, ac etiamsi certa, nullo modo praeiudicium auctoritati magistri ordinis inferre posse ac potuisse declaramus, cum ad limitandam auctoritatem magistri ordinis nec capitulum generale nec generalissimum sufficiant (1).

## Confirmationes.

1. Confirmamus omnia et singula, quae in proximo capitulo generali Romae celebrato anno 1656 declaratione prima circa auctoritatem magistri ordinis adducta et declarata sunt tamquam ad literam intelligenda, nempe magistrum ordinis pro tempore ex vi voti obedientiae sibi in professione praestiti esse iure nostrarum constitutionum et per privilegia apostolica proprium et immediatum praelatum omnium fratrum et conventuum totius ordinis, posseque auctoritate propria ligare et absolvere, necnon omnes et singulos fratres, praelatos, priores provinciales

---

(1) Cf. MOPH. IV, 344 l. 16 sqq., quo in loco textus capituli Castrensis invenitur.

et conventuales et alios quoscumque officiales ac priorissas monasteriorum, quoties sibi videbitur, instituere et destituere, eorum officia et auctoritates limitare, revocare, prorogare et a suis officiis removere et loco ipsorum alios vel alias substituere, ac in curia Romana procuratorem generalem instituere et institutum ab officio removere, quoties sibi et suis successoribus videbitur expedire; eaque demum agere in ordine, quae ipse et diffinitores capituli generalis iuxta constitutiones eiusdem ordinis agere possunt. Quae omnia pluries fuerunt decisa a s. congregatione episcoporum et regularium et signanter per decretum sub die 23. septembris 1667.

2. Confirmamus declarationem secundam eiusdem capituli pro manutentione et incremento exactioris observantiae in congregationibus aut conventibus solerti cura ac ferventi zelo reverendissimorum magistrorum ordinis praeteritorum feliciter introducta, qua prudenter sancteque cautum est, ne superiores talium congregationum aut conventuum ulla ratione directe vel indirecte in eis vel in quolibet eorum huiusmodi strictiorem observantiam vel in minimo relaxent aut relaxari permittant, sed eam omnino foveant, promoveant, augeant. Quod si aliter fecerint aut fieri consenserint, ipso facto poenam absolutionis a suis officiis irremissibiliter incurrant remaneantque incapaces et inhabiles in posterum ad quaecumque ordinis munia obeunda.

3. Item confirmamus et omnino volumus absque ulla tergiversatione recipi et admitti declarationem quintam praefati capituli Romani 1656 de valore patentium a magistro ordinis concessarum non disputando, sed eas, qua decet erga nostrum supremum caput reverentia, humilitate ac obedientia agnosci ac executioni mandari debere. Quod si secus ab aliquo temere vel contumaciter factum fuerit aut attentatum, is tamquam reus violati voti obedientiae et submissionis legitimo totius religionis superiori ac magistro debitae ipso facto poenae gravioris culpae subiaceat, a qua nonnisi per generale capitulum aut per expressam condonationem magistri ordinis valeat liberari.

4. Quia per rev. magistrum ordinis piae memoriae fr. Ioannem Baptistam de Marinis, viginti circiter annorum spatio quo praefuit, tum intuitu reformationis et rigorosioris observantiae in aliquibus provinciis, congregationibus et conventibus introducendae tum ex aliis rationabilibus causis animum ipsius moventibus aliquae particulares ordinationes et praecepta pro earumdem provinciarum, congregationum et conventuum feliciori sanctiorique gubernio salubriter ac fructuose sancita sunt, nos eius vestigiis inhaerentes, confirmamus sub iisdem poenis et censuris omnes et singulas praefatas ordinationes, praecepta et statuta sive in communi facta sive in particulari, eaque volumus omnino subsistere

omnemque vim habere, quousque modernus rev. magister ordinis aliter disposuerit.

5. Confirmamus et simul districte omnibus et singulis nostri ordinis patribus ac fratribus inculcamus volumusque omnino observari omnia ea, quae pro rasurae et vestitus uniformitate ac modestia pluries ordinata sunt et renovata in capitulis generalibus, praesertim Romae 1650 conf. 11., et item Romae 1656 admonitione secunda his verbis: « Confirmamus et innovamus quaecumque in variis capitulis generalibus de rasurae et vestitus uniformitate ac modestia sunt constituta, mandantes provincialibus ac prioribus conventuum sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ut quos invenerint comam vel barbam in labiis mentove contra constit. cap. de rasura vane et modo saeculari nutrientes, vestes in materia, forma, colore, laxitate etc. contra praescriptum earumdem constitutionum et capitulorum generalium portantes, indusiis lineis ad carnem utentes vel, si cum aliquibus titulo infirmitatis dispensatum fuit, eadem manifeste et cum scandalo gestantes, cappam, scapulare, tunicam ad terram usque defluam aut a cingulo deorsum patulam ac divisam deferentes, habitum ordinis palam ubique deferendum sub sago palliove saeculari occultantes, interulas vestes alio quam albo colore aliave materia, quam quae Christi pauperes decet, caligas, pileos et quae religiosam humilitatem et paupertatem minus sapiunt nostrisque constitutionibus atque capitulis generalibus praesertim Mediolan. 1505, Senensi 1462 et Romano 1629 adversantur, cuiuscumque dignitatis, gradus aut conditionis fuerint, declarent privatos utraque voce, officiis et gradibus. Ipsas vestes auferant illosque, donec se emendaverint, conventu egredi non sinant, prout ex nunc pro tunc eos utraque voce, officiis ac gradibus privamus privatosque ad triennium declaramus; pertinaces vero damnamus ad poenas gravioris culpae et carceris; caeteros denique in his delinquentes privamus ad idem tempus scapulari et caputio. Proinde mandamus aggravando superiorum conscientias, quod statim et sine respectu procedant ad poenas taxatas, quas etiam respective extendimus ad ipsos priores tantae deformitati conniventes ita ut, si apud quemcumque subditum aliqua ex supradictis vestibus aut vanitatibus reperiatur, vel in coma, barba etc. eiusmodi deformitas appareat, prior seu superior illius sit ipso facto ab officio absolutus ». Quam ordinationem maxime necessariam iterum omni qua possumus firmitate corroboramus et sub iisdem poenis innovamus, addentes pp. provincialibus et congregationum vicariis, quod, si in delinquentes contra praedicta non severe animadverterint, poenam absolutionis ab officio ipso facto incurrent.

6. Confirmamus id, quod de capitulis culparum statuto tempore celebrandis pluries stabilitum fuit, praesertim Mediolani 1505, Romae 1650

et iterum Romae 1656, nempe teneri priores seu conventuum praesidentes sub poena absolutionis ab officio irremissibiliter per provinciales infligenda capitulum, quod vocamus de culpis, ad minus de quindena in quindenam tenere, abolentes abusum, qui in aliquibus provinciis inolevit, habendi huiusmodi capitula a prioribus in refectorio immediate post prandium, quod sub poena suspensionis ab officio per bimestre prioribus id facientibus omnino a provincialibus infligenda inhibemus. Sicque praecipimus peculiari signo in hunc finem convocandam esse communitatem ad locum idoneum, ubi commode per choros dici possint orationes capitulares, fieri veniae ac prostrationes et singulorum culpae audiri per ordinem cum impositione poenitentiae salutaris. Et ad hanc salutarem frequentiam animare omnes debet Pauli V. pont. max. fel. rec. apostolica invitatio huius tenoris: « Eis, qui vere contrito corde ac poenitentes eorum culpas et peccata et imperfectiones in cap. culparum accusabunt et spiritualiter communicabunt et exercitium virtutum facient, tres annos et totidem quadragenas de poenitentiis sibi debitis misericorditer in domino relaxamus ». Priorum ergo provincialium conscientias in diem Christi oneramus, quatenus omni diligentia et conatu exequutioni huius saluberrimae ordinationis, a qua pendet pravorum morum extirpatio fratrumque in melius reformatio, omnino insistant; superioresque conventuum, quos in hoc negligentes invenerint, omni humano semoto respectu, ab officio removeant et absolvant.

7. Ad coercendos vagos crebrosque fratrum discursus, ex quibus gravissima ordini damna et apud saeculares scandala oriuntur, innovamus et confirmamus generalis capituli Bononiae 1410 ordinationem 6. et Argentinae 1417 ordinationem quintam huius tenoris: « Item vagos discursus fratrum coercere volentes volumus et mandamus, quod nullus fratrum exeat terminos suae provinciae sine licentia sui provincialis sub poena gravioris culpae, quam quilibet oppositum faciens ipso facto incurrat, mandantes praesidentibus provincialibus et conventualibus prioribus universis, quatenus quemlibet fratrem extraneum sine litera testimoniali sui provincialis hinc recedentem, venientem vel transeuntem de praesenti vel in futurum de sua provincia expellant et ad propriam illius, quantum in eis fuerit, redire compellant. Praesidens autem, qui scienter contrafecerit, a suo praesidentiae officio, quousque praedicta effectualiter adimpleverit, sit suspensus ».

8. Et quia intra terminos eiusdem provinciae pluries contingit occasione assignationum seu licentiarum fratres vagari procrastinando et in longum trahendo seu differendo praesentare se conventibus, in quibus sunt assignati vel ad quos accedendi licentiam habent, confirmamus ordinationes alias saepe replicatas et inculcatas, teneri nempe fratres itine-

rantes, quamprimum ad conventus, ad quos sunt destinati, recta via accedere, superioresque in assignationibus aut licentiis debere taxare et limitare certum et determinatum itineri tempus, infra quod sub aliqua rigida poena, in iisdem literis exprimenda, ad terminum pervenire teneantur.

9. Confirmamus ordinationem alias factam et pluries repetitam in multis capitulis generalibus, praesertim Romano 1580, item Romano 1601 et Vallisoletano 1605, in quibus omnino inhibetur prioribus seu conventuum praesidentibus sub poena absolutionis a suis officiis, ne audeant fratribus licentias concedere vagandi extra proprium conventum vel eundi ad alios conventus seu oppida extra dietam, etiam praetextu necessitatis; quod si haec urgentissima fuerit et ob gravissimas causas dilationem non admittat, facultas praefata detur de consilio patrum et in scriptis, ut habetur in constitutionibus nostris dist. 2. cap. 13. in declarat. text. 2., ubi explicantur casus necessitatis, in quibus priores praevio patrum consilio possunt praedictas licentias concedere. Et insuper ibidem praecipitur, ut fratres sic de consilio discretorum licentiati teneantur non solum licentiam in scriptis, quam limitatam et ad tempus praecisum, quod necessitas exigit, esse volumus, sed etiam literas testimoniales secum deferre et praesentare, in quibus et causa ipsius licentiae generaliter vel peculiariter et terminus itineris, ad quem recto tramite pergere tenentur, exprimi debent. Quod si aliquis sine huiusmodi licentia et dimissoriis ultra dietam a conventu propriae assignationis repertus fuerit, irremissibiliter tamquam fugitivum puniri praecipimus iuxta dispositionem capituli Romae 1569 admonit. 4. sub his verbis: « Admonemus omnes priores conventuum, ne faciles se praebeant ad dandam licentiam vagandi et per provinciam discurrendi; et ut aliquod remedium ad tollendos discursus adhibeatur, statuimus, ut licentiae exeundi extra conventum ultra dietam non sit penes priores solos, sed dentur de patrum consensu et in scriptis; et qui sine huiusmodi licentia repertus fuerit, tamquam fugitivus puniatur, prout etiam in s. synodo Tridentina cavetur ».

10. Tandem confirmamus, acceptamus et approbamus omnia et singula magisteria et gradus quorumcumque promotorum post immediate praeteritum generale capitulum per reverendissimum magistrum ordinis piae mem. fr. Ioannem Baptistam de Marinis, necnon per eiusdem ordinis generalem vicarium p. magistrum fr. Petrum Mariam Passerinum rite collatos et concessos usque ad praesens generale capitulum, omnesque sic promotos impetratis gaudere volumus et mandamus, servatis tamen de iure servandis.

## Ordinationes.

1. Cum ad excitandum et fovendum divini amoris ignem plurimum mentalis conducat oratio, testante in psalmis propheta: « In meditatione

mea exardescet ignis » (1), ideo insistentes plurium capitulorum generalium ordinationibus et decretis iterum indispensabiliter ordinamus et sub poena absolutionis ab officio a provincialibus omnino infligenda serio praecipimus omnibus et singulis nostri ordinis prioribus seu conventuum praesidentibus, ut post matutinas vel nonam pro tempore et post completorium in choro publice praelegatur et proponatur materia orationis ex Ludovico Granatensi vel ex alio nostrae familiae spirituali scriptore, dimidiae horae spatio ad minus meditanda; in memoriam revocantes, quod fel. rec. Paulus V. summus pontifex hoc pium ac saluberrimum devotionis exercitium anno 1606 die 23. maii speciali indulgentia ditavit et his verbis commendavit: « Religiosis, qui per integrum mensem singulis diebus spatio mediae horae orationem mentalem fecerint ac confessi et sacra communione ultima dominica huiusmodi mensis refecti fuerint, sexaginta annos et totidem quadragenas concedimus ». Quod et nuper ss. d. n. Clemens papa X. de novo confirmavit atque uberioribus gratiis et indulgentiis decoravit, ut apparet ex brevi noviter expedito tenoris sequentis.

Clemens papa X.

Ad futuram rei memoriam. Ad ea, per quae animarum christifidelium salus procuratur, libenter intendimus et eorumdem christifidelium devotionem, ut spiritualibus exercitiis ferventius incumbant, coelestium munerum elargitione libenter fovemus et incitamus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia ac bb. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fratribus et monialibus ordinis praedicatorum ac tertiariis de militia Christi seu de poenitentia nuncupatis et aliis utriusque sexus christifidelibus confratribus et consororibus confraternitatum b. Mariae Virginis de Rosario et sanctissimi Nominis Iesu tam hactenus in ecclesiis eiusdem ordinis canonice erectarum, quam in posterum ubilibet erigendarum, qui per quadrantem horae orationi mentali vacaverint, pro qualibet vice centum dies; qui per duos quadrantes continuatos, septem annos de iniunctis eis aut alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma ecclesiae consueta relaxamus; iis vero, qui devotioni huiusmodi per duos quadrantes continuatos vel saltim per quadrantem horae singulis diebus et per totum mensem dabunt operam, et vere poenitentes et confessi sanctissimum eucharistiae sacramentum sumpserint ac pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione ac sanctae matris ecclesiae exaltatione pias ad deum preces effuderint, plenariam semel quolibet mense omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam per modum suffragii animabus christifide-

(1) Ps. XXXVIII, 4.

lium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, applicare possint, apostolica auctoritate tenore praesentium misericorditer in domino concedimus. Insuper quod dicti fratres et moniales pro oratione mentali, ad quam ratione eorum regulae et constitutionum quolibet die tenentur, praedictas omnes indulgentias et peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes proportionabiliter lucrari et consequi possint et valeant, auctoritate et tenore praesentis indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, quod, si pro impetratione, praesentatione, admissione seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; quodque praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Dat. Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 28. ian. 1671, pontificatus nostri anno primo.

I. G. Slusius.

Cum igitur ipsiusmet s. sedis apostolicae pia munificentia nos tantis emolumentis ad orationem mentalem invitet, prorsus iam erunt inexcusabiles, quicumque in ordine nostro, ubi alias lege et usu receptum est, quotidie bis vacare huic sancto exercitio, se ipsos tot fructibus voluerint defraudare; quinimo, cum certum sit, quod ex vi status in conscientia obligemur omnes conari et aspirare ad religiosam perfectionem, idque non perfunctorie, sed serio, nec minus certum sit ad eam aut ficte aut frustra conniti eum, qui aliis intentus viam regiam orationis mentalis praetermittit, unusquisque cum pavore consideret manifestum animae suae periculum, si modum hunc proficiendi tam necessarium irreligiose neglexerit. Proinde ultra poenam absolutionis ab officio supra taxatam, insuper ei, qui tempore meditationis ordinariae praeest in choro, praecipimus in virtute spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto, ne illud spatium dimidiae horae, quod praefiximus, umquam abbreviet, multo minus totam orationem mentalem sive post completorium sive post nonam aut respective post matutinum, quacumque hora id recitari contigerit, aliquando sinat omitti.

Sub eodem formali praecepto statuimus, quod in omnibus nostris studiorum collegiis pro quotidiana oratione mentali semel per diem ab omnibus uno in loco insimul peragenda fixe deputetur unius dimidiae horae spatium continuum, ibique sub poena arbitrio p. rectoris taxanda et inevitabiliter exequenda intervenire et adsistere teneantur omnes, quocumque officio, gradu vel titulo censeantur, non obstantibus cuiuscum-

que collegii propriis statutis, legibus, consuetudinibus aut stabilitis horarum et exercitiorum distributionibus, etiam apostolica constitutione, iuramento vel quavis alia firmitate praemunitis ac roboratis, quibus quoad hoc speciali auctoritate apostolica et nostra expresse derogamus, harumque serie derogatum efficaciter declaramus, iisdem quoad reliqua in suo robore, valore et usu permansuris.

Porro quicumque in domibus nostris aut functione actualis lecturae aut quovis alio legitimo titulo a continua chori sequela eximuntur, nequaquam ob hoc reputentur exempti a quotidiana obligatione orationis mentalis, quae post completorium habetur in choro; quod si ab ea ex quacumque causa legitima vel illegitima interdum abfuerint, nihilominus teneantur illamet die saltim unius dimidiae horae spatium integrum sepositis aliis occupationibus privatim insumere orationi mentali, idque his praecipimus sub formidabili obtestatione divini iudicii et sub poena carendi pro illa die omissionis communi participatione meritorum ac bonorum operum totius ordinis. Excipimus autem solos itinerantes et infirmos actuali aegritudine vere impeditos.

Similiter sub indispensabili rigore praecepti formalis in omnibus nostro ordini subiectis monialium coenobiis deinceps utraque tam matutina quam serotina oratio mentalis in choro ad continuum dimidiae horae spatium semper extendatur sive post completorium ac matutinum immediate sive alio tempore commodiori per provincialem aut visitatorem fixe et immobiliter praescribendo, eique tota communitas, infirmis dumtaxat exceptis, impraetermisse teneatur usque ad finem adsistere.

2. Item ordinamus et stricte iniungimus omnibus et singulis nostri ordinis religiosis, quatenus sedulo amplectantur, si qui forte nondum amplexi sunt, et devote exequantur id, quod de annua 10 dierum recollectione ab omnibus facienda per plura capitula generalia, nempe Valentinum 1647 ord. 2., Romanum 1650 conf. 4., item Romanum 1656 admonit. 9. saluberrime praescriptum fuit. Circa quod unum praecipue universorum memoriae inculcamus videlicet indulgentiam plenariam a Paulo V. fel. rec. pro hoc pio sanctoque exercitio his verbis concessam: « Qui de suorum superiorum licentia a negotiis per decem dies in cella alieni commorabuntur aut ab aliorum conversatione separati in piorum librorum et aliarum rerum spiritualium animas ad devotionem et spiritum reducentium lectionibus operam suam dederint, addendo saepe considerationes et meditationes mysteriorum fidei catholicae, divinorum beneficiorum, quatuor novissimorum, passionis domini nostri Iesu Christi et aliorum exercitiorum et orationum iaculatoriarum aut vocalium, saltem per duas horas in diem et noctem orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem aut annualem

vel ordinariam, sacratissimum eucharistiae sacramentum sumpserint aut celebraverint missam, toties pro quolibet praedictorum exercitiorum plenariam similiter omnium suorum peccatorum indulgentiam et remissionem in domino concedimus ». Cui deinde ad maiorem stimulum accessit novissime apostolica confirmatio ss. d. n. Clementis X., ut appareat, quanta sollicitudine hoc opus urgeatur.

Hoc ergo sanctum ac saluberrimum exercitium, quo religiosi utriusque sexus nostri ordinis annuae 10 dierum recollectioni piis meditationibus sacrisque lectionibus insistendo ad perfectiorem vitae puritatem se disponunt, iam in religiosioribus coenobiis inaestimabili animarum profectu introductum, toto virium impendio confirmamus atque in conventibus, ubi forsan hucusque usum non obtinuit, volumus ac serio praecipimus prioribus tum provincialibus tum conventualibus, ut omnino illud satagant quantocyus introducere, utpote ad renovationem et fomentum spiritus apprime necessarium.

Ad quod, licet omnes et singulos nostri ordinis religiosos utriusque sexus, quanto possumus ardore et connixu, in domino hortemur, praecipue tamen priores sive provinciales sive conventuales, item nostrorum monasteriorum priorissas ante susceptionem seu acceptationem provincialatus vel prioratus respective, nec non praedicatores et missionarios pro tempore, quo ad munus praedicationis vel missionis accinguntur, aliquos vero peculiari ratione ad id omnino teneri volumus et declaramus, scilicet :

I. Recipiendos ad habitum sive clericorum sive conversorum, postquam in capitulo fuerint acceptati, antequam habitum suscipiant.

II. Novitios simplices in anno probationis, immediate antequam hi solemnem professione emittant.

III. Novitios professos, quotiescumque eos contigerit ad aliquem ex ordinibus sacris promoveri.

Praecipimus igitur tum provinciarum seu congregationum tum conventuum praesidentibus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon sub poena absolutionis ab officio statim infligenda, ut hic expressos et nominatos omnino adstringant pro tempore sic designato ad hanc piam sanctamque 10 dierum recollectionem, qua ad ingressum ordinis, ad professionem emittendam et ad sacros ordines suscipiendos ferventius ac fructuosius se disponant. Quam ordinationem etiam pro recipiendis inter moniales et ad professionem admittendis intelligi volumus et sub eodem praecepto et poenis priorissis praecipimus et mandamus.

3. Ob specialem reverentiam ac devotionem erga duo praeclara ecclesiae lumina s. Augustinum et b. Albertum Magnum, a quibus tam-

quam fontibus noster angelicus praeceptor d. Thomas Aquinas suae sapientiae et doctrinae hausit fluenta, utpote huius auditor et discipulus, illius vero fidelissimus sectator, decernimus ac statuimus, quod, quotiescumque in conventibus, ubi feria 4. non impedita recitatur in choro officium de s. Thoma Aquinate iuxta ordinationem capituli generalis Barcinonensis 1574, confirmatam Romae 1608 ord. 2., deinceps addatur in vesperis et laudibus memoria de b. Alberto Magno, in missis vero tam conventuali quam privatis memoria de s. p. Augustino, sub cuius regula militamus.

4. Recolentes iustoque animi sensu ponderantes, quot praeceptis qualibusque censuris ac poenis, et quidem gravissimis, prohibitus ac sub maledictione s. p. n. Dominici omnino damnatus sit in ordine nostro non solum per plura capitula generalia, verum etiam per apostolica decreta recursus ad favores principum, magnatum aliorumque extraneorum pro impetrandis, media eorum intercessione, gradibus, administratione, officiis seu pro poenitentiis evadendis aut superiorum praeceptis declinandis; ex quo anathematizato recursu religionis ruina oritur, ut loquitur cap. generale Romanum 1589, eiusdem status atque tranquillitas summopere perturbatur, distributivae iustitiae aditus intercluditur, ambitioni via aperitur et demum indigni, utpote audaciores, virtute praeditis ac benemeritis in sua se humilitate ac modestia continentibus interdum praeferuntur; nos in tantae pestis remedium confirmamus et, quatenus opus sit, omni rigore observandam innovamus ordinationem capituli generalis Romani 1650 conf. 8. § « Denique ne legis tam sanctae etc. », qua praecipitur, ut omnia ea, quae de hac materia vel a summis pontificibus vel a capitulis generalibus aut magistris ordinis statuta reperiuntur, summarie et unitim collecta atque impressa ad singulos conventus transmissa, ibidem in omnibus nostris conventibus et religiosis communitatibus bis in anno coram omnibus praelegantur. Quapropter in praedictae ordinationis exequutionem praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, necnon sub poena privationis officii ipso facto incurrenda omnibus et singulis nostrorum conventuum prioribus seu praesidentibus, ut epistola rev. magistri ordinis has prohibitiones, praecepta ac censuras in unum comprehendens, quae ad calcem actorum praesentis capituli adnectitur, in publica mensa coram communitate bis in anno, scilicet feria 6. post primam dominicam adventus et feria 6. post festum Corporis Christi indispensabiliter praelegatur, ac de huius ordinationis nostrae observantia priores seu conventuum praesidentes testimonium in scriptis teneantur exhibere in actuali visitatione rev. p. provinciali, qui de hac re sedulo inquirat ac inobedientes, si quos inveniat, irremissibiliter ab officio absolvat.

5. Quam necessarium sit ordinis nostri instituto ac scopo studium divinarum scripturarum, clare praevidit sollicitequе a primis initiis perpendit ss. p. n. Dominicus, ideoque, ut legimus, fratres assidue hortabatur, ut praedicationi evangelicae ad eumque finem lectioni sacrarum scripturarum summo studio vacarent, studio, inquam, non qualicumque, sed summo. Hinc primum ordinis capitulum generalissimum Parisiis anno 1236 hanc in nostris assiduitatem supponens id solum cavit, ne quisquam sacris literis obtrudat alium sensum literalem, nisi quem sancti approbant et confirmant; ita dist. 2. cap. 14. text. 10. Exinde singula fere capitula generalia perenni serie et cura professoribus nostris praelectiones biblicas inculcarunt, praesertim Ferrariense 1290 ord. 11., Patavinum 1308 ord. 14., Metense 1421 ord. 4., Senense anno 1462 ord. 4., Ianuense 1513 declar. 11., Salmantinum 1551 ord. 10. His porro anno 1547 gravissimum pondus adiecit irrefragabilis auctoritas concilii Tridentini, dum sess. 5. de reform. cap. 1. sic praecipit: « Sacrosancta Synodus piis summorum pontificum et probatorum conciliorum constitutionibus inhaerens easque complectens et illis adiiciens, ne coelestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem spiritus s. summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, statuit et decrevit, quod in illis ecclesiis etc. » moxque ad regularium coenobia descendendo haec subiungit: « In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere possunt, sacrae scripturae lectio similiter habeatur; quae lectio a capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus magistris ». Tanti nimirum fuit, nullibi languere hoc studium apud regulares. Unde et perrexerunt generalia nostra capitula toti ordini idipsum iugiter commendare, ut patet ex Bononiensi 1564 ord. 4., Barcinonensi 1574 ord. 9., Valentino 1647 ord. 10.; quibus novissime accedit ss. d. n. Clementis X. paternus atque efficax impulsus, quo nobis pro sua benignitate studium hoc sacrae scripturae in religione nostra promovere toto virium conatu suadere et mandare dignatus est.

Tot igitur tantisque pontificum, conciliorum et generalium capitulorum decretis firmiter insistentes, quanta possumus districtione, mandamus et ordinamus, quod deinceps omnes ubique studentes theologi tam formales quam ii, quos alicubi materiales vocant, quatuor annis integris teneantur vacare quotidianae ac publicae lectioni sacrae scripturae, ita quod numquam censebuntur cursum tbeologicum rite complevisse vel a scholis absolvi, donec totum quadriennium huic ordinariae lectioni sacrarum scripturarum eiusque conferentiis ac circulis assidue impenderint, ad eum plane modum, quo sese theologiae scholasticae per idem tempus applicuerunt.

Ubicumque vero studiis nostris ad minimum tres actuales praesunt moderatores, nempe duo professores theologiae et unus magister stu-

dentium, sic distribuantur materiae praelectionum, quod primus discipulis continuo tradat scholasticos tractatus theologiae speculativae, secundus iisdem quotidie praelegat quaestiones et expositiones pure scripturales, tertius autem resolutoria methodo illos doceat theologiam moralem. Et unusquisque horum praesideat ipsemet conferentiis circulis et conclusionibus propriae suae materiae, quam actu legit.

Similiter ubi sine magistro studii duo tantum existunt lectores theologiae, primus eorum uno anno praelegat theologiam speculativam, altero moralem, quotannis alternando; secundus vero invariabiliter persistat in continua praelectione et exercitio literali sacrae scripturae; et ambo quotidianos circulos alternatim communi disputationi exponant.

Porro lectio ista scripturalis nequaquam fiat modo rethorico, sed ordine ac stylo scholastico textuali adhaerendo sensui literali absque digressionibus ac parergis, dissipando pravas interpretationes haereticorum tam veterum quam modernorum, firmando sensum catholicum, nodos difficiliores accuratius explicando et novarum opinionum argumenta solide ex propriis doctrinae sacrae diluendo. Sensus vero mysticus, sicubi praeteriri vix potest, obiter dumtaxat perstringatur.

Insuper sicut huiusmodi lectionem scripturalem sub tali methodo suis professoribus valere pro gradu et forma statuimus, ita si eamdem vel ex praescripta iam regula tractare neglexerint vel a modo illius proprio ad inutiles speculativarum subtilitatum apices relicta literae medulla passim diverterint, nolumus hoc eis studium ad ullam promotionem in posterum suffragari.

Quia vero ante istorum capitularium actorum promulgationem fortasse plerisque in locis secundarii theologiae lectores iam alios tractatus ex summa d. Thomae praelegere inceperunt, iisdem permittimus, quod illos ad finem prosequantur et, qua potuerint brevitate, absolvant, dummodo post proximum ab hac promulgatione futurum Pascha vel ad summum eodem anno post festum exaltationis s. Crucis lectionem sacrae scripturae toto spiritu ac fervore assumant. Interea sese privatim ac serio ad eam praeparare satagant, commentaria probatorum expositorum undequaque pro virili conquirant, meliorum scriptorum in sacra biblia lucubrationes, notas, canones et prolegomena diligenter evolvant, materiam ordinent ac disponant, ut ad tractandam maiestatem divinorum oraculorum ea qua decet gravitate atque peritia instructissimi accedant.

Denique provincialibus et congregationum vicariis sub gravissimo conscientiae onere ac poena irremissibili absolutionis ab officio aliisque magistro ordinis arbitrariis rigidissime praecipimus, quod suprascripta in studiorum conventibus adamussim faciant indilatae executioni mandari ac stabiliter observari, teneanturque de his singulis ad effectum perductis

quantocyus magistrum ordinis reddere certiorem, ut ei secure constet, hanc saluberrimam ordinationem debita observantia nullibi frustrari.

6. Quandoquidem non in unoquoque conventu pro lectore philosophiae aut theologiae constitutae sunt scholae, et tamen constitutiones nostrae dist. 2. cap. 1. textu 2. nullum admittant conventum absque priore et doctore, utique primitivorum patrum ac legislatorum ea mens fuit, quod etiam ubi nulli scholastici cursus peraguntur, nihilominus aliqua saltim domestica inter nostros vigeant exercitia litteraria et communicatio doctrinae, qua utiliter occupentur ingenia, proscribatur otium et animi excolantur assidue ad proximorum salutem congrue promovendam, itaque in conformitate tot capitulorum generalium praesertim Oxoniae 1280, Florentiae 1281, Viennae 1282, Romae 1571, Barcinone 1574, iterumque Romae 1580, Salmanticae 1551, Venetiis 1592, denuo Romae 1601, Vallisoleti 1605 in primis decernimus ac mandamus, quod in nullo conventu, quantumcumque exiguo, desit idoneus pater a provinciali deputandus, qui ter in qualibet hebdomada coram tota communitate instituat loco publico conferentiam de casibus conscientiae, adminus per horae dimidium qualibet vice duraturam. Pater vero ad hoc deputatus omni die dominico mane affigat valvis refectorii in scheda expressos tres casus morales, per illam hebdomadam suis diebus resolvendos, ut quilibet privato studio parare se possit ad eos ventilandos. In eadem scheda apponatur dies et hora, qua singuli erunt publice discutiendi; quisquis vero seu patrum sacerdotum seu fratrum clericorum se ab isto exercitio subduxerit, a praeside conventus infallibiliter sessione in terra puniatur. Modus autem istius conferentiae talis erit: Primo deputatus pater casum proponet et, si voluerit, brevissime pro et contra aliqua motiva adiiciet, deinde quilibet praesentium sive sponte sive a priore vel superiore conventus provocatus suum desuper sensum, discursum vel dubium proferet ad rem et succincte, denique idem pater deputatus casum ex propriis fundamentis resolvet.

Idem per omnia observetur in conventibus, ubicumque viget studium philosophiae aut theologiae, hoc solo dempto, quod actuales studii illius moderatores eorumque discipuli studiis speculativis addicti ad huiusmodi conferentiam accedere non tenebuntur. Ceteri vero, qui ab ea se subtraxerint, eidem ut supra poenae irremissibiliter subiiciantur.

7. Renovamus ordinationem 13. capituli generalis Romae anno 1629 celebrati, quae sic habet: « Ordinamus, ut quando in visitatione sive provincialium sive aliorum visitatorum aderit sufficiens causa absolutionis priorum conventualium sive ex culpa in suo regimine sive ex alio, quae non inducat infamiam personalem, ad legitimam huiusmodi priorum absolutionem sufficiat, ut de causa vere constet et capita, quae adversus

priorem a subditis in visitatione proponuntur, sint ab eisdem manu propria subscripta et visitatori tradita, ut admoneat priorem, ut ad obiecta sibi in scriptis respondeat. Quibus omnibus deinde a provinciali in consilio duodecim vel octo patrum, vel saltem quatuor in provinciis desolatis, in alio conventu examinatis ac discussis, statuatur, quid agendum fuerit. Hanc autem procedendi formam ita a nobis praescriptam sufficientem ad absolutionem declaramus, ut prior, qui secundum eam fuerit absolutus, de sibi denegata iustitia conqueri minime valeat. Si vero delicta prioris, adversus quem agitur, infamiam ordini et personae inurant, tunc iuris servato ordine iuridice procedatur. Admonemus tamen patres provinciales eisdemque praecipimus, ne postremo sui officii anno, praesertim infra tres menses ante finem absque urgentissima necessitate priores a suis officiis absolvant vel fratrum mutationes faciant, praeterquam in casibus in nostris constitutionibus expressis ».

Porro haec verba initio posita « sive ex culpa in suo regimine sive ex alia, quae non inducat infamiam personalem etc. », pressius ita explicamus, ut intelligantur de illis culpis, quibus absque incursu personalis infamiae ex generali lege vel statuto simpliciter annexa est poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ad quam opus non erit iuridico testium examine, sed sola facti declaratione in individuo et executione praedictae absolutionis sive per constitutiones sive per capitula generalia hactenus taxatae. In reliquis vero excessibus personalem infamiam complectentibus forma legitimi processus adhibeatur.

8. Cum Ulissipone anno 1618 ordinat. 4. bene statutum sit, quod unus tantum confessarius ordinarius cuicumque monasterio monialium deputetur aut duo ad summum, si ob multitudinem monialium id necesse fuerit, cumque Venetiis anno 1592 ord. 8. admoniti fuerint provinciales, quod nonnisi personas aetate graves, maturas ac discretas religiosisque moribus ornatas in monialium confessores praeficiant, ut earum saluti spirituali et profectui in via Dei consulere possint, quod pridem etiam Senis 1462 ord. 5. et rursus Vallisoleti 1605 ord. 20. fuerat constitutum, idcirco nos tot capitulorum vestigiis pari sollicitudine inhaerentes, primo quidem districte prohibemus, ne in posterum ulla monialis sacramentaliter alteri possit confiteri praeterquam confessariis a provinciali de consilio patrum destinatis. Proinde et ipsos provinciales, renovando praedictam capituli Veneti admonitionem, serio hortamur, ne monialibus sive ordinarios sive ter in anno extraordinarios deputent confessarios nisi viros iudicio patrum consultorum probatissimos ac spiritu religionis optime imbutos, quique inter alia orationis mentalis usum, zelum et affectum habeant, ut in hoc salutari exercitio moniales sibi commissas apte dirigere possint ac methodice erudire.

9. Ordinamus et quod toties per complura generalia capitula inculcatum fuit, praecipue Romae 1656 declar. 19., denuo mandamus districteque praecipimus tum provincialibus tum prioribus seu conventuum praesidentibus, ne cuiquam suorum fratrum sive domestico sive hospiti audeant licentiam concedere generalem seu vagam et indeterminatam exeundi e domo, etiam si sit magister acceptatus, ut vocant, aut pater provinciae, quamcumque in contrarium consuetudinem seu potius abusum aut corruptelam tenore praesentium abolentes. Quam prohibitionem alias expresse factam per fel. rec. Clementem VIII. in memoriam revocamus et omnino a prioribus seu conventuum praesidentibus observari praecipimus sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda.

10. Cum nedum per plura capitula generalia praesertim Perpiniani 1327 ord. 6., Bononiae 1410 conf. 10., Ferrariae 1498 ord. 4. et Romae 1629 ord. 29., sed etiam ex textu espresso nostrarum constitutionum dist. 2. cap. 12. textu 5. diligens sit adhibenda cura in institutione seu promotione praedicatorum generalium, ita ut ad huiusmodi titulum et gradum ii tantum sint promovendi, qui alias non solum in theologia, sed etiam in sacra scriptura sanctisque patribus apprime versati, gloriose ac fructuose concionando, praefatum praedicatoris nomen sibi non immerito vendicare videntur, harum serie confirmamus et, quatenus opus est, innovamus ordinationem undecimam capituli generalis Venetiis celebrati anno 1592, qua decernitur, ut nullus praedicatoris titulo insigniatur, nisi examinatorum iudicio per vota secreta ad munus praedicationis idoneus reperiatur. Unde praefatae ordinationi insistendo examen eorum, qui in posterum promovendi erunt ad gradum praedicaturae generalis in provinciis ultra montes committimus quinque examinatoribus a patribus provincialibus, citra montes vero a reverendissimo magistro ordinis dumtaxat designandis ac deputandis, qui coram provinciali in visitatione vel in capitulis provincialibus promovendos seu instituendos in praedicatores generales rigorose examinare teneantur in sensibus sacrae scripturae eiusque interpretatione ac expositione sanctorum patrum nec non in modo et forma componendae concionis. Quorum examinatorum conscientias in diem iudicii oneramus, imo iisdem in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto districte mandamus, ut, semota omni passione odii aut amoris, solum deum et iustitiam prae oculis habentes eos dumtaxat approbent, quos in materiis iam dictis idoneos ac versatos invenerint, ceteris minus aptis et imperitis omnino exclusis.

Pro provincia autem Romana specialiter, annuente reverendissimo magistro ordinis, ordinamus, ut ii, qui in posterum creandi erunt praedicatores generales aut qui iam creati seu instituti per litteras patentes

pro locis vacaturis, antequam praefata loca opportuno tempore obtineant, teneantur indispensabiliter praedictum examen subire Romae coram eodem reverendissimo magistro ordinis. Quod si eorum aliquis ad examen se exponere recusaverit, pro non promoto habeatur ac subinde titulo, voce aliisque privilegiis praedicatoribus generalibus competentibus sit absque alia declaratione exspoliatus, imo prorsus inhabilis, ut deinceps ad praedicaturam generalem possit promoveri.

11. Item in memoriam revocamus id, quod alias saepius in praeteritis capitulis generalibus fuit expresse ordinatum, et nos in praesentiarum denuo districte iniungimus et praecipimus, nempe praedicatores generales residere in conventibus, pro quibus titulo praedicaturae generalis sunt insigniti, ibique officio praedicationis ac praesertim promotioni sanctissimi Rosarii omni, qua par est, devotione et zelo insistere teneantur. Quod si in conventu sui tituli praedicta exequi renuerint, nedum voce in capitulo provinciali, verum etiam ingressu in consilium patrum conventus sint ipso facto privati; idque indispensabiliter volumus observari, de cuius exequutione conscientias provincialium in visitatione oneramus.

12. Ordinamus ad praestandam exactiorem in officiis diligentiam, quod hi, qui de iure vel ex superiorum mandato ad aliquod munus, nempe tenendi in choro officium, ad quod in tabula notati sunt, vel cantandi missam, audiendi confessiones, veniendi ad consilium conventus aut ad alias huiusmodi functiones destinati, absque urgenti impedimento et causa negligentes inventi fuerint aut exequi noluerint, si admoniti prius a superiore conventus obedire neglexerint, iure paternitatis in consiliis sint ipso facto privati aliisque poenis arbitrio superiorum severe respective puniantur.

13. Ordinamus et districte omnibus ac singulis tam provinciarum et conventuum praesidentibus quam ceteris nostri ordinis patribus ac fratribus serio praecipimus, quod licentias seu facultates obtentas ac concessas et in posterum obtinendas et concedendas a reverendissimo patre magistro generali pro transferendis affiliationibus fratrum de uno conventu ad alium cum debita reverentia, uti tenentur, recipiant, illaeque validae omnino ac indisputabiles habeantur, non obstantibus quibuscumque in contrarium.

14. Item ordinamus et sub poena absolutionis ab officio praecipimus omnibus patribus seu conventuum praesidentibus, ut fratres per reverendissimum magistrum ordinis assignatos et ad conventus propriae assignationis transmissos debite recipiant; non admittentes vero aut praedictis assignationibus quoquo modo resistentes, ultra absolutionis poenam, quam ipso facto incurrent, inhabiles ad prioratus officium ad sexennium per praesentes decernimus et declaramus.

15. Ordinamus fratres conversos ad solemnem professionem in religione nostra nullo modo deinceps admitti, nisi prius per duos integros annos in habitu tertiariorum, ubi mos est, vel in habitu conversorum conventui probe, religiose et charitative inservierint et annum probationis sub cura magistri conversorum in conventibus designatis laudabiliter expleverint iuxta ord. 8. generalis capituli Bononiae 1615, quam inviolabiliter observari volentes, dispensare provinciales super hoc omnino non posse decernimus.

16. Ordinamus circa fratres fugitivos et vagabundos constitutiones et ordinationes capitulorum generalium irremissibiliter et punctualiter observari, quod videlicet isti a prioribus seu conventuum praesidentibus nonnisi ad carceres recipiantur, Romae 1474 ord. 5., sed acriter puniti ad proprias remittantur provincias, Lugduni 1450 ord. 7., nec illos absque speciali licentia reverendissimi magistri ordinis possint provinciales aut priores in suis provinciis et conventibus assignare aut detinere sub poena absolutionis ab officio, Romae 1518 ord. 5.; hos autem fugitivos et vagos, si qui tales in praesentiarum in aliquo conventu inventi fuerint, ex nunc absque alia declaratione ad suas remittimus provincias; impensas autem pro eis in carcere detentis conventus, quorum sunt filii, solvere tenebuntur iuxta ordinationem capituli.

17. Ordinamus, quod, si superiores conventuum aut syndici seu procuratores vel semel defecisse in fidelitate circa administrationem bonorum temporalium conventus eis demandatam reperti vel convicti fuerint, statim ab huiusmodi officiis per superiorem removeantur, eosque nullo pacto posse iterum ullibi adsumi ad eadem vel similia officia absque speciali indulto reverendissimi magistri ordinis in scriptis exprimendo decernimus. Quod si forte contingat, illos absque tali expressa rehabilitatione iterum ad eadem ministeria assumi, talem electionem seu assumptionem ex nunc pro tunc annullamus eamque nullam et invalidam esse volumus et declaramus.

18. Ordinamus, quod magistris in provincia acceptatis et exprovincialibus assignetur seu deputetur frater conversus pro eorum servitiis, qui eis charitative et diligenter inservire tenebitur, absque tamen exemptione eiusdem a communi servitio conventus.

19. Ordinamus, magistros novitiorum a diffinitorio provincialis capituli electos et designatos, qui per tempus statutum ab ultimo capitulo Valentino digne, laudabiliter et cum fructu regularis observantiae suum officium expleverint, gaudere privilegio eiusdem capituli Valentini anno 1647 inchoatione ultima concesso, verificatis tamen conditionibus per praefatum capitulum appositis, et non aliter neque alio modo, videlicet quod praedicti magistri novitiorum primo sint in capitulo provinciali per diffinitorium electi ac designati ad huiusmodi officium, secundo quod

per sex annos continuos integros functi fuerint praefato officio, tertio quod per diffinitorium capituli provincialis decretum ac declaratum sit, eos laudabiliter per huiusmodi tempus dictum officium exercuisse.

20. Insistentes exequutioni eorum, quae in ultimo capitulo Valentino ord. 13. et in capitulo Romano 1650 conf. 14. de universali nostri ordinis historia compilanda atque in meliorem formam reducenda ac terminanda efficaciter praescripta et confirmata sunt, omnibus et singulis nostri ordinis provincialibus et congregationum vicariis mandamus, ut si adhuc historia propriae provinciae aut congregationis confecta et in lucem edita non sit, omni studio ac diligentia procurent, eam confici et compilari; ac proinde eisdem praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, imo sub poena nullitatis actorum capituli provincialis, ut in futuro proximo uniuscuiusque provinciae capitulo provinciali in communi diffinitorio eligendum procurent et de facto eligant virum doctum, prudentem acrisque iudicii, cui committant propriae provinciae vel congregationis historiam concinnandam; eidemque teneantur priores sub poena absolutionis ab officio infra trimestre a celebratione capituli transmittere e singulis conventibus, quidquid in iis singulare ac memoria dignum fuerit et ad ordinis sanctitatem dignitatemque spectare videbitur, ut ab ipso in corpus historiae provinciae digeri queat. Cuius tamen historiae exemplar, antequam ea typis mandetur, ad magistrum ordinis pro examine auctor transmittere teneatur.

21. Tandem ordinamus et districte praecipimus omnibus prioribus sive provincialibus sive conventualibus, ut omni diligentia ac studio sedulo incumbant in conservatione nostrorum privilegiorum, praecipue circa privilegium praecedentiae, qua gaudet ordo noster, utpote antiquior, super reliquos ordines mendicantes, etiam clericales regulares, ex pluribus pontificiis decretis et constitutionibus praesertim ex speciali indulto seu declaratione sanctissimi pontificis Pii V. sub dat. Romae 27. augusti 1568, necnon Clementis VIII. const. 13. incip. « Inter caetera » sub die 25. septembris 1592. Qua in re ad tollendas omnes et quascumque dubietates in futurum novissime emanavit decretum sacrorum Rituum congregationis, quo declarat, praecedentiam hierarchicam servatam in ultima canonizatione quinque sanctorum, nempe Caietani Thienaei, Francisci Borgiae, Philippi Benitii, Ludovici Bertrandi ac Rosae de s. Maria, nullum praeiudicium afferre praecedentiae ordini nostro ex privilegiis apostolicis super reliquos ordines mendicantes, etiam clericales, quomodolibet competenti. Tenor decreti est iste:

Ordinis praedicatorum et servorum b. Virginis.

Cum ss. Rituum congregatio declaraverit sub die 29. mensis novembris, ita etiam annuente sanctissimo die 6. mensis decembris proxime

praeteritorum in futura proxima canonizatione servandum esse ordinem hierarchiae ecclesiasticae, nempe antecedere debere primo illos status clericalis, secundo illos status regularis, tertio inter plures eiusdem ordinis attendendum esse tempus mortis; attamen supplicantibus tam patribus ordinis praedicatorum quam servorum b. Virginis tantum attendi debere tempus mortis, quo beati obdormierunt in domino iuxta stylum hactenus servatum. Et auditis illis de statu clericali, eadem congregatio ss. Rituum stando in decretis declaravit, praedictum decretum intelligi debere sine praeiudicio praecedentiae tam patrum praedicatorum quam servorum b. Virginis quomodolibet in omnibus et quibuscumque actibus et functionibus publicis et privatis de iure ac ex consuetudine hactenus competentis. Hac die 24. ianuarii 1671. Et facta de praedictis relatione sanctissimo per me infrascriptum secretarium, sanctitas sua annuit. Die 26. eiusdem mensis ianuarii et anni 1671.

M. ep. Portuen. card. Ginettus.

Loco † sigilli.

Bernardinus Casalius ss. Rit. congreg. secr.

**Admonitiones.**

1. Cum ex vi propriae ad regularem statum vocationis unusquisque ordinis nostri religiosus teneatur pro viribus adniti, ut secundum regulam et constitutiones, quas profitemur, vivat, prout singuli in praeactae professionis formula Deo diserte promisimus, admonemus et, quantum in domino possumus, hortamur atque evangelica omnes excitamus tuba, quatenus universi patres ac fratres nostrae curae subiecti propriae obligationis memores exactiorem amplectantur observantiam. Ad cuius feliciorem effectum omnibus et singulis religionis nostrae praesidentibus districte praecipimus, quod supremi magistri attendentes methodum, qui prius cepit facere quam docere, non solum verbo, sed proprio exemplo in provinciis seu conventibus sibi commissis exactissimam observantiam omni conatu promoveant. Quod cum sit eisdem per plura capitula generalia saepius impositum et sub poena absolutionis ab officio demandatum, praesertim Bononiae 1410 ord. 4., Salmanticae 1551 ord. 1. et Valentiae 1596 commissione 2., praefata saluberrima decreta sub eadem poena confirmamus et, quatenus opus est, ex integro renovamus.

2. Interiorem exterioremque hominem paupertatis spiritu, prout solemniter professi sumus, formari et conformari cupientes, quatenus sint nobis omnia communia, nec aliquorum peculium sit ipsis in salutis periculum, admonemus serio stricteque iniungimus observare exactissime omnia statuta, decreta et ordinationes generalium capitulorum de depo-

sito fratrum in communi arca seu capsa aut saltem apud depositarios ad id per consilium patrum conventus specialiter electos asservando, conformiter ad ea, quae in capitulis Salmanticensi 1551 ord. 3. et Romano 1644 ord. 11., salubriter sancteque sancita sunt, humiliter supplicantes reverendissimo magistro ordinis, ut in huius observantiae ac religionis fundamento sedulo invigilet, quantum pro suo zelo in domino iudicaverit expedire.

3. Item admonemus tum omnes et singulos priores seu conventuum praesidentes tum syndicos seu procuratores, ne vestiarium seu sufficientiam, ut vocant, patribus aut fratribus, cuiuscumque sint gradus, qualitatis seu conditionis, consignent in pecunia, sed tantum in panno seu vestibus iuxta cuiuslibet indigentiam. Proinde renovamus in contrafacientes poenam absolutionis ab officio per provinciales omnino infligendam, quae fuit ordinata Vallisoleti anno 1605 ord. 28. et Romae 1644 ord. 12.

4. Cum ad salutem animarum procurandam et ob id ad evangelicae praedicationis officium exercendum ordo noster sit specialiter institutus, monemus omnes et singulos praedicatores nostrae religionis, ut, semotis vanis ac inutilibus ingenii ostentationibus, summopere studeant e suggestu non ad aures, sed ad cor loqui, memores quod supremo omnium iudici exactam rigorosamque de administrato Dei verbo, an digne, an fructuose, an efficaciter praedicaverint, reddituri sunt rationem.

Et quia quam maxime ad salutem populorum conducit sanctae missionis exercitium, mandamus omnibus et singulis provinciarum praesidentibus, ut in proximo uniuscuiusque provinciae capitulo provinciali in publico diffinitorio aliqui patres tum zelo et religione, tum doctrina et dono praedicationis praestantes seligantur et deputentur pro missionibus inter catholicos, ex quibus reverendissimus magister ordinis aliquos vel omnes missionarios instituat, prout in domino iudicaverit expedire. Qui ad huiusmodi apostolicum ministerium assumpti solum Dei gloriam et animarum salutem prae oculis habentes, spreto omni temporali lucro, per civitates et castella contra seculi vitia praedicantes ac Dei verbum ex animo evangelizantes, praedicatorum nomen non immerito sibi vendicare videantur.

5. Admonemus omnes et singulos nostri ordinis theologiae professores, quatenus attendentes ad ea, quae habentur in declaratione nostrarum constitutionum dist. 2. cap. 14. de studentibus § 1. verbo « circa studentes », nedum doctrinam nostri angelici praeceptoris d. Thomae Aquinatis fidelissime sequantur, sed etiam a concordi et communiori nostrorum thomistarum sententia, quae communi iudicio creditur asserta a sanctissimo praeceptore vel ex eius principiis deducta, nullo pacto au-

deant recedere, praecipue circa materiam de gratia et libero arbitrio seu physica praemotione. Quam doctrinam solidam ac inconcussam tum d. Thomas tum thomistae insigniores ex limpidissimo et incorrupto sanctorum patrum ecclesiaeque doctorum fonte integerrime hauserunt. Contra novatores vero, si forte insurgent, poenam privationis cuiusvis gradus et scholastici officii respective ipso facto incurrendam irremissibiliter pronuntiamus.

6. Pro studio sacrarum scripturarum promovendo admonemus tum provinciarum tum conventuum praesidentes, ut his, quibus in tam perutili pro animarum salute studio desuper datum fuerit incumbere, sive commentaria edendo sive publicae lectioni insistendo, habeant specialem respectum, eos in domino fovendo ac eisdem dispensationes caeteraque religiosa subsidia, quantum fas erit, seu iudicaverint mereri, non denegando.

7. Admonemus rev. patres sacerdotes ordinis nostri, ne missas, quas ex obligatione ad altare privilegiatum celebrare tenentur, in alias praeter intentionem obligantis transmutent vel in alio praeter altari privilegiato celebrent; imo si forte aliquis alicubi temere contrarium praesumeret, quod absit, se praefatae obligationi non satisfacturum agnoscat.

8. Admonemus insuper eosdem patres sacerdotes nostri ordinis, a quibus absolutionem peculiarem, quam vocant sanctissimi Rosarii, confratribus eiusdem societatis in articulo mortis constitutis impertiri contigerit, ut omissa omnino formula antiqua praefatae absolutionis utantur tantum ea, quae noviter breviariis et officiis beatae Mariae Virginis ab anno 1642 impressis continetur.

9. Admonemus et districte iniungimus rev. adm. patribus provincialibus et congregationum vicariis, quod notitias ac testimonia religiosae vitae ac pietatis patrum, fratrum ac sororum suarum provinciarum vel congregationum, qui vel quae insistendo vestigiis s. p. n. Dominici cum fama sanctitatis seu integritatis eximiae feliciter in domino decesserunt, undequaque diligentius colligere satagant, sicque collecta rev. magistro ordinis transmittant, quatenus inceptum diarium dominicanum compleri ac perfici curet et satagat.

10. Et quia illustrissimus et reverendissimus abbas Michael Iustinianus ex suo speciali in ordinem nostrum affectu glorioso pro religione nostra actualiter incumbit labori, opus honorificum conficiendo, quod pro dignitate materiae titulo Bibliothecae Dominicanae insignitur, omnes provinciales totius ordinis nostri monemus et harum serie obligamus, ut in actuali visitatione suarum provinciarum diligenter conquirant omnes et singulos authores nostri ordinis, qui ab initio religionis usque ad haec nostra tempora in propria ipsorum provincia floruerunt, eorum libros

sive typis editos sive manuscriptos adnotando, insuper tum authoris titulum quam materiam libri, tempus et locum cum toto libri frontispicio et inscriptione, manuscripta vero, cuius sint et in quo loco serventur, exacte explicando; sicque notata atque in ordinem digesta quamprimum Romam transmittere procurent ad rev. magistrum ordinis.

11. Item admonemus omnes provinciarum, congregationum et conventuum praesidentes, ut conformiter ad ordinationem capituli Valentini 1647, exactam diligentiam adhibeant in perquirendis insignium virorum nostri ordinis manuscriptis in propriis provinciis, congregationibus seu conventibus latentibus, quae ob mortem authorum adhuc in lucem edita non sunt, illaque rev. magistro ordinis quantocyus transmittere satagant, ut communibus ordinis expensis in publicam utilitatem et religionis decus, prout idem rev. magister ordinis sua prudentia iudicaverit, proelo data, suo non defraudentur honore.

12. In memoriam revocamus aequissimam summeque necessariam admonitionem 4. capituli Romani 1644, qua omnibus et singulis prioribus conventuumque praesidentibus efficaciter inculcatur sedula, attenta et diligens cura infirmorum sub his verbis merito hic repetendis:

« Admonemus patres priores ac praesidentes conventuum iisque in memoriam revocamus ea, quae circa curam infirmorum tum in regula s. p. n. Augustini, tum in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 7. § 1., tum in plurium capitulorum generalium ordinationibus, ut Parisiensi 1286, Salmanticensi 1551 etc., toties inculcantur. Proinde volumus, ut in singulis conventibus commoda infirmaria habeatur pro fratribus aegrotis atque languentibus, eaque nulli in privatam habitationem sive tota sive ex parte concedatur. Item deputetur idoneus infirmarius maior, cui pro exigentia officii unus aut plures fratres conversi pro ministeriali adiutorio adiungantur, teneaturque prior aut praeses conventus una cum medico et patre infirmario fratres suos infirmos benigne et crebrius invisere ac eorum necessitatibus providere. Nec syndicus aut procurator in porrigendis coemendisque his, quae ad infirmorum curam, medicinas aut necessarios usus spectant, durus sit aut inexorabilis, sed patri infirmario ea petenti charitative omnia secundum facultatem domus subministret. Priores vero aliique superiores, uti et ipsimet syndici, qui hac in re negligentes reperti fuerint, in poenam a suis officiis absolvantur, neque possint provinciales quoquomodo talibus parcere aut poenam constitutam relaxare ».

Quas ordinationes in praefata admonitione recensitas hisce renovamus volumusque omnino observari. Similiter et poenam absolutionis ab officio negligentibus hac in re impositam per provinciales irremissibiliter infligi praecipimus ac mandamus.

13. Admonemus serio, ut capituli generalis Valentini 1647 ordinatio 4. circa trinum examen de triennio in triennium confessorum, alias non graduatorum, maxime in conventibus, ubi viget studium s. theologiae, exacte et rigorose observetur. Concedimus tamen rev. adm. patribus provincialibus, quod ex iusta causa vel urgenti necessitate de consilio patrum in aliquo ex principalioribus eiusdem provinciae conventibus, ubi vigeat studium s. theologiae, approbanda cum aliquo vel aliquibus dispensare possint super secundum et tertium tantum examen; hoc tamen de facili non permittatur.

14. Ad abolendum intolerabilem abusum, qui circa titulum lectoris promiscue aut datum aut usurpatum maxime in provinciis Italiae passim invaluit, monemus ac districte mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus tum generalium studiorum moderatoribus tum eorum coexaminatoribus, ne deinceps in examine post expleta studia subeundo quemquam insignire possint titulo lectoris, sed tantum dare illi testimonium compertae habilitatis ad actu legendum, si tamen revera ipsum ad eam functionem aptum et sufficientem invenerint; alias vero, si ad actu legendum ineptus aut non satis instructus reperiatur, sub eodem praecepto teneantur omnino ab illius approbatione abstinere. Porro quicumque ab iisdem in examine ad legendum habilitate comperta fuerit approbatus et declaratus, nihilominus titulo lectoris tamdiu careat, donec a suo provinciali per patentes institutionis ad actu legendum in aliquo conventu destinetur et solum ex tunc incipiat gaudere titulo lectoris eoque potiatur, etiam postquam a legendo cessaverit. Sicque in futurum observari ubique praecipimus. Nec ullus in posterum alicui post studium examinando lectoris titulum ante ipsius factam pro actuali lectione institutionem privatim aut publice dare possit sub poena privationis utriusque vocis ipso facto incurrenda.

15. Ad instantiam nonnullarum provinciarum monendo declaramus, quod in his aliisque actis capitulorum generalium ea, quae communiter pro toto ordine decernuntur, vetantur aut conceduntur, non derogent iis, quae ibidem postea specialiter pro singulis provinciis, congregationibus aut aliquo particulari conventu ordinantur, cum potius e converso generi per speciem derogetur.

16. Item declaramus, neque provinciales neque congregationum vicarios, multo minus priores conventuales circa generalium capitulorum acta talem habere auctoritatem seu facultatem, qua possint libere in eorum seu communibus seu specialibus decretis, statutis vel inhibitionibus dispensare, cum istud ad solum magistrum ordinis pertineat. Quapropter eos admonitos omnino volumus, quatenus nedum in his dispensare non audeant, sed omni cura ac zelo eorum exequutioni efficaciter insistant.

17. Admonemus tum provinciales tum diffinitores, ut in posterum diligentius meminerint illius decreti, quod in capitulo generali Romae 1656 inchoatione 4. continetur, nempe quod nullae ad capitulum generale vel magistrum ordinis deferantur petitiones nomine alicuius provinciae, nisi subscriptae sint a toto diffinitorio capituli provincialis ac sigillatae sigillo provinciae; quod quia in praesenti nostro capitulo generali vidimus a nonnullis minus observatum, denuo praedictam inchoationem omnibus inculcamus et ex integro renovamus ac confirmamus sub adiecta poena, quod deinceps petitiones aliter factae reiicientur tamquam a forma legitima deficientes, prout complures earum ob huiusmodi defectum iuste meritoque reiicimus.

18. Tandem in memoriam revocamus admonitionem 7. capituli generalis Ulyssiponensis 1618 huius tenoris: « Admonemus adm. rev. patres provinciales et provinciarum vicarios et quoscumque capitulorum diffinitores conformiter ad ea, quae in pluribus capitulis generalibus et praesertim in capitulo generali Romae celebrato anno 1589 sancita et declarata et Parisiis 1611 ad memoriam revocata sunt, non esse videlicet in potestate alicuius provinciae praetextu cuiusvis consuetudinis aut privilegii non acceptare acta seu statuta capitulorum generalium, sed omnes et singulas provincias decretis et ordinatis in eisdem capitulis ita subiectas esse, ut unaquaeque earum teneatur ipsa acta in unoquoque conventu publicare, acceptare et inviolabiliter observare, utpote pro communi bono provinciarum, conventuum et fratrum facta, et quatenus opus esset, auctoritate apostolica revocatam et annullatam fuisse quamcumque consuetudinem aut quodcumque aliud in contrarium existens ». Quam admonitionem innovamus eique validum ac firmissimum robur adiicimus.

## Commissiones.

1. Committimus rev. magistro ordinis eumque enixe rogamus, ut instare efficaciter velit apud ss. d. n. Clementem X. primo pro solemni canonizatione nostrorum bb. Ludovici Bertrandi et Rosae de sancta Maria; secundo pro apostolica extensione officii b. Alberti Magni, ut illud quotannis a tota nostra religione privatim ac publice deinceps possit recitari, prout in aliquibus provinciis ex pontificia concessione iampridem recitatur; tertio pro expeditione causarum tum sanctissimi pontificis Pii V. tum aliorum servorum Dei nostrae religionis, quorum causae in congregatione sacrorum Rituum inpraesentiarum agitantur.

2. Committimus eidem rev. patri magistro generali ipsumque demisse requirimus, ut aliquibus patribus in peritia nostrarum rubricarum maxime versatis imponat revidenda diligenter et corrigenda breviaria, missalia aliaque ritualia ordinis nostri, pro quibus post correctionem im-

primendis impetrare satagat a summo pontifice confirmationem, ut sic in bonum ordinem redacta et perfecte emendata neutiquam deinceps immutari possint; iisdemque patribus vel aliis, quos idoneos iudicaverit, revisionem nostrarum constitutionum pro nova exactiorique impressione committere velit.

3. Committimus eidem rev. magistro ordinis eumdemque precamur, sua auctoritate deputare unum vel plures patres idoneos, qui officia propria de sanctis Raymundo, Hyacintho, Ludovico Bertrando ac Alberto ordinis nostri exacte componant, ut et rite approbata breviario nostri ordinis noviter imprimendo apponantur.

4. Item supplicamus eidem reverendissimo, quatenus historiam nostrae religionis exacte ac diligenti studio componendam alicui patri, quem huiusmodi labori idoneum et sufficientem iudicaverit, committat, ut demum in ordine historia seu chronicon undequaque perfectum et integrum omnium votis tamdiu desideratum proelo committatur.

5. Tandem committimus rev. magistro generali, ut pro usu et uniformitate religionis faciat concinnari et imprimi commune caeremoniale ordinis ex variis tum priscis tum modernis exemplaribus ad invicem collatis, adhibitis ad id viris rituum nostrorum peritissimis; itemque rogamus pro impressione bullarii ordinis.

6. Cum in capitulo generali Romae celebrato 1629 ord. 10. statutum sit, quod in hac alma urbe instituatur commune ordinis depositum ad expensas faciendas pro communi bono ac necessitate religionis, videlicet pro redimendis fratribus captivis, pro mittendis religiosis ad provincias desolatas, pro causis beatificationis et canonizationis sanctorum ordinis promovendis, pro manuscriptis insignium virorum nostrae religionis relictis imprimendis, pro negotiis totius ordinis in hac curia et in aliis curiis imperatoris, regum et principum peragendis ac denique pro aliis ordinis communibus necessitatibus, committimus rev. magistro ordinis, ut exequutioni praefatae ordinationis insistendo omnino sua prudentia procuret modum adinvenire, quo tale commune ordinis depositum quantocyus absque ulteriori dilatione fiat, cum id exigat tum praememoratae ordinationis observantia tum totius religionis commune bonum, utilitas ac necessitas.

## Concessiones.

1. Concedimus, quod festum s. Catherinae virginis et martyris, nostri ordinis comprotectricis, imposterum solemniori gaudeat ritu et in toto ordine nostro cum octava solemni celebretur. Quod idem statuimus de officio sanctissimae Trinitatis, mandantes deinde celebrari ad instar octavarum solemnium pro diebus tantum antecedentibus festum sanctissimi Corporis Christi, nempe feria 2. 3. et 4.

2. Concedit rev. pater noster magister ordinis omnibus et singulis patribus ac fratribus suae curae subiectis, quod semel eligere possint aliquem patrem sacerdotem, in ordine ad audientiam confessionum expositum, cui suam plenariam delegat auctoritatem absolvendi fratres sibi sacramentaliter confitentes pro una vice tantum ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum evulgationem contractis, a quibus ipsemet rev. magister ordinis eos posset absolvere, si eidem coram confiterentur. Idem absolutionis beneficium ex eiusdem concessione monialibus conferre possint earum ordinarii confessarii.

3. Concedit idem rev. ordinis magister omnibus rev. patribus provincialibus et diffinitoribus praesentis capituli generalis, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae ante celebrationem huius capituli generalis damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen sua humilitate, resipiscentia et rectae vitae exemplo huiusmodi favore se dignum ostenderit.

**Pro provincia Hispaniae.**

1. Ad petitionem provinciae concedimus, ut deinceps in omnibus praefatae provinciae conventibus celebretur die 10. mensis decembris sub ritu totius duplicis festum s. Eulaliae Emeritensis virginis et martyris, ob specialem ipsius provinciae erga tam insignem eximiamque martyrem devotionem.

2. Pro congrua debitaque uniformitate in recitatione divini officii in omnibus huius provinciae conventibus omnino servanda committimus adm. r. p. provinciali, ut aliquem patrem in rubricis nostris bene peritum designet, qui conformiter ad communes ordinis nostri breviarii rubricas adnotatas sanctis, de quibus in hac provincia speciale fit officium, redigat res in ordinem uniformem annualis directorii pro tota provincia. Quod tamen, antequam typis mandetur et in lucem prodeat, teneatur r. a. p. provincialis transmittere ad rev. magistrum ordinis ab ipso approbandum, prout in domino iudicaverit expedire.

3. Insistentes promotioni studiorum in hac provincia, auditis etiam ipsius instantiis, designamus ac erigimus conventum s. Dominici de Victoria in generale studium ad normam collegii et universitatis, sicque designatum, institutum ac erectum declaramus cum omnibus gratiis, privilegiis ac indultis, quibus caetera studia generalia, collegia sive universitates in ordine nostro de iure vel approbata consuetudine gaudere solent et consueverunt.

4. Approbamus concessionem olim factam huic provinciae in capitulo Romano 1601 concessione 5. huius tenoris, videlicet: « Concedimus provinciae Hispaniae, ut licentiae fratrum a rev. p. generali derivatae non mandentur exequutioni, donec provinciali illius provinciae notificentur;

prohibemus tamen quamcumque mutationem vel impedimentum circa praedictas licentias intentandas ». Et quia ex parte eiusdem provinciae fuit in diffinitorio praesentis capituli quaesitum, quisnam modus servandus sit in huiusmodi notificatione facienda r. adm. p. provinciali, declaramus, fratres praefatae provinciae, antequam dictas licentias exequutioni mandent, teneri, prout nedum urbanitas, sed ipsamet ratio subiectionis expostulat sive per literas sive oretenus certiorem reddere de his p. provincialem, qui tamen, ut in praefata concessione expresse cavetur, neutiquam poterit licentias praedictas immutare, innovare vel pro quoquo modo impedire, sed tenebitur, ea qua decet reverentia ac submissione erga supremum totius religionis caput, illas recognoscere et admittere simulque earum exequutioni insistere. Quod si aliquod forte circa nonnullam ex illis suboriatur dubium subreptionis vel obreptionis vel cuiuscumque alterius excogitabilis impedimenti, praefati dubii motiva exponantur rev. magistro ordinis ab ipso iudicanda et discutienda, nullatenus interim impedita vel retardata exequutione, sub nullitate facti, si contrarium attentari contigerit.

### Pro provincia Tholosana.

1. Confirmamus et exacte observari volumus omnes ordinationes factas tum a rev. magistris generalibus praedefunctis tum a generalibus capitulis pro observantiae regularis manutentione in hac provincia, omnesque ad illam quomodolibet pertinentes tam capita quam membra in visceribus Iesu Christi hortamur, ut eidem observantiae serio incumbant iuxta textum seriemque nostrarum sacrarum constitutionum.

2. Admonemus r. adm. p. provincialem omnesque ac singulos conventuum priores seu praesidentes pro tempore et, quantum opus est, eisdem praecipimus, ut fratres sibi subditos ad eamdem observantiam sedulo excitent illosque verbo et exemplo instruant ac in spiritu lenitatis ac charitatis zelo ad illam eos omnino compellant.

3. Monemus etiam rev. patres priores seu praesidentes conventuum huius provinciae, ut praeter rev. patrem ad confessiones fratrum conversorum excipiendas destinatum, assignent ac deputent alios, qui extraordinarie in certis ecclesiae seu sanctorum maioribus solemnitatibus eosdem audire possint, prout in domino iudicaverint expedire, illisque super hoc facultatem concedimus pro maiori praefatorum fratrum conversorum quiete.

### Pro provincia Franciae.

1. Promotioni studiorum in hac provincia insistentes ad instantiam eiusdem provinciae designamus, instituimus ac erigimus conventum Gratianopolitanum in studium generale et universitatem taliter, ut deinceps in praefato conventu studia tum philosophiae tum theologiae instituan-

tur, ut ibi iuniores fratres huius provinciae ea doceantur, ne ad alias provincias studiorum causa transmigrare cogantur; sicque designatum, institutum ac erectum declaramus cum omnibus gratiis, privilegiis ac indultis, quibus caetera studia generalia sive universitates in ordine nostro de iure vel approbata consuetudine gaudere solent et consueverunt.

2. Approbamus magisteria rev. patrum ff. Mauritii Cherprenet provincialis moderni, Eliae Couraud exprovincialis (1), Thomae Faut, Urbani Frontò, Hyacinthi Thatum, Alberti Iair huius capituli electoris, Nicolai Savecet, Ioannis Frapier, Ludovici Floriot, Iusti de Lauberiviere, Antonii Gavaiard, Ioannis Spie aliorumque, si qui sint, ab ultimo generali capitulo rite promotorum.

## Pro provincia Lombardiae.

1. Districte prohibemus, ne fratres huius provinciae, cuiuscumque sint dignitatis aut conditionis, sub quovis colore seu praetextu discurrant soli per civitatem seu terram, ubi manent, inculcantes omnibus et singulis observantiam decreti a fel. rec. Clemente VIII. hac de re emanati, cuius hic est tenor: « Nullus e conventu egredi audeat nisi ex causa et cum socio licentiaque singulis vicibus impetrata ac benedictione accepta a priore, qui non aliter eam concedat, nisi causa probata sociumque exituro adiungat non petentis rogatu, sed arbitrio suo, neque eumdem saepius ». Licentiae vero generales exeundi nulli omnino concedantur, quacumque consuetudine seu potius corruptela et abusu non obstante; contravenientes autem poena gravi etiam carceris ad superioris arbitrium severe puniantur.

2. Ordinamus, quod fratres clerici, nondum sacerdotes, raro et tantum urgente gravi necessitate permittantur egredi a conventibus per civitatem et tunc nonnisi cum eorum magistro vel saltem cum aliquo ex patribus a consilio, habita etiam a prioribus seu conventuum praesidentibus consideratione, cuius prudentiae et integritatis sint illi patres, cum quibus egredi permittuntur.

3. Declaramus ac designamus conventum s. Mariae Gratiarum Mediolani in conventum strictioris observantiae, humiliter supplicantes rev. magistro ordinis, ut sua diligentia procuret a s. congregatione super statum regularium obtineri licentiam pro praefato conventu recipiendi ad habitum novitios ibique pro anno probationis permanendi iuxta antiquum eiusdem conventus privilegium ac consuetudinem.

4. Confirmamus ordinationem factam pro hac provincia in capitulo Valentino 1647, nempe: « Quod nullus promoveri possit ad lecturam theologiae moralis, qui prius lecturam philosophiae infra spatium ad

(1) De fr. Elia Couraud cf. supra pag 1; SSOP. II, 734.

minus trium vel ad summum quatuor annorum laudabiliter ac fructuose ex integro non absolverit, nec adhuc aliquis ex lectura morali ad primam elevari possit, nisi per tres annos moralem docuerit, quacumque dispensatione non obstante; irritantes et annullantes quascumque dispensationes contra decretum huius ordinationis factas, quas praesenti statuto de facto irritas et nullas quantum ad omnia declaramus et haberi volumus ». Quam ordinationem pro studiorum felici progressu ac incremento ex integro renovamus et sub eadem poena nullitatis r. adm. provinciali pro tempore huius provinciae omnino observari praecipimus ac mandamus.

5. Inhaerendo ordinationi iam factae pro hac provincia in capitulo generali Romae 1629, videlicet: « Quod nullus lector assignetur in studio Bononiensi, nisi prius in aliquo alio conventu cursum philosophiae absolverit », praecipimus ac mandamus r. adm. p. provinciali huius provinciae pro tempore existenti, ne destinet in lectores philosophiae in conventu praefato s. Dominici de Bononia nisi illos, quos in aliquo alio eiusdem provinciae conventu laudabiliter ac fructuose cursum philosophiae integrum per triennium ad minus legendo perfecte complevisse constiterit. Quod si secus factum fuerit, eorum institutionem nunc pro tunc declaramus omnino irritam atque inanem.

6. Approbamus assignationem seu institutionem in studentem formalem conventus Bononiensis religiosi novitii professi fr. Vincentii Mariae Ursini (1) ob publicas theses ab eodem in proxime praeterito capitulo provinciali Bononiensi egregie defensas ac propugnatas, eumque omnibus gratiis, privilegiis ac exemptionibus, quibus caeteri studentes formales in praefato generali studio gaudent, frui et gaudere volumus et declaramus, quibuscumque in contrarium non obstantibus.

### Pro provincia Romana.

1. Concedimus monialibus monasterii nostri sanctae Mariae Magdalenae apud Montem Quirinalem de Urbe, quatenus singulis annis die 15. mensis maii festum s. Felicitatis virginis et martyris, cuius venerandum corpus a ss. d. n. Clemente X. obtentum in eadem ecclesia recondendum est, sub ritu totius duplicis celebretur.

2. Confirmantes declarationem 12. capituli Romani 1656, qua iuxta textum nostrarum constitutionum decernitur ac declaratur, « omnes fratres nostros, cuiuscumque dignitatis, conditionis aut gradus fuerint, nemine prorsus excepto, teneri ad assiduam chori tam nocturni quam diurni sequelam, demptis dumtaxat lectoribus et praedicatoribus actualibus ac magistris actu docentibus », monemus serio magistros huius provinciae, quos

(1) De fr. Vincentio Maria Ursini cf. l. c. pag. 814.

titulares vocant, ut suae obligationis memores a praefata chori assidua sequela nullatenus se eximant, renovantes pro huius ordinationis observantia poenam absolutionis ab officio, et privationis vocis tam activae quam passivae taxatam in capitulo Venetiis 1592 prioribus seu conventuum praesidentibus, qui eos tali indebita exemptione gaudere permittunt.

3. Item confirmamus id, quod per plura capitula generalia, praesertim Romae 1629 confirm. 1. iuxta tenorem nostrarum constitutionum prudenter ac salubriter ordinatum est his verbis: « Confirmamus id, quod pluries sancitum est, ut nullus praetextu praelaturae aut lecturae praeteritae, praedicaturae generalis sive alterius cuiuscumque officii sive etiam titulo paternitatis a sequela chori et hebdomadarii die noctuque se existimet exemptum, magistris in theologia et lectoribus actu legentibus ac praedicatoribus actu praedicantibus dumtaxat exceptis, circa quos laudabiles provinciarum consuetudines serventur; revocantes omnem usum seu consuetudinem in contrarium ». Quapropter exequutioni tam sanctae ac praenecessariae ordinationis insistendo, districte praecipimus omnibus et singulis huius nostrae provinciae Romanae praedicatoribus generalibus, alias non actu praedicantibus, ut nedum chorum die nocteque sequantur, sed etiam onus hebdomadariae subeant; quod si a praelatis admoniti facere recusaverint, pro prima et secunda vice puniantur a prioribus poenitentia sedendi in terra in publico refectorio, pro tertia vero vice declarentur ab eisdem prioribus seu conventuum praesidentibus omnino privati paternitate a consiliis ac voce ad capitulum provinciale, imo ipsa praedicatura generali, qua nunc pro tunc ipsos inobedientes et contumaces, si qui fuerint, declaramus praesenti decreto prorsus privatos et ad eam in futurum perpetuo inhabiles et incapaces; mandantes sub poena absolutionis ab officio prioribus conventualibus, ut ea, qua par est, diligentia et zelo invigilent in exacta observantia praefatae nostrae ordinationis eamque exequutioni omnino mandari curent, alias a provinciali pro tempore in visitatione ab officio prioratus ex vi huius nostri decreti de facto privati declarentur et ad illud imposterum remaneant perpetuo inhabiles.

4. Insistentes ordinationi 15. capituli Romani 1629, qua praedicatores generales sub poena privationis vocis in capitulis provincialibus obligantur ad residentiam propriorum conventuum, pro quibus fuerunt instituti, harum serie mandamus in meritum sanctae obedientiae ac sub poena per praefatum capitulum generale assignata omnibus et singulis praedicatoribus generalibus huius nostrae Romanae provinciae, impraesentiarum extra proprios conventus existentibus, dummodo tamen non sint actualiter in aliquo ex officiis in praedicta ordinatione taxatis, ut ad praefatos

conventus se conferant ibique non otiose permaneant, sed in exercitio sanctae praedicationis et praesertim in promotione devotionis sanctissimi rosarii, si opus fuerit, insinuare non renuant; revocantes omnes et singulas licentias sive dispensationes super huiusmodi ordinationem a quovis sub quocumque colore seu praetextu quomodolibet hucusque obtentas.

5. Et quia in capitulo Romano 1656 inchoatione 3. prudenter stabilitum est in solatium debitumque respectum venerabilium senum, qui in religione fructuose ac laudabiliter vivendo sexagesimum suae aetatis annum expleverunt, quod priores specialem erga eos habeant respectum in dispensando frequentius cum talibus quoad sequelam chori nocturni aliisque oneribus hebdomadariae aut servitii altaris, declaramus specialiter pro hac provincia, non esse in potestate prioris conventualis tales sexagenarios omnino et habitualiter eximere a sequela chori et hebdomadaria, sed tantum ad magistrum ordinis spectare; cui humiliter supplicamus, ne sit facilis in huiusmodi dispensationibus concedendis, sed solum causa urgente ac necessaria.

6. Commendamus huius provinciae priori provinciali, quisquis fuerit pro tempore, quatenus exactam sacrarum constitutionum nostrarum observantiam in nostro conventu s. Dominici de Fesulis iam pridem per rev. magistrum ordinis p. fr. Ioannem Baptistam de Marinis magno zelo summaque cura introductam ac feliciter continuatam omni studio ac industria fovere, defendere et promovere satagat, neminemque in illo conventu sub quocumque colore vel praetextu, etiam filiationis, degere permittat, qui non ex animo sacrae observantiae sit addictus.

7. Acceptamus affiliationes ad conventum nostrum sanctae Mariae super Minervam rr. pp. ff. Francisci Iustiniani mag., Petri Francisci de Benedictis mag., Dominici Bellucci mag., Ioseph Clarioni mag., Ioannis Alberti Boncambii lectoris, Ioannis Petri Ganuci lectoris et praedicatoris generalis et Dominici Ottomani a rev. magistro ordinis Ioanne Baptista de Marinis auctoritate apostolica olim factas ac declaratas.

8. Habendo respectum ad labores et merita adm. rev. p. mag. fr. Vincentii Mariae Fontana, qui in compilandis atque in unum volumen redigendis ordinationibus ac decretis nostrorum capitulorum generalium, nec non in aliis operibus ad religionis decorem et utilitatem edendis non parum insudavit, concedimus, ut in hac provincia Romana, cuius ipse est filius, loco gaudeat debito ex constitutionibus nostris, ac si suae provinciae fuisset provincialis, eidemque ad servitia fratrem conversum applicamus.

9. Damus in regentem studii nostri generalis Perusini pro primo loco proximo vacaturo adm. r. p. mag. fr. Gregorium Spennati, baccalaureatum vero et magisterium eiusdem studii, cum vacaverint, remittimus prudentiae ac arbitrio rev. magistri ordinis providenda.

Pro provincia Regni.

1. Ad petitionem provinciae declaramus, studentes formales extranearum provinciarum, qui in hac provincia completis studiis peractoque examine lectoratus assignantur, non habere vocem in electionibus priorum conventualium, nisi post saltem maiorem anni partem bona fide habitaverint in aliquo eiusdem provinciae conventu cum nova assignatione.

2. Admonemus omnes et singulos priores huius provinciae, nec non patres a consiliis, praesertim conventuum existentium in civitate Neapolitana, ut in admittendis ad habitum ac in affiliandis fratribus ad proprios conventus exacte observent ordinationes et decreta circa numerum taxatum pro eisdem, quem excedere omnino inhibemus sub poena in eisdem decretis contenta.

3. Admonemus r. adm. p. provincialem pro tempore, ut in visitatione fratres aliorum conventuum ad se recurrentes cito expediat, ne conventus ob diuturnam talium hospitum moram nimis graventur. Item prioribus talium conventuum praecipimus, ut huiusmodi fratres advenientes causa tractandi cum provinciali benigne recipiant et charitative pertractent, ne necessitentur hospitari in domibus secularium aut in communi diversorio, abolentes quemcumque abusum, si forte esset introductus circa solutionem pro hospitio.

4. Committimus rev. p. procuratori pro tempore rev. magistri ordinis existenti Neapoli, quatenus omni diligentia, zelo ac cura inquirat contra fratres vagos seu profugos, cuiuscumque sint provinciae, qui in eadem civitate Neapolitana absque debitis licentiis audent accedere, quos volumus per p. procuratorem praedictum ad carceres mancipari ad arbitrium rev. magistri ordinis puniendos. Item eidem p. procuratori committimus, ut sedulo invigilet, ne fratres nostri, cuiuscumque sint conditionis, per civitatem Neapolitanam soli incedant, sub poena remotionis ac perpetui exilii a tali civitate, quam per rev. ordinis magistrum transgressoribus inremissibiliter infligi enixe supplicamus.

5. Confirmamus omnes et quascumque ordinationes a rev. magistro ordinis Ioanne Baptista de Marinis piae mem. olim specialiter factas pro aedificio iam incepto in conventu s. Dominici de Neapoli, cuius exemplar, architecturam ac formam de mandato eiusdem iam stabilitam et firmatam quoquo modo immutari absque expressa licentia rev. magistri ordinis omnino prohibemus.

6. Committimus rev. magistro ordinis, ut pro sua benignitate supplicare velit ss. d. n. Clementi X. pro expeditione causae beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Aloysii de Aquino provinciae Regni, de cuius vita, virtutibus ac miraculis iam formati fuere processus auctoritate or-

dinarii ante bullam Urbani VIII. fel. rec. et nuper formatus est processus de non cultu iuxta formam decretorum eiusdem Urbani. Qui quidem processus legalizati atque clausi transmissi iam sunt ad sacrorum Rituum congregationem, et ipsis ab eadem apertis, accedente beneplacito apostolico, fuit designatus in ponentem dictae causae eminentissimus cardinalis Sigismundus Chisius.

**Pro provincia Teutoniae.**

1. Ad supplicem instantiam huius provinciae extendimus in ea numerum graduatorum, ita ut deinceps magistri, qui non poterant esse nisi sexdecim cum voce et loco, possint esse viginti et unus; similiter praesentati cum loco, qui hactenus plures quam sexdecim esse non poterant, imposterum viginti et duo esse possint. Denique praedicatores generales, quorum numerus intra viginti sex continebatur, deinceps ad triginta extensus intelligatur cum voce ceterisque iuribus annexis.

2. Acceptamus fundationem novi coenobii fratrum in Muntzbach superioris Austriae factam ab illustrissimo d. comite Ioachimo de Windhag, et quamprimum constiterit eidem domui provisum esse de stabilibus et perpetuis redditibus, qui ad alendos continuo 12 fratres sufficiant, possit provincialis pro tempore erigere in formalem conventum primumque ei priorem praeficere cum omnibus iuribus ac privilegiis ceterorum priorum conventualium.

3. Damus generali studio nostro Coloniensi in regentem r. p. praesentatum fr. Henricum Hilden (1); similiter generali studio Viennensi pro prima vacantia regentiae praeficimus in regentem r. p. praesentatum fr. Raymundum Orz (2).

**Pro provincia Poloniae.**

1. Cum in conventu nostro Giellensi magnus sit accursus et devotio populorum ad thaumaturgam beatissimae virginis Mariae imaginem, quae ibidem reperta ingentibus dicitur coruscare miraculis et clarere beneficiis, concedimus dicto conventui, quod in memoriam inventae illius sacrae iconis possit quotannis recurrente dominica proxima post festum s. Catherinae Senensis celebrare solemniter sub ritu totius duplicis officium de gloriosissima domina nostra, prorsus ad eum modum quo alias celebratur festum s. Mariae ad Nives, hoc solo dempto, quod lectiones 2. nocturni sumantur ex officio solemni conceptionis b. Mariae virginis, prout in nostro breviario ad diem 8. decembris, utendo nomine solemnitatis, non vero inventionis aut quocumque alio.

---

(1) De fr. Henrico Hilden cf. SSOP. II, 695.
(2) De fr. Raymundo Orz cf. l. c. pag. 651.

2. Prohibemus districte, ne quisquam in hac provincia pro se vel alio procuret aut postulet quemcumque gradum aliter quam per viam ordinariam petitionis capitularis; vicissim autem aggravamus conscientias eorum, quorum est in capitulo provinciali activo suffragio concurrere ad postulandos gradus promovendorum, ne ex affectu privato aut studio cuiuscumque factionis vel humani respectus quemquam conentur vel pro gradu commendare vel suo suffragio adiuvare, sed solum Deum et iustitiam distributivam singuli prae oculis habeant, cavendo, ne digniores minus dignis postponantur, et querelarum iusta detur occasio.

3. Cum limites inter hanc et Russiae provinciam dudum a capitulis generalibus praefixi et a s. sede apostolica confirmati fuerint, monemus, iidem ab utraque parte pacifice et inviolabiliter observentur, ita quod neutra harum provinciarum in alterius fines sese exporrigere unquam contendat.

4. Confirmamus et ex integro renovamus praeceptum formale olim factum a rev. magistro ordinis p. Ioanne Baptista de Marinis piae memoriae pro hac provincia sub die 16. martii 1658, quo sub poena privationis utriusque vocis ipso facto incurrenda districte inhibetur omnibus et singulis ad praefatam provinciam spectantibus, ne ad privatum et personale ministerium seu servitium pueros aut qualiscumque conditionis famulos seculares intra conventum contubernaliter seu domestice habent. Quam ordinationem cum toto suo tenore harum serie sub eodem praecepto formali ac poena iam taxata expresse confirmamus eique in futurum validum ac perpetuum robur adiicimus.

5. Iuxta petitionem provinciae concedimus, quod non obstante ord. 1. capituli generalis Romae anno 1650 celebrati, qua ad instantiam provinciae pro celebrandis capitulis provincialibus deputati fuerunt conventus Cracoviensis, Posnaniensis, Lublinensis, Praemisliensis, Varsaviensis, Gedanensis et Luceoriensis, possint nihilominus diffinitores capituli provincialis designare alios conventus praeter istos, quando contigerit aliquem ex primo deputatis non ita commode accedi posse, quod ipsorum iudicio ac determinationi relinquimus.

6. Damus in generali studio Cracoviensi in regentem pro proxima vacantia dicti officii r. p. praesentatum fr. Bernardum Schlewiz, et in baccalaureum ordinarium itidem pro prima vacantia r. p. lectorem fr. fr. Ceslaum Sulicki.

## Pro provincia Aragoniae.

1. Approbamus omnique industria, zelo ac studio foveri et conservari mandamus strictiorem nostrarum constitutionum observantiam per rev. magistrum ordinis modernum p. fr. Ioannem Thomam de Roccaberti tempore sui provincialatus feliciter introductam in conventibus s. Ildefonsi

Caesaraugustano in regno Aragoniae, Septavitensi in regno Valentiae et Gerundensi in principatu Cataloniae, volumusque omnino et adamussim observari omnes et quascumque ordinationes, statuta ac leges pro praefatae observantiae manutentione ac incremento per eundem factas. Volentes insuper, quod nemo in his conventibus possit assignari seu deputari, qui habilis ac paratus non sit regulam et sacras nostras constitutiones ad literam observare.

2. Ob singularem devotionem istius provinciae erga ss. Raymundum de Pennafort, Vincentium Ferrerium et Ludovicum Bertrandum, eiusdem provinciae filios ac patronos, concedimus, ut deinceps in quolibet istius provinciae conventu celebrentur festa horum sanctorum cum octava solemni.

3. Cum conventus nostri sanctae Mariae de Remedio oppidi de Ayerva et sanctae Mariae Consolationis de Ghothor ob penuriam ac insufficientiam reddituum non valeant numerum congruum studentium alere, et alias provincia remaneat satis abundanterque provisa de sufficienti numero universitatum, harum serie revocamus concessionem alias factam pro huiusmodi conventibus, qua deputati fuere pro universitatibus, nolumusque imposterum eos gaudere universitatis forma caeterisque privilegiis, quibus gaudent vel gaudere solent ceterae religionis nostrae universitates.

4. Volumus et ordinamus, quod indispensabiliter imposterum lectores artium in hac provincia teneantur cursum philosophicum perlegere adminus spatio triennii; quod si minus, eorum lectio non admittatur, usque dum tempus illis taxatum triennii perfecte ac integre compleverint.

5. Abolemus intolerabilem abusum, quo in nonnullis conventibus huius provinciae seculares famuli assumuntur ad inserviendum aliquibus patribus ministerio dumtaxat personali, quod universaliter in ordine nostro prohibitum fuit per diversa capitula generalia, nimirum Parisiis 1239 ord. 10., ibidem 1243 ord. 8. et Venetiis 1592 ord. 22. Horum igitur vestigiis inhaerentes, universis ac singulis tum patribus magistris, tum prioribus et vicariis conventuum, nec non ceteris quocumque gradu, officio vel nomine censeantur, in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto ac poena privationis utriusque vocis ipso facto incurrenda praecipimus, ne deinceps ad privatum seu personale servitium suum pueros aut qualiscumque conditionis famulos seculares intra conventum sive suo sive ipsiusmet conventus aut quocumque alieno sumptu contubernaliter seu domestice habeant, sed quicumque nunc illos habent, intra primam dierum quindenam ab horum actorum notitia omnino a se dimittant, ita quod exinde neque eosdem neque in ipsorum locum alios unquam assumant vel admittant.

6. Enixe commendamus rev. magistro ordinis pro tempore, quatenus imposterum omnino curet, ut non solum in quatuor principalioribus conventibus, nempe Barchinonensi, Caesaraugustano, Valentino et Maioricensi, sed etiam in omnibus aliis, ubi viget studium sacrae theologiae ac exercitia scholastica florent, regentes, quoad fieri possit, sint magistri; si autem pro omnibus conventibus studiorum generalium inveniri non possint, concedimus, ut dumtaxat assumi possint ad tale munus regentis illi praesentati, qui perfecerunt suas lectiones pro gradu et forma magisterii, cum omnino deceat dari tale caput studii, ut possit resolvere ac decidere omniaque alia facere, quae ad dictum regentis officium spectant.

7. Inhaerentes iis, quae pluries pro hac nostra provincia disposita sunt, ordinamus, ut de cetero sit solummodo unus praesentatus numeralis titulo praedicationis pro unoquoque regno, qui gaudeat loco et ceteris privilegiis praesentatorum numeralium; si autem ex speciali concessione aliqui ultra istum fuerint instituti, non gaudeant loco nisi post omnes praesentatos numerales; et ita pariter ordinamus, ut imposterum graduati numerales praecedant graduatos supernumerales, absque praeiudicio tamen eorum, qui actualiter sunt in possessione suae praecedentiae.

8. Ut in acceptandis gradibus recto ordine procedatur, nullusque deinceps possit conqueri de sibi denegata iustitia, ordinamus, ut, quando extra diffinitorium confertur possessio cuicumque graduato per loci alicuius vacantiam, hoc non fiat a solo provinciali, sed ab ipsomet provinciali cum consilio congregando in principali conventu illius regni, cuius est vacantia. In quo consilio intersint omnes illi magistri provinciae, qui ad illud regnum pertinent; et sic acceptatus gaudeat sua possessione, ita tamen ut in sequenti capitulo diffinitorium iure suo uti poterit.

9. Similiter declaramus, quod illi, qui iam sunt postulati a diffinitorio pro gradibus assequendis, cum illos assequuntur in locis vacantibus, non indigeant alia provinciae acceptatione, cum iam ab ipsa fuerint iuridice postulati et idonei iudicati ad tale munus, sicut nec etiam tali acceptatione indigent illi, qui a magistro ordinis pro tempore fuerint super dicta seu postulatione seu acceptatione specialiter dispensati, prout iam a praedefuncto magistro ordinis in ordinationibus pro hac provincia editis declaratum fuit.

10. Ad instantiam patrum istius provinciae specialiter committimus rev. magistro ordinis, quod nomine suo ac totius religionis apud ss. Rituum congregationem et s. sedem apostolicam supplex introducat introductamque sollicitet causam venerabilis matris ac famulae Dei sororis Hippolytae a Iesu de Rocaberti (1), monialis professae ord. nostri, quae anno 1624

(1) De sorore Hippolyta a Iesu cf. SSOP. II, 844.

die 6. augusti Barcinone in monasterio ss. Angelorum cum insigni fama sanctitatis feliciter migravit ad caelestem sponsum, clara prodigiis ac dono intelligentiae adeo a Deo illustrata, ut latini idiomatis ignara composuerit suaque manu scripserit vigintiquinque volumina in varios distincta libros, quibus altissimae spiritualium rerum materiae digne pertractantur, dogmatibus in sacro semper eloquio fundatis et sanctorum patrum sententiis roboratis, ad insignem profectum et devotarum animarum institutionem.

**Pro provincia Bohemiae.**

1. Ordinamus et districte mandamus tum adm. r. p. provinciali huius provinciae tum r. p. priori nostri conventus Litomericensis pro tempore, quod exactam regularem observantiam, pro qua et pro novitiorum educatione pridem conventus ille deputatus fuit, omni vigilantia, zelo ac industria manuteneant et promoveant, nihilque ibidem seu tolerent seu introduci patiantur, quod rigidae nostrarum constitutionum observantiae repugnet.

2. Deinceps ad obeunda munia scholastica, ceteris paribus, nativi istius provinciae filii quibuscumque aliis exterarum provinciarum praeponantur, dummodo alias ad ea fuerint idonei; quod etiam attendi volumus, quotiescumque sive regentis sive baccalaurei ordinarii Pragensis institutio, prout de iure, petetur a rev. magistro ordinis, explicando, uter concurrentium sit filius provinciae.

3. Declaramus, non esse in potestate moderatorum generalis studii nostri Pragensis ad libitum dispensare in exercitiis scholasticis sive lectionum sive circulorum, conferentiarum ac disputationum extra dies consuetos, quibus communiter in aliis floridioribus studiis generalibus huiusmodi exercitia solent intermitti.

4. Pro nostro Pragensi monasterio sororum apud s. Annam in memoriam revocamus strictissimam obligationem clausurae a sacrosancto concilio Tridentino et Romanis pontificibus rigidissime sub censuris et poenis praescriptam, eaque in re conscientiam r. adm. p. provincialis et priorissae pro tempore in diem domini aggravamus, ne quidquam admittant, quod apostolicis clausurae legibus adversetur.

5. Monemus adm. r. patrem provincialem, ut quos ex filiis huius provinciae repererit prae aliis ingeniosores et ad proficiendum in literis aptiores, specialiter notificet rev. magistro ordinis, ut, si illis forte locus defuerit in generali studio Pragensi, per eundem magistrum ordinis in aliis provinciis ac studiis generalibus praesertim Hispaniae, Italiae et Galliae possint accommodari.

6. Concedimus r. p. fr. Paulo Christallinger, praedicatori generali, quod suam filiationem, si nondum translata est, servatis servandis transferre possit a provincia nostra Teutoniae ac nativo suo conventu Vien-

nensi ad provinciam Bohemiae et conventum s. Crucis Znoymensem vel quemcumque alium eiusdem provinciae; supposita autem hac translatione ex nunc simul transferimus ipsius praedicaturam generalem a conventu Francofurtensi ad praedictum conventum Znoymensem.

## Pro provincia Provinciae sive Angelorum.

1. Recipimus et approbamus reunionem seu reincorporationem huic provinciae conventuum Aniciensis, Albernaci, Milliaci, Merologi et Genovillaci iuxta literas patentes rev. patris generalis praedefuncti, ita ut rev. patres illorum conventuum gaudeant privilegiis suorum graduum aliisque iuribus in hac provincia iuxta declarationem capituli provincialis ultimo celebrati in conventu Aquensi.

2. Approbamus magisteria rr. pp. Antonini Fort huius capituli electoris, Alberti Flesche, Pii Montagner, Guillelmi Raynaud (1), Honorati Flament, Thomae Tosserand, Thomae de Lueil, Dominici Peirouardi et Augustini de Iosseaud, ab ultimo capitulo generali rite promotorum, iuxta literas patentes eisdem concessas.

3. Conventus Valentinum et Diensem huic provinciae restituimus, utpote qui nunquam ab illa fuerunt separati, sed dumtaxat ad tempus commissi curae r. adm. p. provincialis provinciae Tolosanae, iuxta declarationes in pluribus capitulis generalibus factas, ac conformiter ad decretum rev. patris Thomae Turci, tunc ordinis magistri generalis, cum alias in hac eadem provincia sit sufficiens numerus conventuum in observantia regulari repositorum auctoritate piae mem. rev. p. Ioannis Baptistae de Marinis. Quare committimus rev. patri nostro generali magistro, ut quam citius et quando ipsi bene visum fuerit, literas patentes expediat, quibus praefati conventus actu et de facto sub cura r. adm. p. provincialis huius provinciae et r. p. vicarii congregationis Angelorum reponantur, cum hac tamen conditione, ut observantia regularis in eis semper vigeat.

## Pro provincia Dalmatiae.

1. Inhaerentes plurium capitulorum generalium ordinationibus, praesertim Romae 1629 conf. 1. serio admonemus tum lectores tum praedicatores generales huius nostrae provinciae iisque praecipimus ac mandamus, ne ullo pacto se eximant a continua sequela chori tam diurni quam nocturni, sed nec etiam ab onere hebdomadariae nisi actu legant aut actu praedicent, prout expresse cavetur in nostris sacris constitutionibus. Pro cuius rei observantia ac debita exequutione conscientias tum r. adm. provincialis pro tempore tum priorum conventualium in diem domini aggravamus.

2. Concedimus, ut vicarii conventuum, videlicet s. Antonii de Pago, Nonensis et Torculae, ob penuriam fratrum ad dictos vicariatus mitten-

---

(1) De fr. Guillelmo Raynaud cf. SSOP. II, 763.

dorum possint a provinciali pro tempore, de consilio tamen discretorum confirmari ad 2. tantum biennium, si alias in suo munere bene et laudabiliter se gesserint.

3. Concedimus r. p. fr. Vincentio Polovineo licentiam transferendi affiliationem suam a suo conventu originali Torculensi ad conventum Bolensem de Brachia, servatis alias servandis.

4. Denuntiamus, emanatum fuisse ordinem seu decretum a sac. congregatione eminentissimorum et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita, quo prohibentur patres vel fratres huius provinciae extra eam ad conventus aliarum provinciarum affiliari, eodemque decreto cassas et omnino irritas ac nullas declaratas fuisse huiusmodi affiliationes hucusque factas. Quapropter finem ac scopum praefati decreti attendentes, nedum huiusmodi transfiliationes omnino prohibemus ac factas, si quae sint, irritas ac nullas declaramus, sed insuper praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus huius provinciae fratribus, alia quam studiorum causa extra eam commorantibus, quod infra spatium duorum mensium a publicatione praesentium actorum ad eandem sese recipiant, secus activa et passiva voce sint omnino privati, sicut nunc pro tunc illos privatos, quousque obediverint, denuntiamus.

## Pro provincia Trinacriae.

1. Cum conventus noster s. Hieronymi de Messana alias fuerit iuxta primam sui fundationem pro rigorosiori observantia deputatus, ad petitionem provinciae, ut in eo magis imposterum floreat regularis vitae disciplina secundum puritatem textus nostrarum constitutionum, simulque servetur iustitiae distributivae aequalitas pro omnibus tribus vallibus huius provinciae, transferimus collegium ex eodem conventu ad conventum sanctissimae Annuntiatae Neti cum eisdem legibus et statutis. Volumus autem, quod modernus regens r. p. fr. Vincentius Chirche baccalaureus legat in eodem conventu s. theologiam, et lectura ei pro regentatu computetur, ac similiter p. lector fr. Dominicus Giannino magister studentium legat secundam lectionem theologiae, eique computetur pro magisterio studentium.

2. Damus in regentem studii nostri s. Dominici de Messana pro primo loco vacaturo r. p. baccalaureum fr. Dominicum Vaccaro, in baccalaureum ordinarium r. p. baccalaureum fr. Dominicum Casselli, et in magistrum studii r. p. lectorem fr. Reginaldum Giorgi.

3. Damus in regentem s. Dominici de Panormo pro primo loco vacaturo r. adm. p. mag. fr. Ioseph Gigante, in baccalaureum ordinarium r. p. baccalaureum fr. Hyacinthum Schifano, et in magistrum studentium r. p. baccalaureum fr. Hyacinthum Sicaldi.

4. Damus in regentem collegii Netini r. p. baccalaureum fr. Thomam Landolina, in baccalaureum ordinarium r. p. baccalaureum fr. Iacobum Sirugo, in magistrum studentium r. p. lectorem fr. Franciscum Deodato, et in lectorem artium r. p. lectorem fr. Paulum Arizzi.

5. Confirmamus acceptationes praedicatorum generalium factas in capitulo provinciali huius provinciae Augustae celebrato die 11. maii 1669, videlicet pro rr. pp. fr. Benedicto Caeli, fr. Iosepho Chirico, fr. Vincentio Seminara, fr. Thoma Florio, fr. Dominico Martiglione, dummodo tamen tempore institutionis fuerint actualiter loca praedicta vacantia et non aliter.

6. Et quoniam r. p. praedicator generalis fr. Thomas Miceli, prior conventus s. Dominici de Messana, et r. p. lector fr. Vincentius Cuscona per plures et plures annos laudabiliter et fructuose laboraverunt in educatione novitiorum, mandamus, ut gaudeant privilegiis et favoribus debitis magistris novitiorum iuxta formam ordinationis capituli Valentini 1647, servatis alias conditionibus in praefata ordinatione praescriptis, et non aliter nec alio modo.

7. Approbamus et confirmamus transfiliationem r. p. mag. fr. Ioannis Andreae Bartolelli a provincia Romana ad conventum s. Dominici de Panormo huius nostrae provinciae Siciliae.

8. Humiliter rogamus rev. magistrum ordinis, ut pro sua benignitate impetrare velit ac procurare apud ss. d. n. Clementem X. ampliorem facultatem huc usque concessa pro hac provincia recipiendi ad habitum novitios, ut conventus huius nostrae provinciae, qui his proxime elapsis annis propter penuriam fratrum grave incommodum passi sunt et actualiter patiuntur, de numero sufficienti ac proportionato religiosorum valeant provideri.

9. Pro insula Melitae denuntiamus, anno 1656, die 3. octobris ad instantiam magni magistri hospitalis s. Ioannis Hierosolymitani a fel. rec. Alexandro papa VII. emanasse breve, per quod olim rev. de Marinis, nostri ord. generali magistro, dabatur eius vita durante facultas instituendi propria auctoritate suoque libito priorem conventus s. Mariae Portus Salutis civitatis Vallettae, deinde ad novam requisitionem eiusdem magni magistri sub die 14. oct. 1662 ab eodem Alexandro VII. huiusmodi breve fuit extensum ad decem annos post mortem eiusdem rev. de Marinis, fuitque data facultas magistro ordinis pro tempore aut eius vicario generali instituendi infra tempus taxatum praefatum priorem Vallettae. Et tandem ad instantiam eiusdem magni magistri necnon ipsius provinciae Siciliae per ss. d. n. Clementem X. praedicta facultas nuper fuit extensa ad aliud decennium, computandum seu incipiendum a terminatione primi decennii concessi per literas Alexandri VII., ut constat per breve, quod incipit « Alias emanarant etc. », sub dat. Romae 21. iulii 1670, idque

ob eximium incrementum observantiae regularis, quae ex tali dispositione ortum habuit in illa insula.

10. Pro eadem insula Melitae volumus, quod numerus filiorum trium conventuum eiusdem non excedat pro singulis numerum taxatum ab olim rev. de Marinis.

Insuper quod artium lectores in conventu Vallettae, ubi ad minus sint duo ob concursum secularium, gaudeant etiam exemptionibus sicut ceteri lectores in ordine nostro secundum formam nostrarum constitutionum.

Quod nullus frater ex reliquis duobus conventibus possit accedere ad civitatem Vallettae absque licentia in scriptis r. p. vicarii pro tempore, idque sub poena remotionis ab insula indispensabiliter infligenda.

Denique quod r. p. vicarius pro tempore praefatae insulae teneatur adire reliquos duos conventus semel saltem in mense et quoties ei videbitur expedire ad promovendam in eis regularem observantiam, quam omni cura, zelo ac diligentia manutenendam, promovendam ac stabiliendam esse eidem r. p. vicario pro tempore commendamus et, quatenus opus est, ex animo iniungimus ac praecipimus.

**Pro provincia Portugalliae.**

1. Concedimus provinciae Portugalliae, ut possit recitare officium de s. Gundisalvo de Amarantho ordinis nostri cum octava solemni.

2. Concedimus conventui s. Antonii de Montemor, ut deinceps possit celebrare officium de s. Mauro abbate sub ritu totius duplicis.

3. Concedimus monasterio monialium s. Salvatoris Ulyssiponensi, ut possit mense augusti in die s. Ludovici confessoris, episcopi Tholosani, recitare de eodem sancto sub toto duplici.

4. Iuxta ordinationem capituli generalis 1629 pro hac provincia factam tenore praesentium praecipimus ac mandamus, quod monasteria monialium habeant vicarios seu confessores ibidem existentes ob multa inconvenientia, quae ex contrario accidunt, et hoc praecipue observetur in monasterio s. Salvatoris Ulyssiponensi et in monasterio s. Dominici Das Donas Santarenensi; quod si aliqua monasteria praetendant habere breve in contrarium, provincialis notitiam praebeat rev. magistro ordinis, ut super hoc consulat sanctissimum.

5. Cum collegium Conimbricense s. Thomae prematur egestate, et ob id non possint collegiales perficere integros cursus et cogantur quotannis relinquere collegium ante tempus consuetum vacationum cum maximo studiorum detrimento, praecipimus serio ac mandamus r. adm. p. provinciali pro tempore, ut in diffinitorio vel extra cum consilio provinciae subveniat collegio vel ex conventibus pinguioribus vel quacumque alia commodiori via. Item ad hunc effectum confirmamus ordinationem iam

factam a rev. de Marinis piae mem., quod bona fratrum defunctorum, qui fuerunt in praefato collegio collegiales, partiantur ex aequo inter collegium et conventus, ad quos pertinent, iuxta formam datam in eadem ordinatione. Demum iniungimus praelatis provinciae pro tempore, ut quantocius omni studio ac diligentia curent, ut collegium praedictum quocumque modo in redditibus augumentetur, ad hoc ut ibidem studia floreant.

### Pro provincia Bethicae.

1. Quia persaepe contingit in conventibus huius nostrae provinciae dari numerum excessivum fratrum in eis assignatorum, qui pro tenuitate reddit(u)um absque praefatorum conventuum maximo incommodo ac gravamine sufficienter sustentari non possunt, talium conventuum indemnitati providere volentes, ordinamus r. adm. p. provinciali, ut in proximo provinciali capitulo vel congregatione intermedia de consilio diffinitorum vel patrum pro tali congregatione convocatorum videat et diligenter examinet redditus annuales cuiuscumque conventus, et iuxta quantitatem reddituum praefigat numerum determinatum patrum et fratrum pro quolibet conventu; quem numerum neque per affiliationes neque per assignationes seu deputationes in posterum excedi posse tenore praesentium praecipimus ac mandamus.

2. Ne in huius provinciae coenobiis ex defectu capitis seu directoris elangueant fructuosa literarum exercitia, ad petitionem ipsius provinciae statuimus, ut in quolibet conventu, ubi viget studium sacrae theologiae, in praefectum studiorum seu regentem deputetur vel instituatur antiquior ex magistris, ex iis videlicet qui titulo lectionis sunt ad huiusmodi gradum promoti; quod si forte antiquior sit aliquo rationabili impedimento detentus, regentis munus committatur ei, qui secundum antiquitatem magisterii succedit; et si nullus adsit ex magistris, assumatur ad huiusmodi officium antiquior ex illis, qui iam pro gradu et forma magisterii legerunt.

3. Declaramus, quod lectores theologiae, qui in conventibus pro studiis deputatis per quindecim annos legerunt, duodecim videlicet sacram theologiam et tres in philosophia, intelligantur complevisse suam lecturam pro gradu et forma magisterii sintque ipso facto privilegiati, ut possint postulari a provincia ad gradus vacantes, atque interim gaudeant dispensationibus atque exemptionibus tum ab onere hebdomadariae tum a choro nocturno.

4. Committimus r. adm. p. provinciali pro tempore huius provinciae, ut, quotiescumque contigerit celebrari capitulum provinciale, serio admoneat, imo praecepto compellat priorem conventus, in quo huiusmodi capitulum celebrabitur, ne videlicet audeat insumere pro tali celebratione

ultra duo millia ducata, in quorum summa comprehendi volumus quascumque eleemosynas, quae intuitu talis capituli sive a patronis sive ab aliis benefactoribus fuerint collatae. Quod si sumptus praefatam taxam excesserint, non teneantur conventus provinciae pro eo, quod excessum est, aliquid contribuere.

5. Ad tollendum omnem ambiguitatem atque ad evitandas lites, quae ut in plurimum oriri solent in hac provincia circa bona relicta fratrum defunctorum, qui ex uno ad alium conventum filiationem propriam transtulerunt, inhaerendo textui nostrarum constitutionum dist. 2. cap. 14. textu 5., declaramus, quod omnia bona, quae haereditario iure advenerunt, pertineant ad conventum originalem, alia vero ad conventum, ad quem quis translatus est per affiliationem; excipiuntur tamen ea bona immobilia, quae et si alias talia sint, quae non adveniant iure haereditario, sed acquisito, pertinebunt equidem ad conventum originalem, si alias fuerunt acquisita, dum religiosus, de quo est sermo, illius erat actu filius, secus vero si post transfiliationem advenerunt; sicque declaramus ac statuimus bona immobilia, quae alias non haereditario iure acquiruntur, pertinere ad illum conventum, cuius erat actualiter filius, quando fuerunt acquisita.

6. Destinamus et tenore praesentium instituimus ac deputamus in domos novitiorum conventus s. Petri martyris de Ronda et s. Dominici de Porta Caeli Hispalensem, dummodo tamen in his conventibus vigeat ac floreat rigorosa nostrarum constitutionum observantia, et non aliter nec alio modo.

7. Concedimus huic provinciae, quatenus supplicare possit ss. d. n. Clementi X. pro translatione fratrum nostrorum a conventu s. Hyacinthi sito extra muros civitatis Hispalensis ad locum commodiorem atque observantiae regulari magis aptum et idoneum, oblatum alias in praesentiarum nostrae religioni in oppido de Triana iuxta eandem Hispalensem civitatem, cum bonis ac redditibus praefati conventus s. Hyacinthi relictis a d. Gaspare Brun de Sylveira, eiusdem conventus fundatore, obtinendo breve, quo sanctitas sua commutare dignetur ipsius fundatoris voluntatem ac dispensare super omnia, quae praefatam translationem possint impedire.

## Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Quandoquidem illustrissimus ac reverendissimus d. fr. Marius Ambrosius Capello, ex nostro ordine assumptus Antverpiensis episcopus, praeter alia innumera et grandia in hanc provinciam suumque Antverpiensem conventum effusa beneficia, studium quoque in dicto conventu a suis consanguineis liberaliter fundatum, sua insuper munificentia plurimum adauxit et maioribus semper incrementis adaugere, dotare atque

provehere intendit, nos praememoratum studium ad tanti antistitis honorem et commune istius provinciae commodum, specialiter vero ad pauperiorum conventuum sublevamen ac iuge subsidium erigimus erectumque declaramus in studium generale seu literariam ordinis universitatem, ad instar generalium studiorum nostrorum Lovaniensis ac Duaceni, cum omnibus horum privilegiis, iuribus, legibus et praerogativis tam quoad studentes quam quoad patres moderatores, quos omnes tam praesentes quam futuros debitae erga tantum benefactorem gratitudinis serio ac solicite admonemus, ut saltim religiosis obsequiis, devotis sacrificiis assiduisque ad Deum precibus conentur perpetim agnitionem ac memoriam beneficiorum huius illustrissimi sui patroni ac promotoris sedulo contestari.

2. Cum omni rigore mandamus r. adm. p. provinciali pro tempore, quod exactam et literalem sacrarum constitutionum observantiam in conventu nostro Bruxellensi, qui pro ea pridem deputatus est, summa vigilantia manuteneat, firmet ac promoveat, nec eam vel in minimo nutare aut collabi patiatur. Quem in finem ex nunc statuimus ac prohibemus, ne ullum quantumvis canonice electum in priorem praedicti conventus confirmare possit, nisi ille peculiariter et sancte ante sui confirmationem promiserit, se sincere et ex animo curaturum, ut regularis disciplina ibidem iuxta tenorem sacrarum constitutionum et ordinationum a magistris ordinis huic conventui praescriptarum accuratissime observetur.

3. Similiter eidem p. provinciali pro tempore districte iniungimus, quod speciales ordinationes a rev. patribus generalibus Rodulphio et Turco pro conventu nostro Gandensi factas curet per omnia ibidem ab universis et singulis adamussim observari. Idem priori dicti conventus pro tempore mandatum esto sub poena absolutionis ab officio irremissibiliter incurrenda.

4. Ut iuniores fratres clerici in cantu chorali peritiores evadant atque attentius exerceantur, ordinamus, quod, quando in choro non agitur officium dominicae aut festi duplicis vel supra, iidem fratres clerici professi suppleant per tornum vices cantoris et subcantoris, idque iuxta dispositionem sui magistri et sub assistentia eorundem cantoris et subcantoris, qui ipsos iuvabunt et corrigent. Quandocumque vero iidem fratres clerici ad suscipiendos sacros ordines fuerint exponendi, semper inter alia etiam quoad cantus peritiam examinentur.

5. Declaramus, quod quandocumque contigerit aliquem sive graduatum sive officialem manifeste delinquere, idem iuxta delicti qualitatem debeat quoque manifeste castigari, ut insinuatur dist. 2. cap. 13. de itinerantibus textu 2. sub lit. C., ita quod non sit opus eiusmodi delinquentem prius absolvere ab officio ac deinde punire, nisi talis excessus fuerit, cui expresse annexa sit depositio ab officio.

6. Declaramus iuxta constitutiones nostras dist. 1. cap. 13. de recipiendis textu 1. sub lit. A. in nullo sive fratrum sive sororum conventu numerum patrum vel respective matrum a consilio extendi posse ultra duodecim, ita quod cum priore aut respective cum priorissa tantum censeantur tredecim cum voto decisivo. Proinde si contigerit alicubi in priorissam eligi eam, quae ante sui electionem nondum erat mater a consilio, tenebitur durante huius gubernio abstinere ab ingressu consilii illa, quae postremo intravit, ut sic numerus tredecim dumtaxat consultricum, inclusa priorissa, nunquam excedatur.

7. Declaramus, Ruremundense nostrarum sororum monasterium adm. r. p. provinciali pro tempore subiectum esse aequaliter ac eodem prorsus modo, quo reliqua huius provinciae monasteria monialium eidem subsunt, ita quod prior nostri conventus Mosaetraiectensis respectu dicti monasterii pure sit vicarius sui provincialis. Quorum utrique serio mandamus, quod rigidam clausuram huic monasterio, si forte nondum plenarie introducta est, omnino introducant et introductam constanter manuteneant, nec ibidem ullam ad solemnem professionem emittendam admittant vel admitti sinant, nisi cum protestatione ab eadem acceptanda, quod illic ad primam regulam et strictissimam clausuram perpetuo obligabitur.

8. Renovamus ordinationem secundam pro hac provincia Romae anno 1656 in capitulo generali factam pro stabilimento ac progressu confraternitatis sub titulo Militiae Angelicae in conventu nostro Lovaniensi, cumque istius piae sodalitatis praecipuum festum soleat quotannis in die translationis s. Thomae Aquinatis ibidem in ecclesia nostra ab inclita Lovaniensi universitate celebrari, concedimus, quod illic deinceps officium translationis s. Thomae solemniter peragi possit in dominica, quae festum purificationis beatissimae virginis immediate antecedet, excepto casu quo vel septuagesima in praedictam dominicam incidat vel dies 27. ianuarii sit dies dominica; tunc enim festum translationis celebrandum erit proprio suo die, nempe 28. ianuarii.

9. Ordinamus, quod singuli priores conventuales, quandocumque ad capitulum provinciale accesserint, teneantur secum deferre in scriptis succinctam informationem de statu oeconomico sui conventus subscriptam per patres de consilio, qua distincte exprimantur tum annui proventus sui coenobii et onera tum debita activa et passiva, necnon fratrum numerus, et si quid aliud notabile ad cognoscendum statum sui conventus pertineat, illamque in diffinitorio capituli exhibeant; qui vero in hoc defecerint, eiusdem diffinitorii arbitrio puniantur.

### Pro provincia Apuliae seu s. Thomae.

1. Acceptamus et approbamus magisteria omnium eorum, qui in hac provincia per rev. magistrum ordinis p. fr. Ioannem Baptistam de Marinis

fel. rec. ad huiusmodi gradum fuerunt rite promoti, volumusque eos gaudere omnibus gratiis, privilegiis ac exemptionibus, quibus hactenus in hac provincia huiusmodi magistri de iure vel approbata consuetudine gaudere solent et consueverunt.

2. Cum alias in capitulo generali Romano 1629 ord. 2. pro promotione studiorum in hac provincia fuerit facta ordinatio tenoris sequentis: « Ordinamus, ut omnes studentes tam studii generalis, quam cuiuscumque conventus singulis annis super tota lectura annuali praeterita tam theologica, quam philosophica respective examinentur a moderatoribus studii in studio generali coram provinciali, in aliis vero conventibus ab examinatoribus a p. provinciali deputandis et coram ipso examinantibus, eosdemque per secreta suffragia approbantibus vel reprobantibus », praefatum decretum omnino confirmamus ac, quatenus opus sit, innovamus volumusque indispensabiliter exequutioni mandari, quod serio praecipimus provinciali quidem sub poena suspensionis ab officio, studentibus vero sub poena privationis ac exclusionis a studio ac perpetuae inhabilitatis ad idem.

3. Inhaerentes decreto capituli Romani 1644, quo conventus s. Dominici de Foggia et s. Petri Martyris de Tarento in conventus strictioris observantiae fuerunt destinati, mandamus rev. adm. p. provinciali pro tempore huius nostrae provinciae, ut sedulo invigilet, ut in praefatis conventibus observentur adamussim nostrae sacrae constitutiones; quod si eorum priores invenerit in regulari disciplina promovenda negligentes ac remissos, eos omnino a prioratus officio absolvat aliisque suo arbitrio poenis severissime puniat.

## Pro provincia Calabriae.

1. Confirmamus ordinationem alias specialiter factam pro hac provincia a rev. magistro generali de Marinis piae mem. per literas datas die 23. martii 1669, scilicet declarandos esse suspensos ab officio omnes et singulos priores vel praesidentes conventuum seu locorum, qui in eorum conventibus et locis fratres ibidem a r. adm. p. provinciali pro tempore assignatos aut deputatos vel admittere renuerint vel sine eiusdem provincialis licentia ab eisdem conventibus et locis expellere ausi fuerint.

2. Pariter confirmamus aliam ordinationem eiusdem rev. de Marinis factam pro hac provincia ad effectum facilitandi ingressum in nostram religionem iuvenibus secularibus, alias probae vitae sufficientisque ingenii, qui licet ferventi spiritu habitum petant religionis, defraudantur tamen aliquoties suo desiderio ob vestimentorum penuriam, ut scilicet fratrum defunctorum vestimenta tam interiora quam exteriora ad novitiatus Altimontis et s. Georgii spectent et transferantur, Calabriae videlicet cite-

rioris ad novitiatum Altimontis, ulterioris vero ad novitiatum s. Georgii iuxta repartimentum conventuum et locorum factam in proxime praeterito capitulo generali pro eadem provincia Calabriae. Quam ordinationem ex integro confirmamus et, quatenus opus sit, innovamus, praecipientes in meritum sanctae obedientiae omnibus et singulis prioribus vel conventuum praesidentibus, in quorum conventibus fratres e vita decedere contigerit, ut prompte ac fideliter dicta defunctorum vestimenta ad novitiatus praedictos transferri et consignari faciant, alias a suis officiis per priorem provincialem suspendantur.

3. Ordinamus ad petitionem provinciae, quod in studio generali Cosentino actiones principaliores, ut sunt examina de vita et moribus, receptiones studentium formalium, examina lectorum et examen annuale, fieri debeant, quando omnes patres moderatores in eodem conventu et studio actualiter existunt, non vero tempore aestivo, tempore vacationum, quando ob aëris intemperiem aliqui eorum alio se recipiunt.

4. Cum conventus noster Laureanae, ut nobis nuper expositum est, habeat omnia requisita ad prioratum et alat numerum sufficientem fratrum, concedimus, ut in posterum prior praefati conventus habeat vocem in capitulo provinciali, instituentes insuper in praedicatorem generalem eiusdem conventus r. p. lectorem fr. Iosephum a Laureana.

5. Approbamus magisteria rr. pp. magistrorum Dominici Passalia, de Suriano, Dominici a Polia, Petri Martyris a Claravalle, Ioannis Baptistae a s. Georgio, Raymundi a Stalatti, Hyacinthi Philipponi, Iacobi a Scigliano, Ludovici a Coriolano, Ludovici a Polistina, Thomae Lauro, Hyacinthi de Strongoli, Ambrosii a Filogasio, Raymundi Pirrelli et aliorum, si alii sint, per rev. magistrum ordinis de Marinis ab ultimo capitulo generali usque ad praesens promotorum.

6. Instituimus ad petitionem provinciae in praedicatores generales rr. pp. ff. Ioannem a Sideroni lectorem pro conventu Sideronis, Ioannem Baptistam Todesco baccalaureum pro conventu Montisalti, Ignatium Blasio baccalaureum pro conventu Balnearae, Sylvestrum a s. Georgio lectorem pro conventu Castriveteris, Hyacinthum ab Amigdalaria lectorem pro conventu Amigdalariae, Iosephum a Verbicario lectorem pro conventu Serrarum, Ludovicum a Paula lectorem pro conventu Tirioli, Antonium a Ferolito lectorem pro conventu Neocastri et Dominicum a Saracena pro conventu Cirisani, dummodo tamen sint actu vacantia praefata loca et non aliter nec alio modo.

7. Transmutamus ac praesentium tenore transferimus praedicaturam generalem r. p. lect. fr. Dominici Buongiorno a conventu Balnearae ad suum conventum originalem Girifalci, si alias haec praedicatura sit actualiter vacans.

8. Licet olim prohibitum fuerit fieri affiliationes in nostro conventu s. Mariae Salutis de Neapoli huius provinciae, quia tamen successu temporis ac mature consideratis considerandis compertum est, fore valde proficuum et necessarium pro augmento utilitateque tum spirituali tum temporali conventus praedicti ibidem affiliari aliquos patres, et religiositate morum et doctrina ac prudentia praestantes, ad instantiam eiusdem provinciae concedimus, quod non obstantibus quibuscumque ibidem affilientur quinque ad summum patres, qui sint naturales et nationales eiusdem provinciae Calabriae; quos patres in praesentiarum nominamus videlicet rr. pp. fr. Sylvestrum a s. Catherina, fr. Hyacinthum de Strongoli magistros, fr. Thomam Bilot a Castro Monardo, fr. Alanum a Morano baccalaureos, et fr. Vincentium a Filogasio lectorem, eosque praesentium tenore affiliamus affiliatosque declaramus in praedicto conventu s. Mariae Salutis de Neapoli, quibuscumque in contrarium non obstantibus, declarantes insuper, quod, cum praefatus conventus s. Mariae Salutis de Neapoli fundatus fuerit pro communi necessitate et ex communibus impensis totius provinciae, ac proinde communiter pertineat ad utramque Calabriam tam ultra quam citra, huiusmodi patres per nos praefato conventui affiliatos ut supra in concursu provinciae pro alternativa computandos ac numerandos esse pro his conventibus originalibus, a quibus suam transtulerunt affiliationem.

9. Transferimus affiliationes a suis conventibus originalibus ad alios infrascriptos rr. pp. fr. Dominici Cuppari a Melicucca baccalaurei ad conventum Tropeae, fr. Dominici a Melicucca lectoris ad conventum Girifalci, fr. Leonardi a s. Georgio lectoris ad conventum Polistinae, fr. Thomae Cinvarellae praed. gen. ad conventum Montis Leonis, et ex conversis fr. Antonii a Bisiniano ad conventum Cosentinum, fr. Marci a s. Georgio ad conventum Castriveteris, fr. Petri a Serra ad conventum Suriani, fr. Iosephi a Mendicino ad conventum Zacharesii, fr. Antonii a Pitio ad conventum Catanzarii, fr. Nicolai a Pizzoni ad conventum de Pizzoni, fr. Dominici de Agroptarea ad conventum Agroptareae et fr. Michaelis a s. Nicolao ad conventum Sibaris.

10. Pro manutentione ac incremento studiorum seu universitatum huius provinciae, nempe studii generalis Cosentini et collegii Rhegini, enixe rogamus rev. magistrum ordinis, ne sit facilis in concedendis licentiis seu assignationibus studentibus huius provinciae, ut relicta propria ad alias provincias studiorum causa se conferant. Quod si aliquis proprio arbitratu et non missus a provincia nec assignatus pro rata istius provinciae alibi studiorum cursum peregerit, nullatenus ei nec conventus originalis nec provincia teneantur subsidia pro vestimentis aliisque impendiis subministrare.

11. Committimus rev. magistro ordinis, ut pro sua prudentia designet pro locis vacaturis in regentes, baccalaureos et magistros studentium tam studii generalis Cosentini quam collegii Rhegini patres integritate morum et literatura praestantes, prout in domino iudicaverit expedire.

**Pro provincia Hiberniae.**

1. Confirmamus et ex integro renovamus omnia et singula, quae pro hac nostra provincia Hiberniae ordinata et sancita sunt in proxime praeteritis capitulis generalibus Romae celebratis annis 1650 et 1656, ac volumus omnino observari.

2. In memoriam revocamus id, quod in favorem ac conservationem huius provinciae in praeterito capitulo Romano efficaciter inculcatum est his verbis: « Hortamur ac per viscera Iesu Christi obtestamur omnes provinciales ac priores reliquarum provinciarum, praesertim Hispaniarum, ut, si qui forte iuvenes Hiberni probae indolis et capacitatis se offerant, eos prompta charitate ad habitum sanctamque professionem recipiant in conventibus, ubi magis viget observantia regularis; eosdemque iam professos literarum studiis opportune applicent, ipsorum profectibus specialiter intendant, necessitatibus prospiciant, spiritum foveant ipsosque ad generosa pro fide certamina formare conentur ». Quam adhortationem sub eisdem verbis et quidem efficacissimis merito hic repetere voluimus, ut huic afflictae provinciae, quantum in Domino possumus, succurramus.

3. Mandamus ac districte praecipimus universis rr. adm. pp. provincialibus, ad quos deinceps contigerit aliquem vel aliquos huius nationis fratres nostros sive sacerdotes sive iuvenes cum legitima suorum superiorum licentia vel assignatione causa studii divertere, ut eosdem peculiari charitate ac promptitudine suscipiant, foveant et in suis studiis generalibus pro locis exterarum provinciarum coaptare non renuant, ut ibi sufficienter eruditi, apti reddantur ad fidem catholicam in patria sua propugnandam atque propagandam.

4. Insuper praecipimus in meritum sanctae obedientiae omnibus et singulis studentibus ad hanc provinciam spectantibus, qui in alienis provinciis ratione studiorum impraesentiarum commorantur, ut statim completis studiis absque aliqua mora ad propriam nativam provinciam redeant, memores propriae vocationis ac imminentis necessitatis, quam, ut audivimus, non sine gravi animorum nostrorum moerore patitur praefata provincia ob paucitatem ministrorum evangelii, ad quod disseminandum atque propugnandum contra acatholicos prompti ac parati esse debent.

## Pro provinciis Indiarum in communi.

1. Beatae ac gloriosae Rosae a s. Maria, virginis Limanae, quam caelestis sponsus tot charismatum decoravit monilibus, tot virtutum ornavit floribus tantaque et tam late sparsa miraculorum gloria illustravit, merita magno cum animorum nostrorum gaudio recolentes, ordinamus ad maiorem venerationem ac cultum eiusdem, quae extitit Indiarum Occidentalium primus flos sanctitatis, ut in qualibet ex provinciis Americae, Philippinarum et Indiarum, quarum per apostolicum breve instituta est ac declarata in patronam principaliorem, omni feria sexta vacante debeant fratres tam in choro publice quam extra privatim de ea recitare officium aut memoriam, si alias dies est impedita, eo prorsus modo ac ordine, quo feria 4. non impedita recitatur vel fit memoria de s. Thoma Aquinate, doctore angelico, poteruntque ad hunc effectum distribui iuxta seriem mensium lectiones propriae eiusdem virginis adnotatae pro ipsius festo ac octava, sicut de eodem s. Thoma sancitum est.

2. Confirmamus omnes et singulas ordinationes, leges ac statuta capitulorum generalium, praesertim Valentini 1647, pro his provinciis in communi editas, praecipue ordinationem illam sextam in ordine valde utilem ac simpliciter necessariam pro bono regimine istarum provinciarum, quam merito hic sub iisdem verbis repetere operae pretium duximus, quae talis est: « Ne fratribus pro cuiuscumque arbitrio liber pateat aditus recedendi a provinciis Indiarum et veniendi ad Hispanias, confirmamus ordinationem capituli Valentiae 1596 et Romae 1601 ac propterea in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae nec non sub poena excommunicationis latae sententiae, hac una pro trina canonica admonitione praemissa, mandamus omnibus ac singulis fratribus in dictis provinciis existentibus, ne ab ipsis sine magistri ordinis speciali licentia discedere sub quovis praetextu vel colore audeant; procuratoribus vero, ne ultra unum socium sibi a diffinitorio consignatum quemlibet alium secum ducere praesumant; provincialibus denique, ne vel permittant vel licentiam aliquam ad hunc effectum fratribus concedant, siquidem nec possunt, et quatenus opus esset, talem ab eis auferimus facultatem et simul etiam a diffinitorio capituli provincialis. Praeter autem excommunicationem latae sententiae, quam incurrent contrafacientes, respective dabunt et poenas omnes in capitulo gravioris culpae contentas. Verumtamen ad temerarios, si qui erunt, compescendos rr. pp. prioribus pro tempore conventuum s. Pauli Hispalensis, s. Dominici de s. Lucar de Barrameda et s. Dominici Ulyssiponensis per praesentes mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae nec non sub poena absolutionis ab eorum officiis, ut, ubi navigia ab Indiarum partibus ad praefatorum portus respective appulerint, omni cum diligentia perquirant, an fratres

aliqui cum eisdem venerint, quive quotque sint; et si repererint, qua licentia id egerint; quod si non fuerint procuratores a provinciis legitime instituti vel rev. p. generalis licentiam non habuerint, omnino in carceres illos coniiciant et omnia eorumdem bona sequestrent, praemissoque examine praefatam censuram ac poenas ipsos incurrisse declarent nostra auctoritate, quas et subire cogant nec liberos illos dimittant, nisi praemonito magistro ord. vel eius vicario et per alterius rescriptum intellexerint, quid de illis agendum sit. Porro adm. rev. patribus provincialibus Hispaniarum et rev. pp. prioribus ac praesidentibus conventuum earundem provinciarum sub eadem virtute et praecepto et poena absolutionis a suis officiis mandamus, ne ullum fratrem a praefatis Indiis venientem sine approbatione suarum licentiarum ab uno ex tribus patribus prioribus praenominatis s. Pauli Hispalensis, s. Dominici Ulyssiponensis et s. Dominici de san Lucar de Barrameda habita et ostensa in suis provinciis, conventibus aut locis respective recipere aut detinere audeant, in poenas alioquin taxatas omnino incursuri ».

Quam ordinationem ex integro confirmamus ac renovamus, addentes in contravenientes pœnam ipso facto incurrendam privationis cuiuscumque gradus, si quem habeant in religione, ac perpetuae inhabilitatis ad eosdem. Quapropter mandamus rr. pp. prioribus praedictis, ut semoto omni humano respectu, solum Deum et commune religionis bonum prae oculis habentes, exequutioni tam sanctae ac pernecessariae ordinationis omni cura ac opere insistant, alias ultra mortalem reatum transgressionis praecepti in poenam absolutionis ab officio, ut dictum est, sciant se irremissibiliter incursuros.

3. Prohibemus ac districte mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto nec non sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda omnibus et singulis provincialibus Indiarum pro tempore existentibus, ne quocumque titulo, colore vel praetextu audeant onerare doctrinas pensionibus annuis in favorem cuiuscumque particularis personae, quocumque officio, gradu vel praeeminentia praeditae, sed quidquid emolumenti ex moderata impositione colligi potuerit, communibus necessitatibus religiose ac fideliter impendatur, ut fabricis tum ecclesiarum tum conventuum, augmento et decori cultus divini, vestiariae communi fratrum etc.

4. Recolentes strictissimam obligationem, quam habent doctrinarii pascendi tum exemplo tum assidua administratione sacramentorum oves sibi commissas, omnibus et singulis residentibus in doctrinis districte praecipimus ac mandamus sub poena privationis ab eorum officiis ipso facto incurrenda et perpetuae inhabilitatis ad eadem, quod nullatenus a districtu suarum doctrinarum recedant, etiam per parvum temporis, nisi

urgente gravissima et inevitabili necessitate; in quo casu ille, qui tali necessitate premitur, aliquem religiosum alias idoneum et probatum ex proximioribus conventibus ante proprium discessum, servatis tamen servandis, advocet, cui vices suas in propria absentia committat.

5. Iisdem residentibus in doctrinis committimus ac mandamus et circa hoc eorum conscientias in diem domini aggravamus, ut per seipsos diebus festivis assistant universali doctrinae, quae fieri solet; in hoc enim consistere debet eorum cura principalis, officium ac zelus. Quapropter eis omnino prohibemus sub poena privationis ab officio praefatam assistentiam committere fiscalibus sive aliis quibuscumque.

6. In memoriam revocamus ordinationes plurium capitulorum generalium factas contra fratres vagos ac ex una in aliam provinciam transfugas, quod scilicet nullatenus recipiantur nisi in carceribus et post debitas poenas propriis praelatis remittantur. In cuius ordinationis confirmationem praecipimus ac mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis prioribus provincialibus pro tempore nostrarum provinciarum Indiarum et praesertim provincialibus s. Ioannis Baptistae del Perù, s. Antonini de novo Regno et s. Catherinae de Quito, quod scilicet fratres praedictos vagos ac transfugas nullatenus in propriis provinciis recipiant, assignent aut aliqualiter detineant, sed teneantur sub eodem praecepto graviter punitos ad proprias provincias remittere suis superioribus, ut in eos gravius animadvertant.

## Pro provincia s. Crucis Indiarum.

1. Instante illustrissimo ac reverendissimo d. fr. Antonio Gonzalez, episcopo de Characas, provinciae Peruanae filio acceptissimo totiusque nostrae religionis ob eius praeclare gesta benemerente, erigimus, servatis tamen servandis, conventum nostrum de Characas in studium formale ac universitatem cum omnibus ac singulis privilegiis, quibus caetera religionis nostrae formalia studia sive universitates gaudere solent et consueverunt.

2. Insuper eundem conventum deputamus ac designamus pro conventu novitiatus ac strictioris observantiae, volumusque, ut non solum novitii, qui ad habitum illic recipientur, sed patres ac fratres quicumque, quos ibidem commorari in posterum contigerit, regulam et sacras nostras constitutiones cum omni rigore ad literam observent; circa quod conscientiam r. adm. p. provincialis pro tempore in diem domini aggravamus.

## Pro provincia s. Iacobi de Mexico.

1. Pro bono ac felici gubernio huius nostrae provinciae confirmamus ordinationes specialiter factas pro hac provincia tum per capitulum

generale Romanum 1650 tum per rev. magistrum ordinis fr. Thomam Turcum fel. rec. in epistola pastorali ad hanc provinciam missa sub datum 25. iunii 1644 ab eaque denuntiata in capitulo provinciali Mexicano die 5. maii 1646, et praesertim ordinationem secundam huius tenoris: « Secundo, quoad gradus in ordine et dignitates nullo modo in posterum habeatur ratio nationum aut alternativae, vacante loco alicuius nationis, et alias pro illa tali natione pro illo tunc nullus fuerit, qui habeat omnia omnino requisita, sed praecise habeatur ratio meritorum et laborum, ita ut absque ulla acceptione nationum aut personarum illi soli ad gradus proponantur, qui caeteris reperti fuerint magis idonei habuerintque omnia requisita iuxta constitutiones nostras pro gradu et forma legendo, ne ex coarctatione ad nationes indigni dignioribus praeferantur, ut fieri solet, dum saepe plures, qui multis annis in docendo laborarunt, et meritis praevalent, defectu vacantis pro una natione postponantur iis, qui sunt alterius nationis, et interdum vix theologiam vel extremis labiis delibarunt, quod iustitiae distributivae directe repugnat; dum vero postmodum contigerit illam nationem habere personas capaces, illae et non aliae supplebunt prima loca vacantia ».

Quam ordinationem utpote et iustitiae distributivae et constitutionibus nostris apprime conformem et ad pacem conservandam in hac provincia prorsus necessariam ex integro renovamus et confirmamus ac inviolabiliter observari volumus et mandamus.

### Pro provincia s. Ioannis Baptistae de Perù.

1. Ad petitionem provinciae confirmamus omnes et quascumque ordinationes, leges ac statuta, quae pro bono ac felici regimine huius nostrae provinciae facta fuerunt a rev. magistro ordinis Ioanne Baptista de Marinis piae mem., volumusque, ut integre ac inviolabiliter observentur.

2. Item confirmamus statuta ac leges per eundem rev. de Marinis confectas ac promulgatas pro collegio s. Thomae Aquinatis Limensi, quas approbatas a s. congregatione negotiis episcoporum et regularium praeposita et per breve pontificium Clementis IX. corroboratas denuntiamus.

3. Approbamus institutionem rectoris praefati collegii sancti Thomae nuper factam a rev. p. fr. Petro Maria Passerino tempore sui vicariatus generalis in personam rev. p. mag. fr. Martini de Pereira, volumusque omnino suum sortiri effectum.

### Pro provincia s. Antonini de Novo Regno.

1. Ob specialem devotionem huius provinciae erga s. Ludovicum Bertrandum ordinis nostri, qui ibi aliisque in locis adiacentibus plurimum insudavit in apostolico ministerio missionum non sine ingenti miraculorum numero nec non maximo fructu animarum, quas in eadem provincia ad fidem convertit, concedimus, ut in omnibus huius nostrae pro-

vinciae conventibus festum ipsius in posterum celebretur cum octava solemni.

2. Concedimus, ut cathedra theologiae moralis in regia universitate sanctissimi Rosarii conventus nostri s. Fidei eius moderatori, dummodo pro tempore more scholastico et singulis diebus impraetermisse ac fideliter suo satisfaciat muneri, valorem conferat pro gradu et forma magisterii, servatis tamen alias servandis.

3. Ad supplicationem provinciae extendimus numerum denarium magistrorum, alias taxatum pro hac provincia, ad numerum duodenarium.

4. Acceptamus conventum dominae nostrae de las Aquas, nobis donatum a d. licentiato Ioanne Cottrina, insigni benefactore nostro, eumque erigimus in conventum formalem, ita ut deinceps habeat priorem et praedicatorem generalem, ut alii conventus, servatis alias servandis.

### Pro provincia Occitana.

1. Confirmamus, approbamus et acceptamus unionem conventuum congregationis Aquitanicae seu antiquae provinciae Tholosanae cum hac provincia eiusque conventibus in inferiori Languedocia et Aquitania sitis iuxta literas patentes rev. magistri generalis de Marinis piae mem. sub die 12. martii 1663. Similiter approbamus et acceptamus unionem conventuum Perpiniani et Coquilibrii cum hac eadem provincia ab eodem rev. p. generali postmodum declaratam.

2. Cum praefata provincia sit adaucta et amplificata tum ex conventibus congregationis Aquitaniae tum ex conventibus comitatus Russilionensis ut supra, et modo non habeat nisi quindecim magistros, ex gratia speciali et ad petitionem eiusdem provinciae extendimus et augemus praefatum numerum magistrorum usque ad octodenarium, similiter etiam numerum baccalaureorum ad eundem extendimus.

3. Cum alias conventus Perpiniani ante praefatam unionem huic provinciae gauderet privilegiis studii generalis in provincia Aragoniae, a qua fuit separatus, concedimus et ordinamus, ut in hac etiam provincia iisdem privilegiis gaudeat, et, in quantum opus est, praefatum conventum Perpinianensem de novo erigimus in studium generale et formale huius provinciae, ita ut deinceps duo sint huius provinciae studia generalia, scilicet in conventibus Aginnensi et Perpinianensi.

### Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

1. Confirmamus decretum factum a rr. patribus de consilio conventus ss. Ioannis et Pauli de claudendis et extollendis fenestris super publicam viam respicientibus in ultima superioris dormitorii cella eiusque cubiculo annexo in omnibus et per omnia, prout fuit in actis capituli provincialis huius nostrae provinciae nuper Tarvisii sub die 19. aprilis 1670 celebrati confirmatione tertia confirmatum.

2. Confirmamus ordinationem quintam in ordine in huiusmodi actis contentam, fundatam in ordinatione capituli generalis Romae 1656 celebrati circa modum, conditiones et requisita ad habendas et proponendas petitiones magistri studentium et baccalaurei ordinarii nostri studii generalis Patavini, quae omnia omnino praecipimus in perpetuum observari sub poenis in dicta ordinatione capituli provincialis contentis.

3. Acceptamus praedicaturam generalem r. p. lect. fr. Georgii Martuzza, prioris Tarvisini, pro conventu s. Petri Martyris de Utino, irritantes et annullantes, quodcumque in contrarium fuit attentatum, iuxta instantiam huic diffinitorio capituli generalis factam in actis eiusdem capituli provincialis acceptatione tertia.

4. Remittimus arbitrio ac prudentiae rev. magistri ordinis primam huius nostrae provinciae petitionem de succursu rogato propter penuriam conventuum dictae provinciae, ut ipse rev. in sua eiusdem visitatione pro sua maturitate ac iudicio ipsi provideat, ratificantes ex nunc prout ex tunc, quidquid expediens in hac materia iudicaverit ac conveniens, quodque ipse reverendissimus determinarit, ac si per praesens diffinitorium capituli generalis factum ac stabilitum esset, omnino praecipimus ac volumus teneri et inviolabiliter observari.

5. Declaramus, facimus et erigimus in conventum collegiatum coenobium nostrum s. Mariae Gratiarum de Este cum omnibus gratiis, privilegiis, iurisdictionibus ac praerogativis, quibus caeteri conventus nostrae dictae provinciae et totius ordinis collegiati frui et gaudere solent et consueverunt, dummodo tamen alat numerum sufficientem fratrum per nostras sacras constitutiones taxatum.

6. Reponimus in pristinum suum ius, a quo per non usum negligenter ceciderat, conventum nostrum s. Mariae in Portu de Liniaco, declarantes, priori pro tempore existenti dicti conventus competere votum in capitulis provincialibus ad formam nostrarum legum pro conventibus pro eo statu, in quo ipse reperitur, et acta praedicti capituli provincialis petitione tertia testantur praescriptam.

7. Ad evitandas multas in hac provincia dissensiones, scandala ac praeiudicia decernimus, nullius inposterum valoris censendas esse affiliationes fratrum a conventu alienae ad conventum huius nostrae provinciae, nisi prius a capitulo provinciali eiusdem per maiorem partem patrum provinciae simul congregatorum fuerint per vota secreta acceptatae; indemnitate tamen auctoritatis rev. magistri ordinis, si voluerit expresse supplere huiusmodi requisitum ac dispensare, semper praeservata.

8. Admittimus, destinamus et, ut in aliis provinciis moris est, deputamus conventum ss. Ioannis et Pauli Venetiarum pro collocatione in ipso quatuor ad summum cum titulo studentium formalium Patavinorum,

sine tamen dispensationibus; qui quidem tam in studentes quam in lectores Patavii examinari more solito debeant, servata in reliquis norma eadem circa ipsos conventus ipsius Patavini.


9. Contributiones conventuum huius nostrae provinciae ad instantiam eiusdem sic augendo reformamus, ut in subsidium expensarum r. adm. p. provincialis pro tempore existentis occurrentium, cui iam taxatae contributiones sufficere non possunt, caeteris immutatis: conventus ss. Ioannis et Pauli se conformando Patavino et Tarvisino 126 libras Venetae monetae, conventus s. Ioannis de Rhodiginio inter collegiatos paucis ab hinc annis relatus 40 libras, conventus s. Mariae Gratiarum de Este inter pariter collegiatos ad praesens adscriptus 40 itidem libras, conventus s. Ioannis Baptistae de Fara tres Venetos ducatos, conventus s. Mariae Gratiarum de Valvassono, s. Martini de Coneliano et ss. Rosarii Venetiarum, quibus non fuerunt adhuc taxatae contributiones, tres quoque ducatos singuli, conventus s. Laurentii de s. Vito, in prioratum annis proxime elapsis erectus, et conventus s. Rocchi de Marostica tres Venetos ducatos, vicariatus Salvaterrae septem Venetas libras, r. adm. p. provinciali pro suis contributionibus priores praefatorum conventuum pro tempore existentes teneantur sub poena absolutionis ab officio persolvere; praeter quas contributiones modo praedicto taxatas quilibet huius provinciae conventus teneatur eidem p. provinciali pro tempore pro sua visitatione septem ad minus libras, ultra viaticum, in subsidium conferre.

10. Cetera omnia ab hac provincia petita et ad eadem spectantia remittimus dispositioni rev. magistri ordinis, confirmantes in reliquis omnia et singula acta praedicti capituli provincialis novissime celebrati.

### Pro provincia s. Catharinae virginis et martyris de Quito.

1. Quia in erectione huius nostrae provinciae ad ipsam integrandam applicati fuerunt conventus aliqui, nec non doctrinae tum provinciae Peruanae tum provinciae s. Antonini de Novo Regno, in quibus s. Ludovicus Bertrandus ordinis nostri pro munere sui apostolatus aliquamdiu demoratus fuit, ad instantiam eiusdem provinciae peculiariter huic sancto addictae concedimus, ut festum ipsius in hac provincia deinceps valeat celebrari cum octava solemni.

2. Omnibus patribus tum prioribus tum doctrinariis huius nostrae provinciae pro tempore existentibus districte praecipimus ac mandamus sub poena absolutionis ab eorum officiis ac perpetuae inhabilitatis ad illa inposterum obtinenda, quod nullatenus omittant quotidianam recitationem sanctissimi rosarii per choros alternatim. Et ad hunc effectum per r. adm. p. provincialem pro tempore in quolibet conventu designetur religiosus aliquis probatae vitae et sufficientis literaturae, ad quem pertineat hora



congrua seculares ad huiusmodi recitationem convocare quartisque feriis et sabbatis de mysteriis meditandis sermonem habere. Quod idem facere teneantur per se ipsos residentes in doctrinis, sed lingua vulgari et generali Indorum, nulli etiam ex fiscalibus rei ita gravis curam committentes.

3. Quia non sine gravi animorum nostrorum moerore intelligimus, aliquos ex hac provincia fratres occasione assignationum de uno conventu ad alium manere extra claustra per annos integros, de uno in alium locum vastissimae regionis cum non parvo ordinis nostri dedecore ac populorum scandalo vagantes, praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto nec non sub poena carceris omnibus et singulis ita assignatis seu deputatis vel in posterum assignandis seu deputandis, ut recto tramite incedant et infra terminum in literis seu assignationum seu deputationum omnino praefigendum prioribus aut praesidentibus conventuum, ad quos mittuntur, teneantur quantocyus sub eadem poena se praesentare, conscientias tum provincialium tum priorum conventualium circa exequutionem praefatae nostrae ordinationis in diem domini specialiter aggravantes.

4. Indemnitati conventuum huius nostrae provinciae providere volentes, ordinamus omnibus et singulis prioribus conventualibus pro tempore existentibus ac sub poena privationis ab eorum officiis eis mandamus, ut, quotiescumque in posterum continget ad favorem alicuius conventus imponi censuales redditus sive iam impositos in casu restitutionis seu redemptionis iterum reimponere, neutrum fieri possit absque speciali licentia r. adm. p. provincialis in scriptis obtinenda, nec non praevio rigoroso examine de valore et firmitate hypothecarum, in consilio patrum ac capitulo conventuali habendo.

## Pro provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.

1. Confirmamus omnes et quascumque ordinationes factas pro hac nostra provincia in proxime praeterito capitulo generali Romae celebrato anno 1656, volumusque pro felici gubernio eiusdem provinciae ab omnibus ad eam quomodolibet spectantibus omnino observari.

2. Pro manutentione ac incremento strictissimae observantiae regularis, quam in hac nostra provincia, Deo dante, vigere dignoscimus, declaramus, quod quando in actibus capitulorum generalium fiunt aliquae ordinationes, concessiones, dispensationes etc. pro provinciis Indiarum in communi, alias repugnantes ordinationibus seu decretis hucusque specialiter factis ac promulgatis vel a capitulis generalibus vel a rev. magistris ordinis pro hac provincia particulari, nullatenus ipsam comprehendant, in his videlicet, quae eius rigidae observantiae statui videntur contraria.

## Pro provincia s. Hippolyti martyris de Oaxaca.

1. Confirmamus et approbamus numerum octonarium magistrorum ad titulum lectionis pro hac provincia olim taxatum a rev. mag. ordinis de Marinis piae mem., volumusque praefatum numerum nullatenus excedi.

2. Item ad petitionem provinciae declaramus r. p. praedicatorem generalem fr. Ioannem Mendez, qui, ut asseritur, per octo annos continuos officium magistri novitiorum fructuose ac laudabiliter exercuit, gaudere gratiis et privilegiis per capitulum generale Valentinum 1647 concessis huiusmodi magistris novitiorum, verificatis tamen conditionibus in eodem capitulo Valentino expressis, et non aliter nec alio modo.

3. Confirmamus id, quod iuxta textum nostrarum constitutionum pluries in aliis capitulis generalibus et praesertim Romae 1629, 1644 et postremo 1656 declaratione 12. sancte ac salubriter statutum fuit his verbis: « Declaramus, omnes fratres nostros, cuiuscumque dignitatis, officii aut gradus fuerint, nemine prorsus excepto, obligari ad assiduam chori tam nocturni quam diurni sequelam, demptis solis lectoribus actualibus et magistris actu docentibus ». In cuius rei exequutionem serio mandamus sub poena suspensionis ab officio r. p. priori pro tempore conventus nostri s. Dominici de Oaxaca, quod nullatenus permittat, aliquem ex patribus sive ex fratribus assignatis vel deputatis in praedicto conventu eximi a sequela chori et hebdomadaria, nisi ex vi nostrarum constitutionum sit de iure dispensatus.

4. Cum alias in capitulo generali Romano 1650 pro fovendo et promovendo in hac provincia studio linguarum Zapothecae et Mistecae summe necessario ad promovendam in illis partibus animarum salutem addita fuerint huic provinciae bina graduum loca, videlicet unum magisterium et una praesentatura pro titulo ac lectione praedictarum linguarum, confirmamus praedictam concessionem cum omnibus et singulis annexis in ea contentis volumusque inviolabiliter observari.

5. Rationem habere volentes laborum ac meritorum r. adm. p. mag. fr. Christophori de Aguero, qui per quadraginta annos ministerium apostolicae missionis inter Indos tam laudabiliter tamque fructuose exercuit, librosque perutiles pro omnibus evangelii ministris in lucem edidit, nec non plura beneficia provinciae contulit tum in officio prioris principalium conventuum tum in munere vicarii provinciae, quod per tres vices obtinuit, ad eiusdem provinciae petitionem praesentium tenore praedictum r. adm. p. magistrum coaptamus ac annumeramus inter patres provinciae, ac si extitisset provincialis, concedendo ei locum ex speciali gratia immediatum post omnes illos, qui revera provinciales fuerunt; quo loco aliisque praerogativis patribus provinciae debitis frui ac gaudere in posterum volumus ac mandamus.

6. Facultatem concedimus r. p. fr. Petro de Covaruvias provinciae Bethicae transferendi suam affiliationem a suo conventu originali Giricensi ad aliquem conventum benevolum huius provinciae s. Hippolyti Martyris de Oaxaca. Eandem facultatem concedimus rr. pp. ff. Simoni Pintelos et Dominico de Lisardi provinciae Hispaniae, Emanueli de Noriega provinciae s. Vincentii de Chiappa, et Idelphonso Gomero provinciae s. Crucis, ut scilicet ex eorum provinciis ad hanc possint affiliari; quae facultas his omnibus concessa exequutioni mandetur, servatis de iure servandis, et non aliter nec alio modo.

## Pro provincia s. Petri Martyris.

1. Damus in regentem generalis studii nostri s. Eustorgii Mediolani adm. r. p. mag. fr. Carolum Mariam Arconatum, expleto tamen triennio praesentis regentis; in baccalaureum et magistrum studii eos, quos rev. magister ordinis pro sua prudentia idoneos iudicaverit.

2. In memoriam revocamus ordinationem alias factam pro hac nostra provincia in capitulo generali Romano 1650, qua sub poena absolutionis ab officio serio mandatum fuit tam provinciali quam prioribus conventualibus huius provinciae, ne quemquam ad habitum sive clericalem sive conversorum recipiant, antequam ei deputetur ac designetur certus ac determinatus conventus, pro quo censeatur recipi; quam ordinationem iterum renovamus sub eadem poena absolutionis ac volumus omnino observari.

3. Ordinamus, ut graduandorum petitiones fiant in capitulo provinciali non a solo diffinitorio, sed a diffinitoribus una cum magistris et patribus provinciae unitis in consilio, ubi divini iudicii memores, privatis affectionibus omnino sepositis, accuratius ex norma iustitiae distributivae procedant per vota secreta, ne ulli iuste conquerendi ansa praebeatur.

4. Ordinamus, ut deinceps nullus lector assignetur sive instituatur in lectorem philosophiae in studio generali s. Eustorgii, qui prius in aliquo conventu eiusdem provinciae cursum philosophiae laudabiliter per triennium non absolverit.

5. Loca in generali studio s. Eustorgii pro studentibus exteris destinata a studentibus huius provinciae occupari sub poena nullitatis prohibemus.

6. Ordinamus, quod non solum studentes formales studii generalis s. Eustorgii, sed etiam studentes materiales, imo etiam novitii in propriis materiis illo anno auditis teneantur subire examen annuale, ad quod praeter consuetos moderatores convenire debent r. adm. p. provincialis, si adsit, et magistri provinciae; et qui per vota secreta iudicati fuerint non profecisse sive in literis sive in moribus, condignis mortificationibus

subiaceant et, si opus fuerit, illos tamquam indignos et loca aliorum occupantes eiiciant; quod praesertim circa studentes formales volumus irremissibiliter observari. Hoc autem examen non fiat in interstitiis vacationum, sed tempore congruo, ut melius et commodius possint tam moderatores quam examinatores convenire.

### Pro provincia s. Catharinae Senensis seu Aprutina.

1. Confirmamus ordinationes et statuta olim facta per rev. magistrum ordinis piae mem. p. fr. Ioannem Baptistam de Marinis pro collegio s. Dominici de Aquila, volumusque inviolabiliter ad unguem observari.

2. Ordinamus, quod in generali studio s. Mariae ab Arcu loca alias pro exteris studentibus destinata nullatenus possint a studentibus huius provinciae occupari, quod expresse mandamus sub poena nullitatis examinis, si contrarium attentari contigerit.

3. Cum alias haec provincia ob fratrum paucitatem inpraesentiarum maximum patiatur incommodum, ordinamus et districte praecipimus, ut omnes patres ac fratres ad hanc provinciam spectantes et extra eam commorantes, excepto casu studii, infra spatium duorum mensium ab horum actorum promulgatione ac notitia ad hanc suam nativam provinciam personaliter accedere teneantur sub poena a magistro ordinis sua prudentia ac zelo irremissibiliter taxanda.

4. Confirmamus ordinationem seu dispositionem alias factam in capitulo provinciali Pennensi huius provinciae proxime celebrato anno 1668 quoad illos, qui ad capitulum generale mittuntur, nempe quod pro iustitiae distributivae aequalitate servanda inter nationes huius provinciae nunquam ex eadem sumantur natione provincialis et socius eiusdem pro capitulo generali sive diffinitor et elector, sed eligantur iuxta partitionem triplicis nationis pro triplici munere, provincialis scilicet, diffinitoris et electoris, ut sic unaquaeque natio suo proprio gaudeat voto.

### Pro provincia s. Hyacinthi de Russia.

1. Ad petitionem eiusdem provinciae numerum magistrorum et praesentatorum extendimus, ut deinceps magistri duodecim, praesentati vero quindecim numerentur.

2. Concedimus r. adm. p. mag. fr. Hyacintho Klonski, moderno provinciali, ut conventibus ex hostico recuperatis et tempore sui provincialatus recuperandis, praemisso patrum consilio, providere possit de prioribus, cum alias huiusmodi provisio iam devoluta fuerit ad rev. magistrum generalem ordinis.

3. Erigimus studia theologica materialia in conventibus Cameneccensis s. Nicolai et Minscensi s. Thomae Aquinatis, in quibus lectio theologica scholastica ad minus integro triennio completa cum defensatis publice the-

sibus theologicis patribus lectoribus pro magisterio studii valeat, ac si illud in studio generali Leopoliensi peregissent.

4. Patribus lectoribus theologis, qui in cathedra Camenecensi et Minscensi praedicaverint laudabiliter, ob concursum magnatum ad comitia et iudicia concurrentium, concedimus easdem gratias, quae concessae sunt illis, qui in cathedra Leopoliensi simili munere funguntur, ex capitulo generali Bononiae 1615 celebrato, suppositis tamen conditionibus in eodem capitulo generali Bononiae taxatis.

5. Concedimus r. adm. p. mag. fr. Hyacintho Klonski, moderno provinciali, ut, quando actualiter visitabit contratam Albae Russiae, assumptis sibi quatuor graduatis, possit examinare ad praedicaturam generalem r. p. fr. Benedictum Brodzki et r. p. fr. Beatum Ziolkovski, idque ob evitandas expensas pro aditu ad studium generale pro huiusmodi examine necessarias.

6. Damus in regentem studii generalis Leopoliensis r. adm. p. mag. fr. Dominicum Hyacinthum Malinovski, idque tunc quando praesens regens r. adm. p. mag. fr. Franciscus Bogdanowiz praescriptum sibi tempus expleverit; in baccalaureos autem ordinarios eiusdem studii post modernum r. p. fr. Clementem Sokolonski damus rr. pp. Felicianum Kedziersenski et Antonium Traszka.

7. Ad petitionem vocalium conventus Iaslovicensis concedimus eisdem licentiam et opportunam dispensationem, quatenus modernum priorem r. p. fr. Simonem Niszyska expleto triennio sine requisitis interstitiis ad aliud triennium eligere possint, iustis de causis in diffinitorio propositis et approbatis. Similem licentiam et facultatem concedimus vocalibus conventus Zolkieviensis ad eorundem petitionem pro reelectione moderni prioris r. p. praed. gen. fr. Ioannis Damasceni Oranski, similibus de causis.

8. Suppositis supponendis approbamus affiliationem r. p. praed. gen. fr. Caroli Francho pro conventu Montis sanctissimi Rosarii a patribus dicti conventus petitam, cum nativus eius conventus Laticzoviensis consentiat.

9. Approbamus praedicaturas generales cum conventibus sibi designatis iam examinatorum pp. ff. Humberti Dachonski, Francisci Drievzkovski, Matthiae Trygar, Eustachii Bilecki, Petri Iurepatrovski, Caroli Francho, Michaelis Iskierski, Samuelis Bielavski, Casimiri Gawerechi, Ioannis Baptistae Chocisrevski et Christophori Irezvorski lectoris.

10. Approbamus et acceptamus fundationem conventus Pinscensis ab illustrissima domina Lucretia Maria Strozzin, marchionissa Kopciocoa, palatina Polocensi factam.

11. Erigimus vicariatum Bielicensem in conventum formalem, quandoquidem, ut exponitur, est ita sufficienter provisus, ut duodecim fra-

tres alere valeat, damusque licentiam moderno provinciali r. adm. p. mag. fr. Hyacintho Klonski providendi ei de primo priore ad mentem fundatricis.

12. Controversiam de limitibus cum provincia Lithuaniae ad visitationem p. rev. magistri ordinis remittimus, et interim nihil innovandum decernimus ac mandamus.

## Pro provincia Parisiensi.

1. Concedimus, quod vicariatus Metensis gaudeat in posterum aliorum conventuum privilegiis, et ad petitionem provinciae illum erigimus in prioratum. Quantum autem ad vicariatum nostrae dominae de Nazareth committimus rev. magistro ordinis, ut accepta pleniori informatione super illius erectione in prioratum pro sua prudentia provideat.

2. Committimus rev. patri nostro generali, ut debitas informationes ac processus de sanctitate vitae ac virtutum heroicitate ven. servi Dei Petri Quintini conventus Montis Relaxi fieri et perfici procuret.

3. Approbamus magisteria rr. pp. ff. Roberti Roger, Stephani Gomor, Petri Godot, Renati Burgeaut, Vincentii Carron et aliorum ab ultimo capitulo generali usque ad praesens rite promotorum.

## Pro provincia Lituaniae s. Angeli Custodis.

1. Ad duplicem petitionem provinciae nostrae s. Angeli Custodis in magno ducatu Lituaniae concedimus, ut singulis feriis 2. non impeditis, in quibus ex speciali indulto et consuetudine huius provinciae officium de s. Angelo Custode eius patrono recitatur, memoria quoque in vesperis et in laudibus habeatur de s. Rosa ordinis nostri, quam haec provincia peculiariter sibi in tutelarem accivit, ut exponitur.

2. Volumus et admonemus, ut in conventu Seijnensi regularis observantia vigeat et in dies augmentetur; quod specialiter curae ac diligenti animadversioni et zelo r. adm. provincialis pro tempore efficaciter demandamus.

3. Confirmamus erectos provinciae novitiatus videlicet Vilnensem s. Spiritus, Seijnensem, Derecinensem et Rosinensem, in quibus recipi, religiose educari et informari fratres novitii debent, dummodo in illis vigeat regularis observantia.

4. Acceptamus acta convocationis Grodnensis sub generalis commissario a. r. p. mag. fr. Ceslao Baier facta, eorumque omnia statuta et decreta in toto singulis suis paragraphis et apicibus comprehensa approbamus ac pro pace provinciae inviolabiliter observari ab omnibus decernimus et mandamus.

5. Erigimus conventum Rosostocensem in prioratum, cum a suis fundatoribus et benefactoribus ad alendum iuxta constitutiones nostras fratrum numerum sufficientissime sit provisus, ut exponitur; primumque

priorem huius conventus adm. rev. p. mag. provinciali instituendum concedimus.

6. Controversiam de limitibus cum provincia s. Hyacinthi in Russia ad visitationem rev. magistri ordinis remittimus et interim nihil innovandum decernimus ac mandamus.

7. Decernimus, in posterum numerum magistrorum huius provinciae fore duodenarium, baccalaureorum octonarium; praedicatores autem generales esse poterunt tot, quot conventus habentes numerum sufficientem ad eligendum socium pro capitulo provinciali.

8. Damus in regentem generalis studii adm. r. p. mag. fr. Michaelem Woynilowicz, provincialem modernum, post expletum provincialatus officium, cuius vicem in omnibus ad capitulum futurum suppleri per alium, quem destinaverit, concedimus. In baccalaureum eiusdem studii destinamus r. p. Balthassarem Omuchovicz s. theol. baccalaureum, stante tamen praesente baccalaureo studii r. p. Alphonso Slanka s. theol. praesentato usque ad futurum immediate capitulum provinciale. Similiter approbamus institutum magistrum studii r. p. fr. Ambrosium Puslovski s. theol. lectorem, postquam expleverit suum magisterium studentium r. p. fr. Hilarion Deltrovicz s. theol. lector et modernus magister studii; professorem vero actualem philosophiae in eodem generali studio r. p. fr. Raphaelem Politalski s. theol. lectorem providemus.

9. Approbamus institutionem alias factam praedicatorum generalium videlicet rr. pp. ff. Ioachimi Buslovski, Dominici Ianoronski, Ludovici Sulvatycki, Melchioris Sarnacki, Polydori Skorobohatii et Gabrielis Ionokonski, dummodo singulis assignati sint conventus actu carentes alio praedicatore generali.

10. Cum moderni p. provincialis officium in suo hinc regressu ad provinciam expiret, volentes, quod commode debito tempore capitulum congregetur, prolongamus officium sui provincialatus usque ad anni 1671 dominicam secundam post octavam sanctissimae Trinitatis cum omni auctoritate, titulo ac praerogativa; cui etiam locum inter magistros provinciae post expletum provincialatum, ac si iam magister electus fuisset in provincialem, assignamus.

### Pro provincia s. Ludovici.

1. Denuntiamus, congregationem s. Ludovici regis Francorum apostolica auctoritate erectam et institutam fuisse in provinciam sub eodem titulo per breve pontificium fel. rec. Clementis papae IX., quod incipit: « Iniuncti nobis divinitus etc. », instante procuratore generali ordinis sub die 5. februarii 1669, a quo tempore iuribus ac privilegiis aliarum provinciarum gavisa est, et ex infrascriptis conventibus coalescit, scilicet ss. Annuntiationis Parisiis, s. Iacobi Rothomagensi, s. Iacobi Cadomensi,

Tullensi ss. Petri et Pauli, Ambianensi, Blainvillano, s. Thomae de Menilgarnia, s. Mariae Assumptae Gonessiano, ss. Virginis a Pace Nanceiano, ss. Trinitatis Abbavillaeo, necnon mònasteriis monialium Metensi, Abbavillaeo et Vincensi, sicut habetur in bulla eminentissimi d. Ludovici cardinalis de Vandosime, tunc sanctae sedis apostolicae apud christianissimum regem de latere legati, nonis aprilis anno 1668, postmodum per supramemoratum breve confirmata.

2. Concedimus huic nostrae provinciae nuper erectae, ut in posterum et in perpetuum iuribus omnibus et privilegiis aliarum provinciarum nostri ordinis libere ac pacifice potiatur, ita ut r. adm. p. fr. Antoninus Mousset, primus in ea provincialis, et qui illi in eodem officio succedent, expleto provincialatus officio, iure paternitatis provinciae maxime quantum ad vocem in capitulis provincialibus et locum ubicumque supra alios fratres iuxta seriem constitutionum nostrarum plenarie gaudeant.

3. Approbamus et confirmamus quaecumque a rev. patribus generalibus sive etiam in capitulis dictae congregationis et in ultimo capitulo provinciali sancita et ordinata fuerunt pro manutentione observantiae regularis, ad quam omnes huius provinciae patres ac fratres tum capita tum membra in visceribus Iesu Christi adhortamur.

4. Concedimus huic nostrae provinciae, ut in omnibus et singulis eius conventibus celebretur festum s. Ludovici Francorum regis, sub cuius titulo fundata fuit, cum octava solemni.

## Pro congregatione Ragusina.

1. Ad petitionem huius nostrae congregationis concedimus, ut deinceps in conventu s. Dominici de Ragusino recitari possit sub ritu totius duplicis officium s. Stephani regis Ungariae, cuius insignes reliquias in ecclesia praefati conventus conservari nobis nuper expositum est.

2. Confirmamus ordinationem primam alias factam in postremo capitulo generali Romano pro hac nostra congregatione, videlicet quod huius congregationis vicarii generales in posterum biennio dumtaxat in suo officio perdurare possint, idemque de prioribus statutum decernitur; quam ordinationem, quatenus opus est, innovamus eamque inviolabiliter observari mandamus.

3. Cum haec congregatio maximum damnum passa sit ob mortem tot patrum et fratrum occasione praeteriti terraemotus in civitate Ragusina, ordinamus et in virtute Spiritus sancti et s. obedientiae mandamus omnibus et singulis fratribus ad hanc congregationem spectantibus, qui ratione studiorum in aliis provinciis commorantur, ut peractis studiis statim ad suam nativam congregationem redire teneantur, ut ibidem inservire possint pro communi necessitate iuxta vires unicuique a domino praestitas.

4. Et quia ex vi praefati terraemotus ecclesia nostra s. Dominici de Ragusio tecto discooperta remansit, ita ut alibi, usque dum resarciatur, fratres praefati conventus cogantur divina officia persolvere, serio committimus r. p. vicario congregationis necnon priori Ragusino, ut quantocyus sollicitent huiusmodi reparamentum ecclesiae ad effectum, ut fratres valeant commodius divinis attendere ac in Dei servitium animarumque salutem decentius applicari.

5. Committimus eidem r. p. vicario generali huius congregationis, ut, si quos inveniat novitios professos praefatae congregationis, ingenio ac morum honestate praeditos, qui absoluto cursu philosophico ad studium s. theologiae in exteris provinciis petant applicari, eos proponat rev. magistro ordinis, ut ipsis de locis proportionatis ad eorum profectum opportune sua prudentia provideat.

**Pro congregatione Indiarum Orientalium.**

1. Hortamur et per viscera Iesu Christi obtestamur r. adm. p. provincialem provinciae Portugalliae pro tempore, cui provinciae annexa et unita est haec nostra Indiarum Orientalium congregatio, ut ad illam missionem, quam pro paucitate ministrorum non sine animorum nostrorum gravi maerore intelligimus valde destitutam et deficientem, efficaci zelo animet, promoveat, impellat religiosos ad id idoneos sibi subditos, qui solam Dei gloriam animarumque salutem prae oculis habentes, tum proprii instituti tum pretiosissimae mercedis evangelizantibus promissae memores ad christianam fidem in illis vastissimis regionibus propugnandam atque propagandam, spretis quibusvis mundi periculis, certatim anhelent. Hic enim nostrae religionis principalis scopus, finis atque exercitium.

2. Pro manutentione et augumento huius nostrae congregationis ordinamus r. adm. p. provinciali Portugalliae pro tempore, quod fratres praedictae congregationis, qui alias legitimam non habebunt a rev. magistro ordinis facultatem remanendi in provincia, omnino compellat, ut statim ab horum actorum promulgatione ad propriam congregationem redeant, alias nullis privilegiis, gradibus vel exemptionibus eos gaudere sinant iuxta alias ordinatum a rev. p. fr. Thoma Turco, olim magistro ordinis.

3. In virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus r. p. vicario pro tempore, ut procuret quantocyus in civitate Ulyssiponensi fundari aliquod capitale fructiferum certum ac stabile, ex quo habeantur redditus sufficientes pro transmittendis fratribus ad huiusmodi missionem, et sub eodem praecepto committimus et mandamus r. adm. p. provinciali Portugalliae pro tempore, ut sedulo invigilet, quatenus eleemosina, quae ex regia munificentia quotannis pro

missionariis destinata est, nullatenus in alios sumptus convertatur. Quod si recipi ea non possit nisi post profectionem missionariorum, maneat servata, custodita ac depositata pro illis, qui anno sequenti proficiscentur vel pro solvendis debitis, quae forte contracta sunt pro missionariis iam transmissis.

4. Ordinamus, quod nulla fiat innovatio circa huius nostrae congregationis gubernium ac statum, sed volumus eam perseverare unitam et annexam provinciae Portugalliae illiusque provinciali subiectam, sicut usque modo extitit; ad quem provincialem proinde spectet vicarium praefatae congregationis instituere iuxta formam consuetam, non obstante quacumque alia in contrarium dispositione.

**Pro congregatione s. Mariae Sanitatis.**

1. Confirmamus omnes et singulas ordinationes pro bono regimine et incremento regularis observantiae praescriptas huic nostrae congregationi per rev. p. Ioannem Baptistam de Marinis piae mem. magistrum generalem ordinis easque volumus omnino observari.

2. Ad fovendam firmandamque exactam observantiam in monasterio nostro s. Catherinae Senensis de Neapoli confirmamus tum ordinationem 6. capituli generalis Romae celebrati 1656, qua decernitur, ut in praefato monasterio quaelibet novitia post emissam professionem adhuc teneatur per triennium remanere intra septa novitiatus sub vigili cura et directione suae magistrae, tum ordinationem 7. eiusdem capituli, qua statuitur, quod nulla monialis monasterii praedicti tempore suae professionis sibi reservare possit annuos redditus vitalitios, etiam sponte oblatos vel a consanguineis vel ab aliis illi designatos, sed vel ultro his renuntiet vel de facto communibus monasterii usibus applicentur. Quas ordinationes, quatenus opus est, innovamus, mandantes sub poena suspensionis ab officio r. adm. p. vicario pro tempore huius nostrae congregationis necnon priori conventus Sanitatis de Neapoli, quatenus eas inviolabiliter ac indispensabiliter observari faciant.

3. Acceptamus et approbamus magisteria rr. patrum huius congregationis, qui iampridem per rev. magistrum ordinis fel. rec. p. fr. Ioannem Baptistam de Marinis ad huiusmodi gradum fuerunt rite promoti, eosque gratiis, privilegiis ac exemptionibus alias solitis concedi magistris in hac congregatione gaudere volumus et mandamus.

4. Ad petitionem eiusdem congregationis confirmamus ad aliud triennium in officio regentis collegii nostri Montis Dei adm. r. p. mag. fr. Philippum de Tarento; damus in baccalaureum ordinarium eiusdem collegii, cum primum vacaverit, r. p. lect. fr. Gabrielem Valentino, et in magistrum studentium r. p. lect. fr. Thomam Mariam Margarita.

### Pro congregatione Sardiniae.

Cum monasterium nostrum sanctimonialium s. Catharinae Senensis civitatis Callaris debitum ac congruum monialium numerum inpraesentiarum alat, ut nobis expositum est, concedimus ad instantiam eiusdem congregationis praefatis monialibus choristis ius eligendi sibi priorissam, iis tantum videlicet, quae sextum suae professionis annum compleverunt iuxta tenorem nostrarum constitutionum.

### Pro congregatione Britannicae.

1. Confirmamus omnia et singula privilegia huic congregationi concessa et confirmata a pluribus rev. magistris generalibus, scilicet Seraphino Sicco, Nicolao Rodulphio, Thoma Turco et b. m. Ioanne Baptista de Marinis, necnon a variis capitulis generalibus acceptata, videlicet a capitulo generalissimo Romae 1644, Valentiae 1647, et iterum Romae 1650, necnon 1656. Quae quidem privilegia cum in favorem observantiae huic congregationi concessa fuerint, ad eamdem observatiam fratres ad illam pertinentes hortamur, et, ne ullus contra huiusmodi privilegia aliquid attentare audeat, districte prohibemus, inconsulto rev. p. magistro ordinis generali et absque praevio illius consensu.

2. Concedimus huic congregationi, ut in omnibus et singulis eius conventibus festum s. Vincentii Ferrerii, cuius reliquiae asservantur in civitate Venetensi cum octava solemni celebretur.

### Pro congregatione s. Marci de Gavotis provinciae Regni.

1. Confirmamus ac inviolabiliter observari volumus ac mandamus ordinationes olim factas a rev. magistro ordinis Thoma Turco et successive approbatas et confirmatas ab eius immediato successore rev. Ioanne Baptista de Marinis piae mem. pro felici gubernio ac promotione et firmitate regularis observantiae huius nostrae congregationis.

2. Approbamus acceptationem factam conventus s. Dominici de Suriano in terra Solofrae, Salernitanae dioecesis, ex munificentia excellentissimae d. principissae Dorotheae Ursinae, Gravinensium ducissae, fundati; et quia praefatus conventus inpraesentiarum possidet redditus sufficientes ad alendos duodecim fratres et de facto alit, iuxta nostrarum constitutionum tenorem eumdem conventum in prioratum erigimus; quod idem concedimus conventibus ss. Rosarii Ottaviani et s. Dominici de Rocca Monfina, duodecim fratres etiam ipsis alentibus.

3. Concedimus fratribus eiusdem conventus s. Dominici de Suriano Solofrae, ut in die translationis corporis s. Restitutae virg. et mart., quod in praefata nostra ecclesia conditum iacet, celebrare possint officium sub ritu totius duplicis de eadem sancta.

4. Innovamus et confirmamus atque indispensabiliter observari praecipimus ordinationem 5. capituli generalis Romae 1656 celebrati pro

hac nostra congregatione emanatam sequentis tenoris: « Ordinamus, quod filii huius congregationis non possint assignari extra illam ad alios conventus, et si quae tales assignationes iam factae sint, eas annullamus; neque priores aliter quam causa hospitalitatis ad triduum hos fratres in suis conventibus recipiant moxque ad suam congregationem remittant ». Quapropter omnibus ac singulis fratribus huius nostrae congregationis, extra illam absque speciali et expressa licentia rev. magistri ordinis existentibus, in meritum s. obedientiae mandamus, ut ad eamdem statim a promulgatione praesentium actorum personaliter revertantur sub poenis arbitrio rev. magistro ordinis infligendis.

5. Hortamur et, quatenus opus est, praecipimus et mandamus rr. pp. prioribus pro tempore conventuum provinciae regni Neapoli existentium, ut, quotiescumque contigerit aliquem vel aliquos ex hac congregatione s. Marci de Gavotis ob publica vel privata negotia cum debitis licentiis ad civitatem Neapolitanam accedere ibique per aliquos dies commorari, illum vel illos benigne recipiant et charitative pertractent, eosque tamquam filios eiusdem provinciae et ad ipsam pertinentes agnoscant.

### Pro congregatione b. Iacobi Salomonii.

1. Denuntiamus, in provincia s. Dominici Venetiarum auctoritate rev. p. magistri generalis fr. Ioannis Baptistae de Marinis fel. rec. per litteras speciales datas die 4. augusti 1662 et confirmatas auctoritate apostolica per pontificium breve Alexandri papae VII., quod incipit: « In sublimi sedis apostolicae specula etc. », sub dat. Romae 16. ianuarii 1666 erectam fuisse ac noviter creatam congregationem sub invocatione ac titulo b. Iacobi Salomonii, ad effectum ut in ea in dies magis ac magis effloreat et promoveatur nostrarum constitutionum perfecta observantia; cui congregationi addicti fuerunt ac destinati in limine fundationis nostri conventus s. Secundi, Civitatensis, Pharensis, Rosatiensis et Iustinopolitanus, et si qui alii praefatae provinciae Venetiarum eumdem successivo tempore strictioris observantiae rigorem fuerint amplexati aut pro eadem noviter fundati. Quam erectionem tenore praesentium confirmamus et acceptamus volumusque praedictam congregationem gaudere omnibus et singulis privilegiis exemptionibus ac praerogativis, quibus ceterae congregationes aliis provinciis unitae in ordine nostro gaudere solent ac consueverunt.

2. Acceptamus tres conventus noviter praefatae congregationi acquisitos scilicet conventum s. Martini de Corneliano, quem in domum novitiorum destinamus, conventum s. Mariae Gratiarum de Valvassono, religioni donatum ab illustrissimo d. Cesare, comite Valvassoni, Cuccaniae etc., et conventum ss. Rosarii Venetiarum.

3. Approbamus translationem factam auctoritate rev. p. vicarii generalis fr. Petri Mariae Passerini studii seu collegii huius nostrae congregationis a conventu s. Secundi ad conventum praefatum ss. Rosarii Venetiarum, volumusque ibidem observari adamussim omnes et singulas ordinationes olim factas per rev. magistrum ordinis fr. Ioannem Baptistam de Marinis piae mem. et apostolica auctoritate roboratas pro manutentione ac incremento studiorum in hac nostra congregatione.

4. In casu absentiae vel mortis vicarii huius nostrae congregationis deputamus ad regimen ipsius pro interim rectorem collegii pro tempore ss. Rosarii Venetiarum, usque dum rev. magister ordinis, cui de iure incumbit, provideat, prout in domino iudicaverit expedire.

5. Rogamus rev. magistrum ordinis, ut pro manutentione ac incremento huius novae congregationis non sit facilis ad concedendas licentias patribus ac fratribus alias in conventibus dictae congregationis affiliatis ab ea recedendi, maxime propriis affiliationibus retentis (1).

**Fratres et sorores, qui pretiosa in conspectu domini morte obierunt.**

In provincia Franciae.

Memoratur unus pro mille venerandus pater fr. Nicolaus de la Mare conventus Senonensis, cuius quidem autumnus uberrimus, quale fuerit ver eius, satis repandit, evasit in utroque strenuus, theorica scilicet et praxi Martae ac Magdalenae muneribus. Parisiensi laurea insignitus, ex cathedris ad sacra sugesta se transtulit. Animarum zelo perfervidus opere anteibat concionem, nec prius « docere coepit quam facere ». Et quia per exempla breve iter arctam regularis observantiae semitam multis propagavit in locis, eoque antesignano ipsam calcante « prava in directa, aspera in vias planas » conversa sunt. « At ignis non dicit, sufficit »; signifer nedum nostratis, sed exterorum ductor anhelat esse, cupitque ardenter, ubi primum steterit crucis vexillum, non sola meditatione assequi, sed visu frui inde profunda passionis Iesu reminiscentia comite, devoto sensu, humili gressu ad sancta loca longam peregrinationem aggreditur. Ibi divini amoris aestu perauctus, palmam concupiscens martyrii cum animarum lucro quaerendam, dat vela ventis spiritu domini ductus, Franciaeque Novae insulas intrepidus adit. Barbaris ea in regione Christum et coelorum regnum annuntians, quantum reportaverit salutis fructum, deus novit, qui effoetum laboribus, fructum itineribus, emeritum praedicationibus in insula Guadalupe eum ad se vocavit. An vero fuerit acceptus, dum viveret, post mortem innotuit. Vir siquidem san-

(1) Sequitur Protestatio patris secretarii ex ordine capituli, eiusdem tenoris ac MOPH. XII, 351.

ctitatis habitus quotidie etiam ab infidelibus invisitur ac colitur, apud quos, etsi mortuus, virtutum tamen et miraculorum operatione adhuc vivus, christianam fidem iisdem non sine ingenti animarum lucro praedicat e sepulcro.

In provincia Lombardiae.

In conventu s. Dominici de Calio die 9. augusti 1671 post gravem ac patientissime toleratam infirmitatem placida morte decessit r. adm. p. mag. fr. Michael Archangelus Nannius Caliensis (1), aetatis suae anno 78. Fuit is, quoad vixit, conspicuum observantiae, probitatis ac virtutum omnium exemplar; humilitate, innocentia, orationis spiritu, ardore charitatis omnique religiosae perfectionis charactere notissimus. Romae conventui s. Sabinae bis praefuit ac profuit vigilantissimus prior, ubi ob eius singularem integritatem necnon admirabile ac speciale Dei donum in liberandis energumenis, in sanandis infirmis, in praevidendis ac praedicendis futuris eventibus tamquam vir sanctus ab omnibus reputabatur, ac solo hoc nomine seu titulo passim appellabatur. Nedum apud principes et ecclesiae praelatos etiam eminentissimos, sed a summis pontificibus in magno pretio habitus, ab ipsis oblatas quandoque infulas humillimus pater constantissime abhorruit ac modeste recusavit. Bonitatem, disciplinam et scientiam aequali ardore ac studio sectatus, otio perpetuum bellum indicens, licet variis occupatus lectionibus, ab exercitio tamen charitatis nunquam se subtraxit, quam tum in confessionibus assidue excipiendis, tum in visitatione frequenti infirmorum, tum in consolandis afflictis mirum in modum exercebat. Abstinentia rara, solis herbis atque leguminibus ut in plurimum contentus, carnes nunquam comedit, nisi praecepto superiorum ratione infirmitatis compulsus. Super nudam tabulam toto suae vitae decursu pro lecto cubabat. Orationi tum vocali tum mentali quam maxime addictus. Beatissimae Virginis eximius cultor, ab eadem apparitione ac familiari colloquio creditur quandoque consolatus. Fama est, coecum solius suae salivae applicatione illuminasse, innumeros energumenos liberasse, aegrotos variis infirmitatibus pristinae sanitati restituisse, aliaque mirabilia tam in vita quam post mortem perpetrasse.

In provincia Romana.

Tametsi huic provinciae numquam defuerint in utroque sexu personae singulari exemplo ac vitae sanctimonia illustres, earum tamen aliquarum in postremis generalibus capitulis nomenclatura omnino deest, quam proinde hic permixtis cum aliis novissime in domino gloriose defunctis intexere visum est, ne publica ipsarum, qua dignae sunt memoria, tractu longioris temporis obsolescat.

---

(1) De fr. Michaele Archangelo Nannio cf. SSOP. II, 640.

1. Florentiae in insigni conventu s. Mariae Novellae Christi fuit bonus odor adm. r. p. mag. fr. Dominicus Gori, ipsa in iuventa simile gravitatis quid semper redolens; durae abstinentiae, diro cilicio, recubitui duro obduruerat; at summa teneritudine in alios, pauperum orphanorum, carcerum pius visitator, adiutor miseris agnoscebatur ut pater. Porro si uno a latere ignobiles, proceres nobiliores ab altero tum ad monita spiritualia tum ad salubria consilia excipienda ipsum praemebant, nec id praelati, purpurati aut principes dedignabantur; non ideo factus elatior, imo in dies humilior, sacrum probavit eloquium: « Ubi humilitas, ibi sapientia ». Cuius quoniam alios est dirigere ac ordinare, insignem s. Benedicti societatem per annos rexit viginti tanto profectu, ut bis mille reliquerit, quadraginta repertos et quidem devotioni in palestra exercitatos. Postque aliaque plurima probitatis eximiae argumenta ad proemia tot laborum vocatus, mortem laetissime aspexit, charus Deo et hominibus, qui laneas demortui vestes pressanti accessu pro veneratione detonsas tamquam reliquias habuere.

2. Ibidem, quantum proximorum ardore aestuaverit et quantum ad apicem christianae ac religiosae excellentiae profecerit r. p. fr. Michael Malespina, ex familia marchionum de Freschietto, clare innotescit. Lue grassante Florentiae, spiritualis sacramentorum pharmaco languentibus succurrere statuit; et quidem posthabitis omnibus sese a baccalaureatus munere abdicans, vitae neglecto discrimine, in s. Mariae Novellae parochia orsus est beneficentiae ac pietatis eiusmodi exercere opus. Tanto erat in pretio apud patres ac etiam laicae de s. Benedicto, cui alias inserviebat, societati, ut eum timentes amittere, egerint per rev. patrem Nicolaum Rodulphium, generalem tunc ordinis, revocari. Paruit coeca obedientia, quae melior victimis. At Deus iterato cor pulsat excitatque repetito prodigio ad opus charitatis; vehementi enim dolore capitis affectus tumoreque sub ascella erupto, pestilentiae signis, properans ad s. p. Dominici imaginem oleoque lampadis post orationem fidenter unctus sentit se illico incolumem. Die sequenti syntomis correptus eisdem, eadem via sanus, intermissum proponit firmius officium, post quod ad finem usque contagionis exhibitum, si convaluisset, iam vovet domino missionarium pro rudiorum salute agere et ad montana disciplinae christianae praeceptis imbuendos sedulo quaerere. Itaque solerti studio bona superiorum venia ad lue tactos regreditur, quos interdum sacrae exomologesis causa appropinquat, ictus et ipse Fesulis 13. martii 1631 magno devotionis divinique amoris sensu mortem amplectitur, postquam decem et septem annos in religione integerrime vixerat.

3. Post hunc tantae praestantiae virum protulit idem s. Mariae Novellae coenobium r. adm. p. mag. fr. Angelum Nuzza de Cryptolis, plus

re quam nomine angelum. Purissimi ipsius mores talem comprobarunt in terris novitiatus, bibliothecae, cathedrae, suggesta sacra de coelitibus unum ostendere, atque, ut olim angelus praecedebat castra Israel, sic ipse regulari observantia, verbo, vita, exemplo praeivit cunctis, nihil de rigore legis remittens, et si minoratus viribus, grandaevus aetate, refloruit quotidie spiritu ad flores Rosarii, quod impretermisse tenerrime affectus ad virginem praedicavit. Verum dum post speculum innocentiae, Mariam exemplum poenitentiae, hoc est Magdalenae antrum meditatur invisere, navigatque idcirco, devotionis solius ergo, Massiliam versus en invidus austri divini aquilo permissus insurgere, en turbulentum mare, en certum naufragium. At ipse nihil eo territus, secundam post naufragium tabulam sacramentum videlicet confessionis cunctis administrat et memorans fiducialiter illud: « Iustus si morte praeoccupatus fuerit, in refrigerio erit », ruens cum p. fr. Nicolao Dalmatiae provinciae de Brazza tenacissimae observantiae assecla ipsius socio, revolvens et corde et ore « In manus tuas domine commendo spiritum meum », e terreno naufragio ad « aquas, quae super coelos sunt », felicissime enavigat.

4. Parturiit divi Marci coenobium de Florentia satis numquam commendatum vere religiosum alumnum r. p. fr. Timotheum Bottilium, dictum de s. Antonino. Hic postquam non tam aetate quam virtutum omnium incrementis adolevisset, patrios flores pro animarum salute relinquens, fructus exoticos tamquam maiori in pretio quaesivit. Ad uberiorem itaque messem amplissima Sinarum regna peragravit, bis septem annos non cessans barbaras illas provincias ac terras sanctae praedicationis et sarculo et vomere evolvere et prosulcare. Dedit deus lasso virtutem, ut, quamquam infirma valitudine, fortiter labori insisteret, nec ipsum adversantia exterrerent. Itaque aliquas aedificare potuit ecclesias, et quod maius est, coaedificavit fideles, ex barbaris mansuetos, ex idololatris deicolas, in spiritu lenitatis plures efficiens. Postquam igitur apostolico in ministerio humilis, patiens, fervidus zelator sudavit et alsit, viriliter agens ad requiem virilitate maturescit in domino, ut par est credere, anno 1661.

5. In conventu s. Dominici de Perusio post exactum innocentis vitae curriculum senex obiit r. adm. p. mag. fr. Antonius Sylvestri Lucensis. Cani verumtamen fuere longe ante etiam ipsa in iuventa sensus eius, eo quod sibi suavissimum religionis iugum ab adolescentia portavit, regulari sub disciplina perpetuo gradiens. Diurno nocturnoque assiduus choro, quamvis ultima aetate oculis prae coecitate captus, rarissime abfuit. Indesinenter ac indefesse confessiones audire numquam destitit; ibi gustu orationis, hic animarum fructu laute refectus. Placitis moribus humilitatisque studio in dies auctus, quo cellae imperturbatae quieti va-

caret, honoribus vale dicto, etiam iuri se sponte subtraxit, activae, quod inquiunt, vocis atque passivae. Sic expeditior liberiorque in coelum, postquam corporeum visum amiserat, animo intentus, illuc lecto decumbèns parabat iter. Et quoniam divinas laudes cum angelis se cantaturum sperabat, gestiit ad extremum usque canonicas horas comite religioso socio devote persolvere; et quidem, quod mirum valde, sequentis diei psallens matutinas idque sero ante, dicamus, ait, quamquam teneri non credam, qui cras obiero; nec fefellit praenuntians; siquidem exigui temporis interiectu placidissime obdormivit in domino. Doluere fratres, planxit urbs tota praestantis adeo patris iacturam et reculas eius devotionis ergo piaeque recordationis in monimentum, quia vere fuit exemplar probitatis, virtutum viridarium, expetiere.

6. Lucae in s. Romani coenobio, theologus communi cognomento a concivibus dictus, e vivis sublatus est aetate et ipse grandaevus rev. adm. p. mag. fr. Franciscus Orsuccius. Non fuit sane in eo, quae non elucerct virtus; doctrina undequaque excultus, probitate ubique clarus, omnium rapiebat animos, qui quasi ad oraculum in dubiis, in arduis, in gravioribus fori et poli negotiis ad eum recurrebant. Non minus ipse occurrere frequens fidelibus satagebat, qua theoricis, qua moralibus rogatus quaestionibus, qua sponte sua de suggestis atque confessionariis charitatis functionibus omnibus omnia factus, Rosarii praesertim sanctissimae Virginis matris encomiastes fuit fervidus. Post quae summo cum fructu exantlata munia, plenus bonis operibus, regularis disciplinae studio effoetus, urbis totius moerore, moriens in domino, pie creditur germano suo cum fr. Angelo Orsuccio paucis ante annis in Iaponia martyre conregnare coelitibus.

7. Post memoratos viros occurrunt praecelsa sanctitate egregiae foeminae. Mater soror Hyacintha Fabronia in monasterio s. Iacobi de Ripolis nostris diebus Florentinam valde illustravit. Proposuerat seculi elapsi anno 95. parens eius non minus cordis quam uteri dulcissimam filiam s. Clarae donare, cum ecce noctu dormitans Christum dominum sibi visa videre, deiparam, David regem beatamque de Mantua Osannam, auditque filiam destinatam esse Dominico, qui sancta hac in aemulatione Clarae praeponitur; obedit illico mater et 24. die augusti offert induendam habitu. Recensita inter oves domini, mirum quanto emicuerint in illa ovinae dotes, paulatim communibus ovium pascuis vix nutrita. Hinc exactissima legum suarum observantia, in ieiuniis ac cibariis non contenta, attacto aetatis trigesimo supererogationis tradita augmentis, lacticiniis perpetuo exinde abstinens, quatuor hebdomadarum fixe diebus in pane et aqua, reliquis, et si quadragesimae eduliis, nunquam tamen vino usa, ieiunabat. Postremo in morbo dumtaxat, idque medicorum iussu,

vina libavit. Ceterum bene ipsa noverat utriusque salutis lucro magis conferre; unde tumore laborans manuum, praedixit solide, tunc fore ut detumerent cum pani arcto, cum aquae brevi assuesceret. Quod rei comprobavit eventus. Praeter suavissimas divinissimi sacramenti dapes, orationis quoque pabulo frequentius refecta, chori esuriebat frequentiam. Quod si per quadragenas horas solemniter exponeretur mysterium, eas metiebatur assidue orando inavulsa ab ecclesia. Cum monasterium ingressa est pro habitu, tres cruces vidisse fertur deprehendisseque ex illis iugum domini terno voto se humiliter portaturam; quod exactissime praestitit per omnes religiosae perfectionis gradus ad altissimam cum sponso suo intimam unionem pertingens, a quo divinae sapientiae arcana mirabiliter edocta libros nonnullos spirituales sacrae scripturae sententiis undique refertos, latinitatis alias ignara, condidit ediditque. Tanto autem fuit in pretio humilis virgo, ut magna ducissa Victoria serenissima saepius ad eam accederet secumque non exiguo tempore in oratorio, secreto quodam recessu, dulcissima ad colloquia demoraretur. At dum devote sic transigit horas, horam ipsa expetit mortis, parata ad nuptias, quae confessarii testimonio lethalis criminis labem numquam sensit. Qua quidem adveniente 15. februarii 1647, expiata sacramentis sancte decessit per versiculos passionis domini, quod rogarat, ad eiusdem glorificationem evecta. Laceros artus flagellis notarunt matres.

8. In monasterio s. Dominici Pisarum moritur die 3. martii anni 1670 mater soror Electa Palma, quae longo annorum sexaginta cursu vitam undequaque religiosissimam ac in omnium virtutum genere exceltam peregit. Et quidem in ciliciis, in catenis, quibus flagellabatur, cruentabatur. Ieiuniorum consuetudo cum ciborum ut plurimum abstinentia praeter legumina et olera levem reddiderat laborem ac disciplinam. Parum somni, vigiliarum in oratione multum. Sacrum altaris convivium, ad quod lacrymis ubertim profluentibus avidissime accedebat, maiorem illi proritabat esuriem; ex quo ieiuna aliquoties confessarii ad nutum languebat. Sic ad lacticiniorum esum aliquando obedientiae impulsu pertracta est; ad carnes nunquam, nisi forte infirma, idque medicorum sententia et maiorum iussu. Si quando comedisset ova, amaris concondiebat herbis voluptati infensa; et palearum stramentis per quadraginta annos afflictim iacens; quanto aegrotarum erat compatiens, tanto sui ipsius immisericors. Viliori veste, laceris indumentis, quae apud alias veterassent, sategit semper amiciri. At non ita pannosa erat anima, quae puritate antecellens poenitentiae sacramento toties non habuit, quam suppeditaret materiam. Non inde contritionis amorisque divini defuere actus, quibus acta spiritu, leto animo, constanti pectore, cordis suavitate aeternae retributionis initium, placidissime obiens, relicta fama sanctitatis experta est.

9. In monasterio s. Petri Martyris Florentiae pusilla distortaque corpore, recta ac procera virtutibus, conversarum munia valide ac prompte, non sine favore speciali Dei, implevit soror Maria Benedicta Scolari. Haec vere in sudore vultus sui vescebatur pane, sed ut plurimum eo solo et aqua. Quod si quid aliquando obsonii, aut non sale conditum aut alia via insulsum. Credita at Deo acceptissima in operibus suis, dum miranda per eam patravit et gratia sanitatum donavit; adhibita quippe olei ardentis ante patrem sanctum suum Dominicum unctione, mulieris rusticanae de pede aculenta erupit spina, unde per artis medicamenta extrahi nequiverat; aliique terrae cultori, febri laboranti, ardentissima potuit eadem fide mederi. Cum culinariam humiliter, charitatis igne perageret, dignatus est dominus interdum ancillae suae et in officio opem ferre; puta olivarum benedicto folio peregrinum saporem pulmenta reddere, ollasque sine operculis fuligine circumquaque focum tegente non temerari. Pro mirabilium eius coronide sat sit referre, quod monialis quaedam adhuc vivens olim morti proxima, oleo, ut supra, priorissae iussu Benedictae manu peruncta, nedum alleviari statim coepit et convalescere, sed incolumis omnino de lecto surgere et processioni pro gratiarum actione cum aliis interesse, adeo ut medici ab ore obstupentis auditum sit palam: « Mirabilis Deus in sanctis suis ». Ipsa quae aliis impertivit sanitatem, septem dumtaxat horas iacuit infirma, et aetatis 63. salutis 1653, februarii 14. coelum petiit. Quo etiam in conventu persancte vixere mater soror Maria Prudentia Vernaccini, materque soror Maria Catharina Tedaldi, ambae in spiritu summae mortificationis, catenis ac ciliciis et id genus familiarissimae. Prior 5. iulii anno 1640, aetatis 42., altera 11. aprilis 1665, senior annorum 77 obiere.

In provincia Regni et congregatione Sanitatis.

1. Neapoli apud Conventum ss. Rosarii obiit et in illius ecclesia sepulta iacet soror Felix de Sirignano, tertii ordinis dicti de poenitentia s. Dominici, vidua, abstinentia, vigiliis et charitate conspicua. Per 15 annos continuos in pane et aqua ieiunavit; numquam carnes nec lacticinia usque ad ultimam senectutem comedit. Ferrea catena ad renes accincta, altera singulis noctibus proprium corpus usque ad sanguinis effusionem cedebat. Super nudas tabulas cubabat, noctes pene insomnes in oratione ducens. Obedientiae ita addicta, ut non solum ad superioris nutum difficilia exequeretur, sed etiam fere impossibilia. Amoris divini igne ita eius cor ardebat, ut inter fines suos se continere non valens elevatis costulis mirabiliter illius sinum ad instar s. Philippi Nerei dominus ampliaverit. Charitate erga proximos illorum aerumnas ac peccata amare deflebat. Prophetiae dono illustris 85. aetatis suae anno felicissime obdormivit in domino kal. 11. aprilis anno 1654. Ad eius exequias ma-

gnus factus est concursus populorum, eius vestes et capillos tamquam reliquias decerpentium; nec desunt, qui per illam divina beneficia se recepisse testati sunt.

2. Ante ipsam in eodem conventu sepulta fuit eiusdem venerabilis matris filia spiritualis ac discipula soror Gratia Turtura, virgo purissima, quae brevi cursu, sed velocissimo, poenitentiis, ieiuniis et infirmitatibus patientissime superatis, ad bravium supernae felicitatis evocata 19. aetatis suae anno defuncta est; cuius obedientiam dominus in morte manifestare voluit, cum animam non posset efflare, nisi post acceptam a suo patre spirituali benedictionem, ut ipse mandaverat; qua data statim felicissime obdormivit. Eius corpus, quamvis nudum sub terra, quam sanctam vocant, et quae cadavera in 24 horarum spatio in pulverem redigit, humatum fuerit, post plures menses integrum et incorruptum repertum est.

3. In monasterio monialium s. Ioannis eiusdem civitatis obiit soror Eufrosina de Baucio, quae fuit dilecta in Christo filia ven. p. fr. Ioannis Leonardi de Fusco, a quo plura ei post mortem fuere revelata; et inter alia ab ipso in visione accepit et ante quindecim annos contestata est, populares tumultus, qui in eadem Neapolitana civitate et regno fuerunt anno 1647, necnon plura alia prophetico spiritu praedixit; virtutibus omnibus ornata et sacra virginitatis aureola redimita migravit ad sponsum 25. aprilis 1654, aetatis suae 67.

4. Apud conventum s. Dominici Maioris eiusdem civitatis defuncta est soror Teresia Benucii, tertii ordinis, quae a sexto aetatis suae anno orationibus aliisque spiritualibus exercitiis vacans die noctuque, sepulto voluntatis arbitrio a nutu superiorum pendens, carnes numquam edit, nec lineis ad carnes usa, ferrea catena ad renes accincta, puritatem tum corporis tum animae perpetuo servavit. A divino sponso aurea in annulo fide visibiliter desponsata, a Iesu infante pluribus favoribus ditata. Prophetiae spiritu aliisque donis et charismatibus clara aetatis suae 33. migravit ad sponsum anno 1656, ipso die transfigurationis dominicae. Post mortem ad praeceptum suae matris spiritualis manus et brachia, quae extensa prius supra corpus tenebat, ad modum crucis supra pectus modestissime composuisse, fama est.

5. In eadem civitate obiit soror Angela de Pace, eiusdem tertii ordinis soror professa, quae a primaeva aetate votis omnibus domino servierat, ab ipso miris favoribus, familiaritatibus et amoris expressionibus fuit decorata. A beatissima virgine aliisque sanctis pluries visitata, vulnere apparenti a coelesti amore in latere transverberata, omnibus virtutibus absoluta, praenuntiato ante fere integrum annum suae mortis die, ipsoque adveniente, accepta prius, ut promiserat, a suo patre spirituali

in spiritu ter benedictione, felicissime obdormivit in domino, et non sine populorum concursu, quamvis clam in ecclesia matris Dei Carmelitarum Discalceatorum sepulturae tradita. Multi ob eius merita gratias a Deo obtinuisse testati sunt. Obiit mense octobris anno 1661.

6. In ecclesia s. Dominici sepulta est soror Maria Quaranta, tertii ordinis professa, mirae puritatis et charitatis virgo, orationibus, ieiuniis aliisque spiritualibus exercitiis per totam vitam vacans, praenuntiato suae mortis die, devotissime imaginem crucifixi, per quam plures favores acceperat, amplexata, expiravit. Ab eius corpore suavissimus odor efflavit et ad eius exequias maximus factus est populorum concursus. Eius cadaver post plures annos integrum ac omnino incorruptum repertum est.

7. In monasterio monialium sanctae Mariae divini Amoris die 26. martii praesentis anni 1670 mortua est ven. mater soror Maria Villana (1), illius clausurae fundatrix, quam ex propria domo, in qua anno 1584 ex illustrissimo marchione de la Polla nata erat, domino consecravit; virgo omnium virtutum genere ornatissima, et quae a 4. aetatis anno usque ad 86. fidelissime domino deservivit; etenim a prima illa illustratione, qua Spiritus sanctus in aetate tam tenera eam totam ad se traxit, ita fortiter ac constanter illi se devovit, ut totis viribus deum amare ac ei solum tamquam dilectissimo sponso placere illius perpetuum studium fuerit. Sensuum non experta adhuc rebellionem, utpote quae nondum quintum attigerat annum, urticarum manipulis, funium flagellis, cilicino cingulo aliisque corpusculi mortificationibus illud spiritui servire cogebat. In oratione pernoctans breve somnum fessis membris vel nuda in humo vel, ob domesticos et parentes, in lectulo, sed lignorum inaequalitate, testarum fragmentis ac spinis magis ad torquendum quam ad quiescendum composito, cilicio ad carnem vestita tribuebat. Orationis mentalis nesciens usum a divino sponso in altissimas contemplationes, etiam reluctans, per plures horas quotidie elevata ecstatica permanebat. Sui adhuc nescia, et iam proximorum salutis sollicita, suis persuasionibus et orationibus plures mulieres a vitiorum praecipitiis ad meliorem frugem reduxit, earumque necessitatibus miris modis succurrit, non solum propria monilia, sed etiam cibum in eius manibus mirabiliter crescentem eis aliisque pauperibus distribuens. His ac aliis spiritualibus exercitiis a 4. usque ad 12. aetatis suae annum frequentatis, ad robustiora vocata prius in monasterio s. Ioannis Baptistae Neapoli, in quo habitum dominicanae religionis professa est, deinde in monasterio s. Mariae divini Amoris, quod incredibilibus laboribus et persequutionibus, humanis omnibus multoties destituta auxiliis, imo quampluribus tam seculi quam ec-

(1) De sorore Maria Villana cf. SSOP. II, 847.

clesiae adversantibus principibus a fundamentis erexit, ad virtutis experimentum exercetur tum ab hominibus tum a daemoniis, semper constans, semper invicta, derelicta multoties intus inter tenebras, foris inter asperrimos dolores per quatuor supra quinquaginta annos attracta, cruciatibus plena in lectulo iacuit. Quae omnia non solum summa patientia, sed maxima mentis et cordis laetitia patientissime pertulit, ita ut pro summa gratia pati pro Christo existimaret. Intimam cum Iesu sponso familiaritatem habuit, taliter ut ab illo visibiliter apparente annulo aureo desponsata, sua spinea corona decorata et propria manu ignea lancea in latere transverberata est, ita ut ab eo vulnere sanguis multoties manaret, quod testes oculati ac omni exceptione maiores ingenue fassi sunt. Plurimis aliis favoribus a beatissima Virgine, a sanctissimo patriarcha Dominico aliisque sanctis cumulata, spiritu prophetiae ac mirabili sanctorum scientia illustris, potuit idiota virgo undecim magna volumina de altissimis mysteriis eruditissime, adversa licet semper valetudine, proprio calamo scribere. Denique hoc anno 1670 die 26. martii, aetatis suae 86., ex vulnere supra recensito novis per totum corpus exortis doloribus placidissime obdormivit in domino. In ipso mortis articulo ingens lux totam cellam, in qua iacebat, illustravit eiusque corpus novo quasi futurae resurrectionis fulgore renovatum et coelesti odore perfusum non sine maximo totius civitatis concursu intra clausuram praedicti monasterii in loco particulari a rev. vicario generali eminentissimi archiepiscopi deputato tumulatum est. Interim fabricatur processus auctoritate ordinarii de eius vita, virtutibus ac miraculis.

In provincia Aragoniae.

1. Constantis patientiae, quae numquam excidere possit, memoriam conventui Caesaraugustano reliquit tremula sua paralysi r. p. fr. Michael Frances; quadraginta et octo annis eam pertulit. Porro et si membrorum usum laesio consuetudinaria infirmaverat, non ita animae, non ita mentis munera ac exercitia. Fixa e regione erat lectio spiritualis, immota oratio, qua soli Deo vacans anachoretam veluti agebat, « loquebatur in solitudine dominus ad cor eius ». At monasticam huiusmodi vitam, virtutibus omnibus ornatam, coronavit Deus inter populos; quippe qui ad eius funus turmatim confluentes devotionis ergo vel admotis rosariis vel manus deosculati vel vestimentorum particulas pie furati sanctam de tanto viro auxere opinionem.

2. Valentiae Hieronyma Ganebusa, tertii ordinis nostri soror, quadraginta annis cantatissimum poenitentiae tempus sorori dictae item de poenitentia, quarta quaque die febrim pertulit, sed ea humilitate, proinde patientia, ut ad corporis languorem viresceret animus, adeo ut numquam orationem remittens visa sit aliquando, socia fideli teste, in

aera tolli; quod tandem confessario ipsamet fassa est. Quid mirum crucifixum in sacrosancta imagine eidem loquutum? Quae quidem miraculosa imago nostra in ecclesia coepit propterea cultu maiori honorari. Obiit, prout vixerat, Deo.

3. Hieronyma altera de Aybar, ut nomine et habitu, sic spiritu et meritis vere sanctimonialis in monasterio b. Mariae Virginis de la Esperanza fuit servandae regulae norma. In dies subinde profecit; Christi bonus odor effecta, coelitibus suavissime olens per orationum aromata in deum elata; tunc potissime cum sub eucharistico velo Iesum suum cor exciperet, extra se rapi visa raptura coelum, inenarrabilis letitiae illius particeps. Sic mundi oblectamentis bellum indixit, ut flexanimi hortatu nonnullos ad Dei partes, ad Dei amorem, contempto seculo, illexerit. De Iesu aut cum Iesu mixtis sermonibus insonabat auditorum animis melos numquam dulcedinis memoria intermoritura. Porro mortis suae longe ante praescia, spiritum creatori devotissime reddidit et in funere, populis certatim confluentibus, pro singulari munere frustula vestium reliquit.

4. Suppar huic fuit in praenuntiando sui transitus die, confessario prius, sororibus postea cunctis in monasterio b. Mariae Virginis de Rosario de Baroca soror Ioanna Baptista Martel, et quidem versiculum repetens: « In manus tuas commendo spiritum meum », nulli sibi curae fuisse corpus conclusit; quippe quae ipsum terno ieiunii rigore hebdomadis singulis diebusque multis in pane et aqua et quotidie duro flagello domuerat, odio habuerat. Obdormivit itaque in domino virtutibus ac meritis cumulata atque, dum dormit, quod pie creditur in somno pacis, vivet in aevum eximiae probitatis memoria.

5. In praefato coenobio de la Esperanza mire duxit vitam ad 60. usque aetatis annum praeclara soror Francisca Perez de Monzon, omni virtutum genere et sanctitatis insigniis excultissima; ieiunia, cilicia, flagra, vigiliae contubernalia illi erant solatia. Quidquid eiusmodi exercitiis et sedulae dominicae passionis contemplationi supererat temporis, laborum manuum suarum hauriebat occupatio, ad quam interdum ei ministrasse et angelos perhibetur. Id unum illi lucrum, sacram augeri supellectilem, iuvari mortuos, pauperes, multiplicatis inter erogandum aliquando panibus, recreari; sed quae aestu charitatis ardebat in proximum, in seipsam gelu rigebat, pavida semper regiminis obeundi animarum, quod constantissime pluries recusavit; formidolosa et aliis suo suffragio tam grave onus imponere. Foris pugnae, humili sensu dum praefici reluctatur, intus timores, socios habuere ad exemplum patientiae dolores, qui accita culparum, etsi levium, recordatione ad deum suspiria et lacrymas convertebant. Sic moesto corde et vultu coelesti inhiabat risui, de

quo dominus: « Beati qui nunc fletis, quia ridebitis ». Cuius quidem praesagium merito fuerint florum manipuli, qui deiparae imagini oblati, postquam extabuerant flacidi, reviruere; glorificationis ipsius apprime symbolum, qua, ut mentis ne dum, sed et corporis fulgere candore, in oratione non raro superno circumdata lumine visa est. Hinc lucis propheticae consors obitum suum ante annum praescivit et insomnis expectans sponsum introivit cum eo ad nuptias.

6. In sanctae Mariae de Belen Valentiae monialium sacro coenobio diem clausit extremum mater soror Agnes a Spiritu sancto ex nobili familia Cisternes de Oblites. Haec a primo limine sui ingressus perfectionis metae inhiavit, asperrimis cuiusque generis supra religionis votum arreptis, nec umquam intermissis tyrociniis. Arctioris observantiae foecunda parens, profecto non sine peculiari Dei manu humanis destituta opibus, mundo obsistente, tres ordinis fundavit conventus, Corporis Christi de Villareal, Corporis Christi de Carcaxent et s. Mariae de Bethlehem. In iis soli Deo vacans, nunc novitiorum magistra, nunc priorissa, iuvenculas Deo sacras ad omnem verbo et exemplo sanctimoniam efformavit, salutis propriae, aliarum spiritualis profectus anxia, corpoream curam posthabuit. Hinc septem ultra viginti annos, subiecta morbis febribusque interdum ardore summo correpta, inter acerbissimos dolores nihil de tranquillitate remisit, nihil de hilaritate, de eloquii suavitate ablegavit. Celandarum virtutum studiosa, tegere patientiae documenta nequivit: at ex humilitatis silentio altius erumpunt laudes et plausus, quos apud dynastas et viros exceptione omni maiores vel invita promeruit. Dies decembris ultima anni 1668 fuit illi vitae huius suprema, in qua, pie creditur, ad coeli gaudia evolasse. Et quidem de lacrymarum valle sororibus circumquaque flentibus, sed hymnos s. Spiritus concinentibus, ut morienti esset febrili in aestu temperies, sibi ipsis in fletu solatium. Catervatim ruit populus ad iusta funeris, de vestimentorum reliquiis devote cupidus.

7. In monasterio s. Agnetis Caesaraugustae soror Maria de Arrahis ad christianae poenitentiae castra transiens, iuveniles annos simili morum gravitate correxit. Orationi assidua, disciplinis indeficiens, catena ferrea, ciliciis, crucibus per prominentes clavorum aculeos, asperrimis ad inediam usque ieiuniis, frequenti morborum placida tolerantia aliisque plurimis dolorum mortificationisque Iesu, excogitatis ardore patiendi modis et instrumentis, facta sponte sua martyr in domino occubuit, cunctis admirantibus fragili in corpore robora spiritus, cui vivere Christus esset et mori lucrum.

8. In conventu Settabensi animi corporisque puritati iunxit soror Thomasia Carbonel spiritualis aedificii ceu basim atque coementum glu-

tinum charitatis et humilitatis profundum; ubi haec praeextiterint, cetera virtutum latera facile surgunt. Divinissimo sacramento quotidie refecta, potuit in fortitudine illius viam Dei inambulare usque ad montem scilicet altissimae perfectionis. Et quia augmento dilectionis attingitur, tota in sanctissimi parentis ac in seraphicae Catharinae tamquam matris amorem ardentissimum effundebatur. Dolore forsan propterea tacta cordis languescens, se brevi credidit testataque est confessario morituram; et poenis, quibus cruciantur in inferno spiritus, sibi Dei iudicio ostensis, ut quam magnum interiectum sit chaos ad gloriam dignosceret, post recepta emigraturae animae ecclesiastica praesidia et quidem felicem in sortem, desponsationis Senensis virginis festo, duos post dies ad eius societatem transmigrans, ad sponsum meruit pertingere anno salutis 1665.

In provincia Trinacriae.

1. Integerrimus vita ac moribus r. p. fr. Thomas Landi de Longe, s. theologiae mag., exoculata in obedientia et aestuanti in charitate virtutes omnes collegit. Huiusmodi dilectionis flammam inter domesticos solum ferri non sustinens, bona superiorum venia ad plagas iter arripuit orientales; inter Turcas primum, deinde Tartaris praedicans et evangelizans regnum Dei. Quo in apostolico ministerio septemdecim consumpsit annos; plura ibi et quidem asperrima usque ad internecionis discrimen hilariter perpessus. Paupertatem admirabili quodam studio sectatus est; obedientiae itidem fuit obstrictissime addictus, et candidum virginitatis lilium pudicissime usque ad mortem excoluit, ut in ultima sua confessione ad imperium confessarii eidem testatus est. Ad carnis stimulos refroenandos catena ferrea est usus, asperrimoque cilicio, quod annis fere quindecim numquam a suo corpore removit. Hiberno tempore excepto, super tabulas et saepe saepius humi cubare solitus. Otii infensissimus hostis, totus vel orationi vel proximorum saluti studiis vacabat. Eximiae humilitatis vir Nixiensem episcopatum renuit. Mirabili quodam lumine fulgidam ac micantem eius frontem plurimi conspexere, et Messanae existens, cuidam in longinqua regione commoranti apparuit, instruxit et ad viriliter agendum iustitiae negotium commonuit. Demum septuagenarius acuta febri correptus, acceptis devotissime ecclesiae sacramentis, placide in domino obdormivit. Innumera ad eius funus accessit cadaver veneratura pia fidelium turba, nec impediri potuit, quin vestium fragmina praescinderent, quibus, collata infirmis sanitate, tanti patris merita et gloriam testari beneplacitum fuit Deo.

2. R. adm. p. fr. Antoninus Mazzone Netinus (1), s. theol. magisterio decoratus, magis addictum choro aliisque communitatis observantiis as-

(1) De fr. Antonino Mazzone cf. SSOP. II, 592.

siduum se fecit; et quidem magno devotionis magnoque humilitatis exemplo, nec sine pigritantium excitamento, ubi postremus abibat, et aderat primus. Vigiliis et orationibus proinde summe addictus totius vitae decursu ad intempestam usque noctem ante crucifixi pientissimi imaginem copioso lacrymarum suspiriorumque complexu consuevit orare; utque corpus arctius in servitutem redigeret, assidue poenitentiis ac laboribus exercebat. Quid mirum virginitatis aureolam promeruisse credatur? Anno 1660 in Netino conventu, relicta fama sanctitatis, diem clausit extremum.

3. Fr. Vincentius a Carleone conversus, filius conventus s. Dominici de Panormo, devotissime semper vixit a iuventute sua, infirmis inserviens, quos tali charitate prosequebatur talique adsistentia, ut etiam noctu, ne eos desolatos relinqueret, in eorum cellis humi cubaret. Abstinentia peculiariter insignis omnes fere quadragesimas in pane et aqua ieiunabat; pictantiam numquam edit, sed illam pauperibus reservans, ipse oleribus reficiebatur. Longaevus moritur longa probatus infirmitate, multa sed auctus patientia. Religiosi habitus insignia in sepulcro pauca secum tulit, fidelibus ipsum certatim pia devotione spoliantibus, quibus pari gratitudine multas impetravit sanitates.

In provincia Portugalliae.

1. In conventu strictioris observantiae Bonficano dimissus est senex, Simeonis instar, venerabilis p. Franciscus, dictus de sancto Dominico, in se ipsum pauper et humilis, in proximum charitate dives. Hinc ut egenis ab extra, religiosis intra claustra pro viribus inops succurreret, oppida circuibat et urbes, opportune importune petens, quod aliorum necessitas expetivisset. Bos senex firmius figit pedem. Franciscus ipsa in decrepita pedes adhuc itinera conficiebat. Dominus qui dat lasso virtutem, indefessos labores illius allevians promptiorem choro, matutinis precibus, pernoctationi in ecclesia validum magis reddebat. Quoniam vero variis animi corporisque piis exercitiis laetus ac mitis crucem ferebat suam, thaumaturgi illius signi sanctissimi devotissimus, eiusdem propagare cultum insculpere fidelium cordibus satagebat, ut congloriari daretur in cruce domini. Ex huiusmodi veri servi Dei caracteribus invaluit sanctitatis eius opinio. Intermissis prae senio, prae aegritudine proximorum officiis ac beneficiis, lecto decumbens, mentem ad Deum per orationem extollere, divinas cantare laudes numquam destitit. Vultu subinde hilari ac iucundo, acerbissimos inter dolores, melos illud promebat: « Confige timore tuo carnes meas ». Sicque relicto in terris magno sui desiderio, ad coelestem desideriorum metam pervenit. Post obitum visa est facies eius coelesti splendore refulgens.

2. R. adm. p. mag. fr. Ferdinandus ab Incarnatione, clarus natalibus, at clarior virtutibus, iugum domini in religione portavit, idque non sero,

sed ab adolescentia sua. Bonitatem, humilitatem, disciplinam et scientiam aequali ardore ac studio sectatus brevi, sed arduo compendio ad summa quaeque pervenit. Factus primum famosus verbi Dei praedicator, fervidus animarum zelator, nominatus deinde episcopus Cochinensis et successive Algarbiensis, ab humili regularis observantiae statu divelli non potuit. Orationi quam maxime addictus, noctes in ecclesia saepe ducebat insomnes. Tandem meritis plenus cum opinione sanctitatis in eodem conventu Bonficano sancto fine quievit.

3. In eodem Bonficano conventu in domino quieverunt rr. pp. fr. Hyacinthus a Spiritu sancto et fr. Laurentius de Plagis, uterque disciplinae regularis severissimus custos ac propagator. Pluries magisterio novitiorum addicti eosdem ad omnem vitae sanctimoniam verbo et exemplo efformabant. Tandem incedentes in omnibus mandatis domini sine querela, non sine clara eximiae probitatis ac integritatis fama maximum de se desiderium reliquerunt.

4. In conventu Ulyssiponensi r. p. praesentatus fr. Christophorus de Aguiar, a iuventute usque ad extremam senectutem religiosissimus, singulari modestia, mansuetudine, humilitate ceterisque virtutibus mirum in modum enituit. Praelaturas et dignitates, quamvis sponte oblatas, quam maxime fugiebat, etiam praesentaturae gradu semel atque iterum recusato. A triginta fere annis ante obitum ferunt, divino spiritu revelante, eum praevidisse suae vitae terminum futurum in festo Omnium Sanctorum, atque ob id praedictae solemnitatis apprime devotus post expletas dietim horas canonicas, matutinas preces cum laudibus illius festi impraetermisse recitabat. Sicque non sine prodigio ultra medicorum opinionem, qui eum multo ante iam morti proximum breviter moriturum affirmabant, supervivens usque ad statutum diem Omnium Sanctorum; quos specialiter coluerat, hos sui transitus meruit habere et spectatores et patronos.

5. In conventu Eborensi obiit r. p. Gasparus de Rosario, constitutionum nostrarum tenacissimus observator; continuis ieiuniis et asperrimis poenitentiis macerabat corpus. Magistri novitiorum officio per plures annos praeclare functus, omnibus seipsum bonorum operum praebuit exemplum.

6. In monasterio s. Ioannis de Setuval soror Ursula de Virginibus virginum potuit ducere choros suae vitae exemplo, in ieiuniis et castitate, ut aiebat apostolus; ubi illa praeeunt, certa est puritatis custodia; ubi vero multifarie mactatur corpus, ut ab Ursula fiebat, illustrior est carnis triumphus. Tabulatum erat ei calcitra, cervical saxum; ut victus victusque traheretur in trophaeum hostis, ferrea praecincta vixit catena; constricta lumbis, voto adstrictior credenda fuit; utpote quae ferrei

excursu dentis clavem, qua reserari posset, proiectam vidit. Haec post ipsius mortem patuere. Dum viveret ignorari cupida, corde humilis, peregrina poenitentiae suae studia ignota esse voluit. At servos suos Deus glorificabat. Sicque divinitus percipiebat sponsi largitate solatia, et quidem crebro illapsu, vix prodidit ulli; verumtamen cordium etiam inabscondita ab eo, qui lux est, proferuntur ad lucem. Nequivit mortis horam silere, quae quidem non sine prodigiis secuta est. Repentino correpta morbo ac sensibus destituta, deliquii excusso sopore, devotissime sacramentis receptis, obdormivit felicius in domino, quae aliorum nutu pendens ceu mortua vixit.

7. In eodem monasterio soror Beatrix de s. Ioseph, Portugalliae regum sanguine procreata et excellentissimorum ducum de Averio filia, maximo virtutum odore et religionis exemplo vixit. Praefatum s. Ioannis monasterium ad perfectae observantiae normam reduxit. Choro semper assistens et sanctissimi sacramenti devotione quam maxime accensa, reliquas moniales exemplo suo ad omnem sanctimoniam efformabat. Ieiuniis atque poenitentiis brevi consumpta felicissime obdormivit in domino.

8. In monasterio s. Dominici Das Donnas de Santaren venerabilis soror Francisca Henriquez, poenitentiae clarum specimen, crebris a Deo specialissimis favoribus consolata, totius observantiae et religiosae perfectionis, quoad vixit, exemplar extitit. Tandem fama sanctitatis clara in osculo domini felicissime animam reddidit creatori.

9. Magna est virtus, Bernardi ex sententia, humilitas honorata. Haec summopere in sorore Maria de Evangelista in monasterio beatissimae Virginis de Montemor circumquaque enituit; tametsi illustrissimo procreata sanguine, abiectissima quaeque lubens praestabat officia, demississima ut factis, verbis ac vultu. Porro si « Ubi humilitas, ibi sapientia », debuit sapientis exercere munia aliarum Beatrix. Bis priorissae onus subivit; nihilominus posito et onere, alias in observantia exactissima legum praecurrebat. Sic potior meritis fuit ac prior in donis, prophetiae praesertim a Deo decorata. Divinas proinde meruit revelationes, futuraque multa praedixit, inter quae diem mortis. Si unquam, quod in adversis, Deo totaliter commissa, tunc plenius divinis beneplacitis obsequens placidissime quievit in pace.

10. Eodem in monasterio soror Philippa de s. Thoma, vivum poenitentiae exemplar, novitiabus praefecta potuit tenellas plantas gigantaeo gressu ad omnem perfectionis formam provehere. Terram profusissimis lacrymarum imbribus irrigabat. Passioni Christi addictissima concupivit, petiit, obtinuit particeps fieri dolorum poenarumque eius. Cruciatibus ergo probata, patientiae argumenta heroica reliquit; post mortem siquidem in eius capite et corpore spinarum, vulnerum signa reperta sunt.

11. Huic affinis in eodem coenobio soror Catharina de Sanctis post dire vexatum atque usque ad sanguinis effusionem saepissime coesum corpus, morti proxima, idipsum negligens, solam animam ea per verba: « In manus tuas commendo spiritum meum » Deo legavit, praescia diei et horae transitus, quem meruit ad vitam.

12. In eodem monasterio soror Magdalena de Horto in meditatione assidua, choro veluti agglutinata, charitate et misericordia praecipue eluxit. Daemonis artes eiusque turbationes ac molestias aspernatrix eius evicit. Recreata ante obitum gloriosae virginis matris apparitione, de die mortis certior facta deque acerbissimis doloribus erepta, laetissime in manu creatoris deposuit animam.

13. Ibidem soror Antonia de Iesu ad culmen virtutum conscendens habuit aureo pro calcari observantiam chorumque, ubi in meditatione exardescit ignis, quandoque etiam convalescens et aegra pro Eliae curru. Charitate flagrans, quia fortis est dilectio, condescendebat infirmis, amanter ac indefesse eis ministrans, iis potissimum, quae inopia ac derelictione maiori eius manu egerent. Amentis etiam monialis ultro, non iussa, per multos annos mira pietate egit curam. Quietis amorisque mutui sororum conciliatrix se deum pacis corde concepisse ostendebat. Sibi etiam deus totius consolationis amaras tribulationum aquas vertebat in dulces. Divi Bonaventurae, cuius devotionem colebat, apparitionem fertur promeruisse, nec mortem expavit, quae in coelis conversabatur, dum viveret.

14. In eodem monasterio soror Maria de sancto Ioseph, soror Mariana de s. Michaele, soror Anna de Evangelista et soror Hieronyma de s. Antonio in vita singularibus ornatae virtutibus, non mediocrem de se sanctitatis opinionem reliquere.

15. Non absimiliter soror Eleonora de s. Ursula et soror Dominica de Conceptione, conversae in praefato coenobio, persanctam duxere vitam, virtutum omnium contentione pie aemulatrices. Post asperrimas poenitentias, sanctorum apparitionibus confortatae, praenuntiato suae mortis die, ad diem illam, quae una melior est super millia, perrexerunt in atriis domini.

Brevis appendix aliquarum monialium, quae in monasterio ss. Sacramenti Ulyssiponensi strictissimae observantiae singulariter cum sanctitatis opinione floruere, et [quarum] in superiorum capitulorum generalium actis mentio facta non fuit.

1. Soror Elisabeth de Iesu, prima huius monasterii priorissa, ab infantia Christi crucifixi meditatione continua, a professione divina contemplatione singularique erga proximos charitate sic enituit, quod pluribus a Deo revelationibus et beneficiis decorata, per ignem et aquam, ut ipsa aiebat, comprobata, suae mortis diei salutisque certitudinem ostendens migravit ad dominum 21. septembris 1611.

2. Soror Catharina de Martyribus paupertate, humilitate, obedientia ac rosarii devotione insignis, ad crucifixi pedes in afflictione provoluta, corporalem domini meruit amplexum; quo magis ad perfectionem anhelans, die quo se a beatissima Virgine evocatam dicebat, meruit ad aeternam vitam migrare 14. septembris 1620.

3. Soror Philippa de Sacramento, prima huius monasterii professa, oratione assidua, humilitatis ac paupertatis amatrix, cum propter infirmam semper valetudinem a poenitentiae rigoribus retardaretur, a crucifixi effigie dulcissimam ambrosiam veluti de latere manantem accepit, qua omnes poenalitates sibi suavissimas reddidit; ab eiusdemque amplexu mortem suam intelligens, in ardentissimo videndi Deum desiderio obiit 30. novembris 1621.

4. Soror Maria Magdalena ab infantia solo pane et fructibus contenta, proprium prandium pauperibus erogabat; tantum deinde in oratione ac contemplatione profecit, quod saepe in extasim raperetur. Religionem ingressa, votoque facto de continuando novitiatu per septennium, biennio poenitentiis et cordis afflictionibus transacto, divinae lucis radio percussa, in intimos actus contritionis ac ferventissimi amoris Dei se se effudit; quibus per tres menses perseverantibus, die ante obitum sororis, quae in extremis erat, sanitatem et propriam mortem praedicens obdormivit in domino die 24. maii 1626.

5. Soror Francisca de Incarnatione, filia comitum de Basto, morborum, quibus assidue vexabatur, intercapedinem, ciliciis, disciplinis ac vigiliis compensabat. Obedientia et mansuetudine insignis, de fine suo per annum ante in somnis admonita, secura, ut dicebat, de periculo, laeta mortem aspexit 9. aprilis 1630.

6. Soror Maria de Pietate in matrimonio, cui parentum obedientia se subdidit, quasi in monachatu vixit, omnibus virtutibus ita ornata, quod saepe post elargitam eleemosinam vidit elegantissimam rosam in manibus imaginis Christi crucifixi, quam secum assidue gestabat. Dumque mortuo marito, orationi ardentius incumberet, Christi crucem baiulantis visione incitata, ut crucem suam tolleret, religioni per professionem se devovit; ubi oratione, patientia ac poenitentiis ita profecit, quod superatis in extrema hora daemonis visibiliter sibi apparentis tentationibus, perceptisque devotissime ecclesiae sacramentis, secura decantans: « Post tenebras spero lucem », e mundi tenebris ad lucem evolavit sempiternam die 8. decembris 1633.

7. Soror Philippa de Iesu, monasterii Eborensis s. Catharinae Senensis professa, ex illo ob eius singulares virtutes ad fundandum monasterium ss. Sacramenti Ulyssiponense adducta, tantum mansuetudine ac humilitate profecit, quod humilioribus officiis occupata, numquam, ut

priorissa fieret, acquievit. De germanae suae vitae periculo solicita a beatissima Virgine audivit, illico sanandam; et eventus probavit. Recuperatis denique a longissimo lethargo quasi per miraculum sensibus, divinis sacramentis munita, relicta fama sanctitatis, quievit in pace 9. augusti 1646.

8. Soror Catharina de Incarnatione, a prima aetate domum parentum suorum comitum de Basto pro observantissimo habuit monasterio, ubi orationi, ieiuniis, flagellis, ciliciis apprime addicta aliisque virtutibus insignita, non solum voto castitatis emisso, parentibus, qui eam matrimonio collocare conabantur, fortiter ac viriliter restitit, sed sui tandem voti compos effecta, religionem professa, vitae innocentiam, quam sine lethali culpa usque ad obitum, suorum confessorum testimonio, conservavit summae asperitati coniungens; cum dissolvi cuperet et esse cum Christo, suaviter repetebat: « Flores apparuerunt in terra nostra » recitatisque horis canonicis maximo spiritus fervore, Christi crucifixi imaginem, quam manu tenebat, dulciter alloquens, inter coelestis sponsi amplexus felicissime efflavit animam die 1. iulii 1647.

9. Soror Magdalena de Spiritu sancto, omnibus mundi illecebris spretis, Christi se iugo in religione subdidit, ubi sepulto propriae voluntatis arbitrio, ad omnem perfectionem in dies augebatur; patientia insignis, oratione assidua, saepeque divinis favoribus recreata, cognovit ac multo ante praedixit, vitam brevi ac inopinate amissuram. Biennio ante mortem in insolitum ac medicis ignotum mentis stuporem incidit, quo ad omnia temporalia inutilis, ad spiritualia aptissima. In se disponendo ad ultimam horam, repetitis saepius sacramentis, tota semper erat, eamque iam proxime prospiciens, sorori germanae, consanguineis ac ceteris monialibus vale dicens, omnibusque pro officio sepulturae necessariis ad cellam asportatis, dum eam relinquunt paululum quieturam, in aeternum quietura migravit in coelum 13. ianuarii 1648.

10. Soror Leonora de Assumptione eiusque filia soror Caecilia de Angelis, conversae, quarum prima in seculo singulare pietatis exemplum, in religione omnium fuit specimen virtutum; secunda vero piissime educata, tantum in religione profecit, quod omnium virtutum meritis cumulata a puero Iesu, quem ardentissime diligebat, in ipsius imagine saepe familiaribus colloquiis recreata pluribusque aliis beneficiis ac favoribus, quae omnia humilis virgo, sicut et virtutes diligentissime occultabat, a Deo visitata, magno tam praelatorum quam monialium, qui omnes illam tamquam oraculum venerabantur, desiderio 15. novembris 1651 animam coelo reddidit. Mater vero simili pene discessu 1. martii 1653 in domino obdormivit.

11. Soror Maria de s. Iosepho a prima pueritia tanto erga puerum Iesum beatissimamque Virginem amore flagravit, quod sexennis desiderio

martyrii, nec dum duodennis ipsum coelestem puerulum in brachiis suis meruerit recipere; quo favore pluribusque aliis a Deo acceptis, religionis statum tanto fervore amplexa est, tamque raris abstinentiae, patientiae et orationis exemplis in ea vitam transegit, quod mortis suae die cognito, beataeque Virginis apparitione recreata, inter divina colloquia purissimam animam reddidit creatori 12. ianuarii 1658.

12. Soror Clara de sanctissimo Sacramento crucem, qua Deus illam continua aegritudine comprobavit, mira patientia sustinuit, spirituque vincens naturam, rarum poenitentiae exemplar, adhuc exspirans obediens, ad coelum evolavit anno domini 1659 die 5. septembris. Qua hora decessit, fulgentissimam in oculis lucem vultumque undique radiantem ostentavit.

13. Soror Leonora de Evangelista humilioribus semper officiis occupata, erga beatissimam Virginem mira devotione affecta, tanta innocentia, quoad vixit, claruit, ut meruerit tempus suae mortis divina revelatione agnoscere eiusque singulas circumstantias praedicere. Obiit in domino, relicta fama sanctitatis, die 2. iunii 1663.

14. Soror Paula de Spiritu sancto adhuc in seculo orationi, ieiuniis ac mortificationibus apprime dedita, plura a Deo recepit beneficia, inter quae illud refertur, quod infra octavas sanctissimae Pentecostes se sanguinea pluvia perfusam videns, partemque in corde deponere iussa, a Deo postulavit sibi significari divinae voluntatis beneplacitum; auditaque voce, quod in monasterio sacramenti religiosam vitam capesseret, obedienti promptitudine religionis statu ibi assumpto, iterum audivit ibi martyrii meritum recepturam; quod diuturna et poenosissima infirmitate, heroica patientia perpessa, adepta est. Sicque virtutibus omnibus ornata, iam coelo matura, intra paucos religionis annos felicissime obdormivit in domino die 5. iunii 1669.

15. Soror Magdalena de Plagis, illustri sanguine nata et a prima pueritia in religione educata, ibique pluribus ac gravissimis infirmitatibus comprobata, tanto Christi Iesu amore aestuabat, quod in signum servitutis et obedientiae, qua illum, ab ipso edocta, nihil illi gratius esse posse, colebat, super cor ardenti igne stigmata servitutis impresserit, ubi etiam cellam interiorem formavit, in qua cum divino sponso dulcissime conversabatur. Obiit in osculo domini die 9. novembris 1669.

Plures aliae, quarum nomina sunt in libro vitae, odorem sanctitatis reliquerunt insigni eo in asceterio, in quo coelestis benedictio affluenter depluit.

In provincia Bethicae.

1. In provincia de Ztui obiit ven. p. fr. Bernardus Zeiudo, filius conventus Dominae nostrae del Rosario de Almagro provinciae Bethica-

nae, in cuius vitae puritate, velut in speculo, refulsit profunda humilitas, regularis observantiae rigor, assiduae poenitentiae tenor, adeo ut etiam in concionibus, in quibus fervore spiritus ac zelo charitatis nedum verbo, sed aspectu ipso summe poenitenti corda audientium ad pietatem efficaciter inflammaret. In maximo domini timore persistens, vere factus obedientiae ac divinae charitatis victima, suos inter Indos, quos verbis et exemplis coeperat efformare, in domino obdormivit cum sanctitatis opinione.

2. In monasterio Giennensi s. Mariae Angelorum obiit virtutum ac dierum plena ven. mater soror Francisca a Sotomayor, quae licet adversa fere semper valetudine infirma, divinae tamen gratiae adiutorio fortior facta, per sexaginta trium annorum curricula nostrarum constitutionum rigorem tam quoad vestitum quam quoad victum et ieiunia exactissime observavit, prorsus a secularium, etiam consanguineorum colloquio remota, soli Deo in choro ac cellae secessu vacans. Erga sacrosanctae eucharistiae sacramentum tenerrime affecta, numquam absque uberrimo lacrymarum profluvio sacrae mensae cibanda assidebat. Cuius funus amantissimus sponsus numeroso utriusque status tam ecclesiastici quam secularis coetu nobilitavit, atque a fratribus et sororibus aliisque ex populo, dum corpus terrae mandaretur, eius vestes, ambitioso devotionis affectu, certatim sunt discissae atque pia veneratione apud singulos conservatae.

In provincia Germaniae inferioris.

1. In conventu Bruxellensi ven. vir Dei p. fr. Ambrosius Druve (1) filius conventus Gandensis, celeberrimam apud omnis generis homines sanctitatis opinionem de se reliquit. Admirabili fervore et admirabiliori fervoris constantia ab exordio iuventutis usque ad obitum religiosae disciplinae rigorem perpetuo sectatus, suavissimi illius odoris, quem conventus Bruxellensis per exactam sacrarum constitutionum observantiam late diffudit, grande fuit incrementum. Varios conventus ea, qua erat apud principes gratia, impetravit, inchoavit, auxit. Insigne poenitentium puellarum asceterium Bruxellis incredibili labore fundavit ac perfecit. Numquam non fervidus; in carceribus, ergastulis, nosocomiis, xenodochiis saepe per diem animos corporaque miserorum curabat, omnium unus pater pauperum. Sacrum Deiparae Virginis Rosarium ceteraque efficacissima quaevis ad veram pietatem adminicula ita promovit, quantum alii multi simul non possent. Eum quotidie plurima impedire scelera, dissidia nonnunquam et principum componere, flagitiosas convertere, nemini novum erat. Omnis generis, sicut et oportuit illum pati,

(1) De fr. A. Druve (Druwé) cf. SSOP. II, 614; De Ionghe Belgium Dominicanum pag. 92 sqq.

persecutiones ita per divinae subsidium gratiae suaviter tulit, ut perspicuum fieret, illum atrocissima martyria, si daretur occasio, pene ridendo consummaturum. Corporis sui velut carnifex ciliciis, flagellis aliisque christianae mortificationis remediis acerrime in se desaevire solebat; vultu interim suavissimo semper serenus. In sumendo cibo videbatur gustu carere ; cum somno ita dimicabat, ut quandoque in gradibus et angulis dormiens reperiretur. Laboribus crescere videbatur. In extrema aegritudine cum chirurgi magna carnis frusta vivacissimo illi doloris sensu exscinderent, immotus se ipse tenebat. Quod se ipsum minime quaereret, etiam aemuli fatebantur. Titulum praedicatoris generalis nonnisi diu reluctatus admisit. Tandem sexagenarius, summa cum pietate susceptis morientium sacramentis, placidissime obdormivit 1665 die 9. maii, inexplicabili omnium pauperum luctu. A defuncti vestibus pia veneratione discerpendis, insolito plane per Belgarum climata, populorum fervore vix potuerunt obicibus et custodibus opportune appositis amoveri ; a rosariis vero et aliis, qua licuit, admovendis floribusque corporis inspersis expetendis, ne vix quidem amoveri potuerunt fideles, uno velut ore sanctum acclamantes, et plurimi tum intra tum extra Bruxellas pietate insignes pro insigni munere quidquid a patre Ambrosio esset, expetiere. Etiam coelestis eius gloria revelata praedicatur, et impressa de eo hominum mentibus opinio sanctitatis cum tempore crescit.

2. Ibidem 1657, 17. novembris laetissime mortem expectavit et aspexit r. adm. p. fr. Franciscus Antonii, filius conventus Antverpiensis, cuius apud omnes memoria in benedictione est. Septemdecim annos in communi provinciae novitiatu, ad haec supprior ac prior, quo se munere sponte abdicavit, ita incredibili spiritus fervore se primum ac suos religionis tyrones ad christianae perfectionis apicem exercuit, ut ceu perfecta magistri novitiorum idaea passim celebraretur. Omni austeritatum genere in seipsum severus, suis omnibus suavissimus, in charitate Dei et patientia Christi vere pater. Carnem suam non tantum neglexisse, sed et odio habuisse visus est. Ex abstinentia carnium quod tandem lethalem morbum contraxerit, nemini dubium fuit. Paupertatis humilitatisque studiosissimus, regularis observantiae ac sacrae communitatis primus semper et ultimus noctu diuque sectator. Contemplationi addictissimus, puram defaecati animi devotionem suaviter ac fortiter omnibus inculcabat. Obedientiam ceu pretiosissimam, contemptum commoditatum corporis et existimationis inter homines atque imprimis abnegationem propriae voluntatis singulis cum energia persuadebat. Probatione ac discretione spirituum admirabilis fuit.

3. In conventu Bergis s. Winoci anno 1668, 27. augusti felici commercio pro perituris aeterna commutavit, maximo sui apud mortales et

desiderio et suavissimo sanctae conversationis relicto odore, r. p. fr. Carolus de Claeijs, quem saepius igne nimirum in meditatione illius inardescente in ecstasim fuisse raptum, fugasse nonnunquam ab aegrorum corporibus crucis signo febres ac scivisse secreta et abscondita cordium, personae fide dignae testantur. Fuit is vir eximiae charitatis in Deum ac proximum, castitatis integerrimae, maximae abstinentiae et taciturnitatis ac regularis observantiae zelator mirificus. Orationi mentali, qua nihil ei familiarius, adeo afficiebatur, ut saepius in ea a media nocte post matutinas decantatas, a quibus numquam nisi gravissima detentus infirmitate se absentabat, usque mane perseverasse a fratribus ad primam cantandam chorum intrantibus repertus fuerit. Mariani rosarii eximius cultor et praeco fuit indefessus; familiare ei erat ad praedicandum verbum Dei in pagis, etiam dum officio prioris fungeretur, dominicis et festis diebus ad 6 vel 7 leucas pedes excurrere et eodem die ieiunus redire. In corpore suo diram in dies exercebat carnificinam. Testantur hoc parietes tum cellae eius tum templi, ubi aculeata ferreis ungulis disciplina corpus suum in servitutem redigere solebat, qui etiam nunc multo apparent respersi sanguine. Visus aliquando fuit, dum priorem ageret sui conventus, clam lavare habitum suum ac indusia lanea multo sanguine madentia et hoc in media hyeme, dum omnia gelu essent concreta. Tandem viribus omnino exhaustis, sibi mortuus et carni Deo totus adhaerens vivere coepit, uti speramus, in perpetuas aeternitates.

4. In eodem conventu vivere desiit r. p. fr. Raymundus Coppeus, vir simplex et rectus ac timens Deum. Maximus is erat obedientiae, castitatis et paupertatis amator. In cella demortui nil nisi catena ferrea, cilicium et breviarium reperta sunt. Hic sacro refectus viatico coram adstantibus fratribus, dando Deo laudem, humiliter declaravit: Non testari sibi conscientiam suam, quod umquam per totam vitam Deum mortaliter offendisset aut fregerit charitatis fraternae praecepta; addebatque, se nunquam in fratres suos, a quibus tamen ob summam simplicitatem cordis ac vitae innocentiam non raro exsibilabatur, vere fuisse offensum aut exacerbatum, adeo ut de illo dici potuerit: « Hic vere israelita, in quo dolus non est ».

5. Antverpiae anno 1657 cum non vulgari sanctitatis opinione quoad apparitiones, raptus extra se et ecstases obiit soror Maria de Puis, ordinis tertiaria, de qua mira a fide dignis testibus relata fuere. Tanta eximiae integritatis eius fama increbuit, ut nedum seculares, sed etiam religiosi ac sacerdotes in magno numero ad eam concurrerint, dum usque ad mortem, ad quam anhelabat cupiens esse cum sponso suo, infirmaretur, tum ut precibus eius se commendarent, tum ut ab eadem impetrarent benedictionem. Ad cadaver eius tanta fuit populorum multitudo, ut ne-

cessarium fuerit, dum in ecclesia nostra sepeliretur, portas chori claudere, ut officium sepulturae eius per religiosos decantandum rite posset persolvi.

In provincia Calabriae.

Celebris valde ac recens est Calabriae in civitate Rhegiensi memoria religiosissimae virginis tertii ordinis nostri sororis Annae, filiae Francisci Labruto. Puerulae innocentia, simplicitas, puritas ac modestia adultam perduxere ad aetatem, cum decimo septimo circiter anno habitum suscepit. Momento aucta virtutibus post vigesimum sanctissime moritur. Brevi eo curriculo nihil illaudatae indolis gessit, nihil desiderandum perfectionis omisit. Vota exactissime implevit, ieiunia ac cuiuscumque generis mortificationes adauxit, sanctorum devotionem, praesertim deiparae sub rosarii titulo percoluit. Ferme singulis diebus communicabat tanto animae corporisque sensu, ut tota, hostiam libans, contremeret. Ad haec humiliationem sui, proximi dilectionem in ore semper habuit et corde; de Deo autem tam alte sentiebat, ut esset incapax, qui auderet creatura mortali culpa creatorem offendere. Mortuorum poenis, aerumnis vivorum compatiens, propriis nesciebat condolere malis, aegritudinem suam plures ad menses patientissime tolerans. Altae sapientiae, divini amoris, contemptus mundi non raro prompsit sententias, quarum sensa perpauci in anima iusta, quae itidem non semel praesciisse mortis suae tempus sat indicavit. Novembris die 23. anno 1669 e vivis discessit hora 21. Vix sciri potuit, et tamen concursus magnus populi adfuit ipsam unitim sanctam acclamantis. Hausit haec cum lacte sanctimoniam, quam mire genitor eius professus est; cuius etiam concors et particeps germana fuit eius vix medio lustro minor Catharina nomine, et ipsa secum sub habitu de poenitentia, quae pariter eximiae probitatis communi opinione et argumentis succedentis anni 1661 sacro die epiphaniae ad Christum cum sanctis Magis creditur properasse.

In provincia s. Dominici Venetiarum.

1. In conventu ss. Ioannis et Pauli de Venetiis anno 1660 sub finem aprilis apoplexia correptus octogenario maior animam reddidit creatori r. adm. p. mag. Xantes Mariales (1), natione Venetus, eiusdemque conventus filius, aetate, virtute, meritis et exemplo provinciae parens. Vita eius a teneris annis ad senium usque panegyrim mereretur in laudem, nec satis est arcta pagina tanti viri encomiis. Hispania fuit ei theoricarum potissimum magistra, quo iunior perrexerat. Inde reversus ad patriam gratitudinis ergo agnatum Hispano idiomati cognomentum relicto familiae Pinardi, vocandus Xantes Mariales, devotissimus Mariae nomini, assum-

(1) De fr. X. Mariales cf. SSOP. II, 600.

psit, illius ope contemplativa ac activa cupiens proficere. Caput propterea regiminis ac studiorum effectus, mirum quam solerter, quam solicite, quanto cum alumnorum profectu munia compleverit. Post quae cellae recessum ambiens, curis vale dicto ac oneribus, surdus oblatis honoribus, soli sapientiae, soli Deo vacare fuere sua vota. Vorare libros, orationi instare, atramenta scribendo insumere, animi quotidiana solatia. Et quidem tenaci adeo studio, adeo indefesso labore, ut praeter sacristiam pro missa, praeter chorum pro officio, coenobium urbemque ignoraret, suetus invisentibus promere, duo religiosum decere, aut laborare aut orare. Testes sunt, quos edidit quosque edendos reliquit libros, acutissimi ingenii partus, controversiarum disputatarum, bibliothecae auctorum in d. Thomam. Quocirca sculpta post obitum veneranda eius effigie, disticho fuit ei plausum:

In placido vultu, studii claustrique severum
Et cano in calamo, florida scripta virent.

Quam solitarie sic vivens, apud proceres praesertim sibi conciliavit aestimationem, credi vix potest. Felix cui ad ipsum liceret doctrinae, conscientiae, consilii, colloquii causa obtinere accessum; faciei serenitas, lingua mellea, profunda rerum intelligentia rapiebant animos. Unde ad confessionalia pertractus, ne fraudaretur poenitentiae fructibus pietas, assidue promiscue omnibus praesto erat. At zelo non contentus salutis, pro immunitate ecclesiastica zelatus est calamo, ex quo sic occalluit adversis, ut hilariter extorris abierit semel et iterum. Cum Ferrariae moraretur, moti eius fama sacrum eius quotidie affecti devotione turmatim opperiebantur ad meridiem populi, Bononiaeque ad tempus degens uno ore in filiorum numerum ambitioso suffragio est cooptatus. Tandem redux ad propria, patriae mansionem caelestis et cupere et expectare tantum constituit. Itaque symptoma illud passus passusque linguae propterea impedimentum, liberrimus mente, quo culpas fateri posset, Zachariae illius memor, pugillarem poposcit; sed dextera languente parte, prout ei datum est, commissa sua balbutivit; commemoratoque ab uno adstantium s. Thoma, cui tam devotus fuisset, tam addictus, quem propediem usurus esset in gloria, novus Abraham oris cordisque motu gestiens subrisit. Mortem ergo laetus aspiciens, laborum, vigiliarum, abstinentiarum praemia recepturus migravit, uti speramus, ad superos. Solemniter sepulturae traditus urbis concursu, funebri oratione, planctu, plausu percelebris prae aliis in virtutis testimonium curiam habuit ac personam Hispaniarum excellentissimi oratoris funeris comitem, quem dixisse ferunt, tacta blande defuncti patris maxilla, fuit vir sanctus.

2. Venetiis in conventu s. Secundi 9. octobris 1664 obiit r. adm. p. mag. fr. Basilius Pica. Quis ipse natione fuerit, quae naturae ac vir-

tutis indoles, quae probitatis ac religionis in ipsius adolescentia emicuerint praesagia, Neapolis, Senensis Catharinae provincia sanctique Severi coenobium gloriabunda in aevum forte loquentur, sed patrio non sistunt in littore fructuosae merces. Praga moderatorem asciscit suorum gymnasiorum, meretur Bruna priorem. Porro iis summa cum laude exantlatis muneribus, sibi ut aliquantulum cum sapientia quiesceret, alio vocatur; at non bene sub modio. Quamquam anachoretae depereat vitam, cogitur suavi obedientiae stimulo claustris impertiri seipsum. Sic civitatis Fori Iulii observantia eximias arctioris disciplinae dotes in eo suspexit, ubi e limine egresso pede prope Gradiscam sterili in agro foecundat novo coenobio institutum; inde fama quaque versus elata ad prima Italiae suggesta verbi Dei prudens iuxta et fidelis vere sator certatim raptus, quam collegerit messem, scit Deus, scit homo. Interea inscium omnino, reque sibi delata, reluctantem vult Aprutina provincia pastorem et caput, sed, et ibi optimis ad meliorem frugem et relictis praeceptis et datis exemplis, novam repetit patriam Venetias. Hic ne inquilinus salutis animarum zelus ulterius esset ultroneus senatus consultus civem suum amanter atque munifice vix exoratus pronuntiat; quo, si prius perfunctorie, exinceps ferventioris conatus iure, Adriatico in mari piscator esset. Sancti Secundi ad insulam, ut nassas retiaque tenderet a superioribus vectus, socios aliis ex navibus plures, ut adiuvarent, vocavit, sed ipse instar Petri ascendit prae ceteris in terram et traxit rete plenum magnis piscibus. Sic terra marique clarus pergit visitator Bononiae, redit praeses factus Venetiis; domi forisque, privato ac publico plausu tandem acceptus. Laboribus, studiis, vigiliis, macerationibus, itinerum incommodis, immatura obvenit illi senectus; quare cum apostolo consummato cursu post undecim dierum decubitum acuta victus febre decessit. Qualis viri vere apostolici fuerit transitus, quam transegit eo usque, vita compertum facit; ad annos siquidem tres supra quinquaginta honestatem undique spirans, morum et operum bonorum clarum exemplar, severioris observantiae tenorem sic se expressit, ut supra, non contra legis praescriptum, quo perfectionem attingeret, plura impleret. Paupertatis propemodum extremae constantissime amator, locupletem virtutum animam eo plus ditavit; semper studiosus talenta, quae gratis acceperat, dandi gratis. Sic ab humanis liberrimus libere declamare potuit in scelera, nec praedicatio eius aut sermo « in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis »; quod nedum concione publica, sed et privatis colloquiis tam munifice Dei dono adeptus est, ut nemo dici queat, quod ad ipsum accesserit, qui non melior abierit. Sic praedicator gratiae nec syllabam, quin referretur ad finem gloriae, promere suevit; nec nisi ferme de Deo colloquebatur. At debuit rivos claudere, postquam fluenta super

aridam fuderat, ad flumen, « cuius impetus laetificat civitatem Dei », illuc saliendo. Obmutuit itaque supremis diebus duobus, exsiccatis faucibus, lingua; fuitque pacis internae, qua placide mortem aspexit, silentium index. Viguit tamen in eo mens vigil semper, nec aegre tulit, quas sponte subierat sanus corporeas passiones. Quid, nisi cupio dissolvi, corde repeteret, qui vitam nihili fecit pro Deo, pro proximo? Solicito ante haec desiderio, exomologesi expiatus, synaxi munitus, sacra denique vegetior factus unctione praecinctusque, haud potuit ultra extra patriam morari. Nocte igitur, quae magni Dionysii praecessit festum, qui et ipse praedicator divinus, vallem lacrymarum reliquit ad Thabor, quod pie creditur, perventurus. Urbi Venetiarum omnique populo spiritualiter proficuus et charus, legatum diuturni moeroris dolentisque memoriae vel nolens signavit.

In provincia s. Catharinae Martyris de Quito.

1. In conventu Torrivii civitatis Pastensis ad perennem transivit vitam r. p. fr. Christophorus de Escobar, senex dierum, adhuc puerilem retinens innocentiam sanctamque simplicitatem. In alios flagrantissime ardens charitate, sibi soli fiebat iratus pieque crudelis; oleribus contentus, parce ad modum refectus, pauperibus summo amore servabat, quidquid sui victus supererat ex communitate; nec tamen ideo pedem e conventu efferebat, perpetuo quasi clausura arctaretur intra claustra manens. Itaque velut compedibus detentus in chamo et fraeno maxillas, ut Deo appropinquaret, constrinxit. Sic, quamvis auream pravitatis dolisque nesciam reveheret aetatem, bellum corpori suo indixerat ferroque dimicabat, ipsumque singulis noctibus ad cruoris effusionem dire caedebat. Saxo pectus tundebat; cuius quidem crebro percussu occalluerat caro, mirumque costis infractis. Petras forte iterum scindi cupiebat passionis memor; post quae et si abrupto somno paululum nixus altari sanctissimi crucifixi acceptis ad indusias lapidibus quiescebat. Assuetus nocte, die quoque erat cultor silentii, nisi sancte frangens in choro horis omnibus psallens. Hilarem vultum, cum pervenisset ad mortem, laetus obiecit. Sane ubi vehemens imber ceciderit, apparet serenitas; igitur post sacramentorum solatia ad coelum, ad pendentis servatoris imaginem, ad Deiparam virginem erectis, alternatione quadam, fixisque oculis, relictis ciliciis, catenis et ex his solita apud omnes sanctitatis suae memoria Deo animam reddidit.

2. In monasterio divae Catharinae Senensis resplenduit sanctae vitae studio soror Maria de s. Paulo. Haec ad apicem legum nostrarum cultrix, evasit religionis exemplum, observantiae norma. Cella vere illi coelum, qua nunquam nisi chori gratia aut communitatis ergo exivit. In ea orationi tota, tota librorum spiritualium documentis intenta, magno foenore animae commercia exercebat. Sanctum eiusmodi otium magnum illi erat

negotium, cui ad societatem, si mavis, ad satietatem esurientis sui spiritus una erat domus negotiationis domus Dei. Ibi sacerdotis ad pedes, ad gradus altaris non festivis dumtaxat, sed ferialibus quoque diebus ab omni aliarum rerum cura feriata saluti profectuique in via Dei vacabat. Sacram deferens aram, ad aream spiritualis agonis congrediebatur cum corpore, devictis mundo ac daemone, lucratura. Quod si ad arma veniendum ieiunii scuto, ciliciorum thorace, vigiliarum galea, orationum iaculis, flagellorum ictibus hostem terrebat non solum, sed ausum per tentamenta accedere caedebat ac profligabat. Hisce triumphis famae multum, laudis, commendationis moriens devotissime in domino adepta est.

3. In conventu sancti Pauli civitatis Guaiaquilensis vitam cum morte commutavit r. p. fr. Franciscus de a Ponte cum magna opinione sanctitatis, nostrarum legum ad unguem observantissimus ac religiosae perfectionis norma ac exemplar. Corpus suum qualibet nocte acribus flagellis caedebat usque ad sanguinem, et post eius mortem asperrimum cilicium aliaque permulta mortificationis instrumenta, undequaque corpori circumligata, reperta fuere.

In provincia ss. Rosarii Philippinarum.

1. In magno Sinarum regno ven. p. fr. Franciscus Fernandez de Capillas, Hispanus, filius conventus s. Pauli Vallisoletani, vir orationi et contemplationi maxime deditus, in abnegatione propriae voluntatis et obsequio superioris admirabilis, in paupertate singularis, in abstinentia rarus, in animarum salute procuranda ferventissimus; ob id fidei zelo ductus usque ad insulas Philippinas penetravit, ubi maxima sanctitatis opinione magnoque animarum fructu novem annis in provincia Novae Segoviae Indorum ministrum egit exemplarem, exinde Dei providentia ad amplissimum Sinarum regnum a superioribus missus praedicandi evangelii causa, ubi sex annos in apostolico ministerio consumpsit, multis matris ecclesiae gremio filiis aggregatis, a Tartaris per vim regnum Sinarum occupantibus deprehenditur ac carcerali custodiae mancipatur. At inde extractus bis durissime flagellis caeditur, moxque carnifices, qui malleolis tabulas comprimebant, quibus pedes martyris cingebantur, tamdiu tabulas torquebant, donec ossa malleorum vi expresso sanguine fracta complanarentur. Quam torturam tanta animi constantia ac heroica patientia perpessus est fortis athleta, ut non solum vox gementis non sit audita, sed nec motus quidem naturalis, quasi dolorem fugiens perciperetur, ita ut putares alterius corpus, et non corpus martyris torqueri. Sed et tyrannus et qui cum ipso erant, mirabantur et martyris animum et vultus hilaritatem in tot tantisque cruciatibus; unde iudex non solum verbis hortabatur, sed et affirmabat, divitem se illum et beatum facturum et se amicum habiturum, si Christi lege derelicta converteretur ad idola.

At ille gloriosissimam mortem magis, quam odibilem vitam complectens, destinavit non admittere illicita propter vitae amorem. Tunc tyrannus iubet, ut insuperabilis confessor toto corpore nudatus immanissime a carnificibus raptaretur; post quae in carcerem denuo truditur fame suffocandus; sed inde postea extractus pro illibata, quam semper professus est fide, capite truncatus, primus omnium in amplissimo illo regno coronam martyrii adeptus est anno 1648, 15. ianuarii. Cuius postea corpus a christianis illius regni inventum magna cum devotione ac spirituali gaudio sepulturae traditum est. Plura de eo in processibus auctoritate ordinaria iam fabricatis et ss. rituum congregationi praesentatis, a qua remissoriales litterae expectantur pro processibus auctoritate apostolica conficiendis.

2. In eodem amplissimo Sinarum imperio obiit venerabilis et devotus p. fr. Franciscus Diez, Hispanus, sacerdos, filius conventus Vallisoletani, non minus in religione quam in illius gentis lingua, litteris et ministerio insigniter instructus, cuius pretiosa mors anteactae vitae mirabiliter congruit; sed biennio ante obitum ingenti desuper lumine decoratus tantam Dei misericordiam expertus est talemque propriae vilitatis agnitionem, ut impetu spiritus coactus, in faciem suam procidens cum clamore valido et lacrymis piissimum dominum obnixe efflagitaret, ne eum tanto benignitatis suae pondere confunderet, quem ita noverat imperfectionis infirmum. Hic igitur vir plane apostolicus, animarum zelo praefulgens, lacrymarum dono mirabilis, humilitate ac patientia conspicuus, pro Christo carceribus multoties mancipatus, quater flagellis caesus et bis exilio relegatus, qui et multa et magna pro fide operatus est, ut longiori vitae suae relatione patebunt, fracta laboribus valetudine felicem cursum consummavit et laetus mortem praeclare gestis simillimam aspexit.

3. In conventu s. p. n. Dominici de Manila obiit r. p. fr. Ioannes Ludovicus de Guete, conventus Valentini in Hispania filius, qui ad hanc provinciam veniens, pro Christo eiusque evangelio sanguinem fundere meruit, ab Indis insulae de Guadalupe sagitta percussus ad mortem, licet Dei gratia convaluerit, in hac provincia quandiu vixit, semper zelo salutis animarum ac regulari observantia excelluit, vere pauper pauperibusque compatiens.

4. In conventu s. Hyacinthi de Mexico obiit anno domini 1651 r. p. fr. Sebastianus de Oquendo, Hispanus, vicarius eiusdem domus et quondam prior conventus nostri s. Dominici de Manila atque in collegio s. Thomae artium et theologiae professor ac regens, ingenii acumine, docendi magisterio dicendique subtilitate inter illustriores theologos iure computandus. Fuit etiam in concionibus celebris et verbis praedicationis suae vitam religiosissimam adiungens, proprii corporis domitor acerrimus, cum singulari sanctitatis opinione decessit. Eius corpus post octo annos

incorruptum repertum est in conventu s. Dominici de Mexico, licet alias in loco humido sepultum.

5. In provincia Novae Segoviae obiere cum fama sanctitatis ven. pp. fr. Ioseph de s. Maria, alias Ioseph Navarro, sacerdos ex provincia Bethica, filius conventus s. Petri Martyris de Marchena, qui in odium christianae fidei a barbaris et apostatis gladio percussus, martyrio coronatus est; et fr. Petrus de Ansa, filius conventus s. Dominici de Mexico, qui diu in conversione illius gentis non sine ingenti lucro animarum laborans, fidelis ac fervidus apostolicus minister, tantorum laborum in coelo mercedem recepturus in pace quievit, relicta in terris apud illas nationes non mediocri suae sanctimoniae opinione.

6. Fonincheii, quae magni Sinarum imperii Fokienae provinciae est civitas, viam universae carnis ingressus est ven. p. fr. Ioannes Baptista de Morales, Bethicae provinciae, qui propagandae fidei studio ardentissimo accensus, primo ad regnum Camboxiae, deinde ad Sinarum imperium ex obedientia destinatus apostolicus missionarius, ibidem post longam caeteris macerationem, tabularum torturam, flagellis durissime caesus ac pugnis contusus, semelque mortaliter vulneratus, multos tandem constantissimus vir genuit ecclesiae filios, novasque vidit ac erexit in illis regionibus christianorum ecclesias. Quibus in laboribus usque ad annum 1664 fidelissime perseverans, fulgentissimas sibi comparavit in coelo coronas. Eius funus nedum religiosi, verum et fideles omnes tali orbati parente uberrimis lacrymis celebrarunt. Scripsit currenti calamo historiam evangelicam Sinarum ac de fidei controversiis alia opuscula, dictionarium quoque composuit Sinense ac linguae illius, in qua peritissimus fuit, grammaticalem artem.

7. In eodem Sinarum regno apud Moyang, Fokienae provinciae oppidum, diem clausit extremum ven. p. fr. Ioannes Garzia, provinciae Bethicae, Alcobricensis collegii alumnus, qui fere per 30 annos in praefato imperio apostolice laborans, doctrina admirabilis, oratione assiduus, dono mansuetudinis et patientiae singularis, multa in variis persecutionibus pro Christi fide passus, nunc latitans, nunc insecutus, nunc comprehensus, demum in postrema illius imperii persecutione cum e latibulo ad ecclesiam celebrandi causa in die s. Crucis 14. septembris adventasset, a militibus ob christianam religionem catenis ferreis vinctus, pugnis contusus variisque ludibriis vexatus, his omnibus patientissime toleratis, cum haud multo post in febrim incidisset, in lectulo suo, coelo iam maturus, prope sexagenarius animam reddidit creatori anno 1665.

8. Die 2. decembris 1671 obiit in conventu s. Pauli Hispalensis illustrissimus ac reverendissimus d. fr. Ioannes Polancus, episcopus electus Novae Caceres, filius conventus s. Pauli Valisoletani. Vir omnino apo-

stolicus, qui post multos annos lecturae in sua nativa provincia ad Philippinas missus, et praesertim ad regnum Sinense pro christiana fide in illis vastissimis regionibus propaganda, strenue laborans, fructuose ministerium suum implevit. Multa fecit sustinuitque patiens ac fervidus evangelii minister, ita ut meruit pro fide Christi ter crudeliter verberari totidemque vicibus vulnerari lethaliter. Obedientia, humilitate, regulari observantia ac fidei christianae zelo apprime singularis. Tandem post tot tantosque labores gravi morbo oppressus, cupiens dissolvi et esse cum Christo, totus in actibus contritionis, humilitatis, patientiae ac heroicae charitatis se dedit; post quos ecclesiasticis sacramentis munitus felicissime obdormivit in domino, non mediocri insignis probitatis ac sanctitatis opinione in terris relicta.

In provincia s. Petri Martyris.

1. In conventu s. Mariae Magdalenae de Ast adm. r. p. lector fr. Dominicus Castus, inquisitoris munere decoratus, florenti in aetate, nimirum triginta quinque annorum supremam diem vidit; raptus, fas sit credere, ne malitia mutaret intellectum eius. Sane tenerioris puriorisque subinde adolescentiae specimen, et si provectior, prae se tulit; et castitatis, quam praesagiebat cognomentum, apprime studiosus, aureolam promeruisse virginum, non levi coniectura, sed indiciis gravioribus probatum est. Antesignana hac virtute, qualiter ceteras animi passiones domuerit, liceat divinare. Illinc devotio, humilitas, modestia, charitas facile manant. Verum, ut haec sequuntur, comitantur alia, oratio nimirum, ieiunia, vigiliae, quae sub regulari disciplina indicit dominicana religio; quorum profecto fuit severus cultor et observator. In eiusmodi meritorum agone ad bravium aeternae felicitatis placida morte perrexit anno salutis 1667.

2. Post biennium amisit conventus s. Dominici de Cherio r. adm. p. mag. fr. Reginaldum Rubeum, at, dum amisit in terris, tutelarem, iuvat opinari, est adeptus in coelo. Quibus meritorum remigiis ad certae salutis portum credatur appulisse, mox fiet palam. Cur non sibi eam lucratus fuerit, quam pro aliis ardenter sitiebat felicitatem? Ad poenitentiam de sacro animarum tribunali nunquam destiterit peccatores accire, quorum medendi languoribus divina quadam dexteritate et arte pollebat. Hisce privatis ministeriis publica adiecit munia, semel et iterum provinciae datus regens, bis etiam delectus in caput, impraetermisse alias scholae et morali cathedrae addictus. Verum praeter haec Marthae officia, quae pervigil ac zelotes obivit, haud quaquam Magdalenae partes oblitus est. Choro et orationi solicitus, media etiam nocte, quamvis secus suaderent morbi, laetus surgebat, ubi, ut mentali suavius vacaret, longas consuevit trahere moras. Meditabundus verumtamen quocumque discurreret, ad passionis dulcem simul ac amaram redibat recordationem; in qua totis

fixus praecordiis crucifixi imaginem vel manu tractare vel cordi secretius admovere, in morem traduxerat vere illius assecla factus; paupertatis amantissimus et in suimet abnegatioue tranquillus. Quid ei supererat nisi itidem Christo emori? Sic ergo ad eum, postquam toties meditatione petierat vivens, moriens migravit. Ad eius funus fama permoti plurimi convenere, promiscue acclamatione devota eximiae probitatis virum vicissim testari. Et ad praecipuorum instantiam post mensem ex communi loco corpus eius pro decentiori sublatum, mire est inventum, ac si recenter obiisset.

In provincia s. Catharinae Senensis seu Aprutina.

1. Neapoli in conventu s. Severi Maioris obiit r. p. lector fr. Ioannes Baptista Maturantius, Neapolitanus, eiusdem conventus filius, qui regulari observantia ac continua die noctuque sequela chori ac evangelicae praedicationis officio vixit per annos viginti duos in dicta provincia, ita perpetuus otii inimicus, ut tempus itineris nec perdere studuit, hymnos, psalmos, antiphonas cantando; quod habituale exercitium ad obitum usque retinuit; nam dum tempore contagii 1656 ab archiepiscopo eminentissimo cardinali Phylomarino parochi officium sibi commissum exerceret in parochia s. Georgii maioris, post uberes fructus in administrandis sacramentis, cantando psalmum « Laudate Dominum omnes gentes », obiit in suburbiis dictae civitatis; cuius animam ad paradisum ascendere eadem hora ac momento a nonnullis per visum conspectam fuisse, fama est. Eius corpus non sine piorum lacrymis ac totius civitatis moerore sepultum fuit in ecclesia s. Mariae Montium.

2. Obierunt eodem anno Neapoli rr. pp. fr. Dominicus a sancto Angelo, fr. Bernardus de Robetto et fr. Angelus de Caserta, omnes tres filii conventus s. Mariae ab Arcu, qui tempore pestis in civitate Neapolitana curati munus exercentes, indefesse sacramenta administrando animas suas pro ovibus sibi commissis alacriter posuere.

3. Obiit etiam cum singulari sanctitatis opinione r. p. fr. Franciscus Gavarracinus (1), filius conventus s. Severi Maioris de Neapoli, qui fuit humilitatis, paupertatis ac studiorum eximius cultor. Rigidiorem observantiam regularem sequens, die noctuque quamquam decrepitus, post matutinas preces studiis vacans, libros valde utiles ac eruditos composuit super primam d. Thomae, qui asservantur in bibliotheca eiusdem conventus. Tandem ardenti charitate motus, remedia procurando ab aromataria dicti conventus pro communi bono ac salute illorum, qui anno 1656 erant contagio affecti, eodem contagio afflictus et ipse, omnibus munitus sacramentis, obiit mense iulii eiusdem anni sepultusque fuit in ecclesia eiusdem conventus omnium patrum lacrymis associatus.

---

(1) De fr. Francisco Gavarracino cf. SSOP. II, 583.

4. Romae in conventu s. Mariae super Minervam post diutinam corporis macerationem ac dolores continuos ex habituali infirmitate renum obiit r. p. fr. Coelestinus de Isernia, provinciae Aprutinae filius, qui toto suae vitae cursu rigidus nostrarum constitutionum fuit observator. Nunquam carnes, etiam infirmus, comedit, super nudas tabulas cubabat, in audiendis confessionibus assiduus, eximius paupertatis, humilitatis ac simplicitatis cultor ad coelum evolavit non sine singulari integritatis ac sanctimoniae fama apud nos relicta (1).

**Suffragia pro vivis.**

Pro ss. d. n. Clemente papa X. et felici statu sanctae Romanae ecclesiae quilibet sacerdos unam missam.

Pro augustissimo imperatore Leopoldo II. et tranquillo statu sacri Romani imperii quilibet sacerdos unam missam.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XIV. q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Carolo II. et regnante regina quilibet sacerdos unam missam.

Pro eminentissimo ac reverendissimo d. card. protectore nostri ordinis quilibet sacerdos unam missam.

Pro universo sacro collegio eminentissimorum et reverendissimorum dominorum cardinalium quilibet sacerdos unam missam.

Pro excellentissimo d. Petro de Aragonia, duce Segorbiae et Cardonae, regni Neapolitani prorege, munificentissimo nostri ordinis benefactore, quilibet sacerdos unam missam.

Pro omnibus praelatis ex ordine nostro assumptis q. s. u. m.

Pro omnibus nostris benefactoribus, qui huic generali capitulo pias eleemosynas contulerunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque capite reverendissimo p. magistro generali ac sociis eidem collaborantibus q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, fratribus clericis litaniae omnium sanctorum, conversis una decas orationum dominicalium cum totidem salutationibus angelicis iniunguntur.

**Suffragia pro defunctis.**

Pro animabus eminentissimorum ac reverendissimorum dominorum cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam capitulis nostris generalibus ex testamento legarunt, quilibet sacerdos unam missam.

Pro reverendissimo p. fr. Ioanne Baptista de Marinis, nuper generali totius ordinis magistro, inter gravissimos pro religione labores pie sancteque vita functo, quilibet sacerdos unam missam.

---

(1) Sequitur protestatio p. secretarii ex ordine capituli, ut MOPH XII, 372.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore postremi capituli generalis Romae celebrati in Domino obierunt, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis tertia pars psalterii rosariani iniungitur.

Damus reverendissimo patri nostro generali magistro totam nostram auctoritatem circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare possit, quemadmodum cetera, quae declaratione opus habent, eis addere, demere, immutare, omnia denique facere, quae nosipsi facere possemus, iuxta quod eius discretioni ac prudentiae visum fuerit.

Denique universis ac singulis provinciarum, congregationum et vicariatuum praesidentibus praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ut huius capituli acta in singulis sibi subiectis conventibus ac domibus, statim ac quando fuerint impressa et eis transmissa, coram communitate legi et publicari faciant, et sedulo accurent, quatenus ab omnibus observentur, atque ea quae ad ordinem nostrum in communi spectant et quae specialiter ad propriam uniuscuiusque provinciam attinent, adminus quater in anno in quolibet conventu ad mensam in communi refectorio praelegantur. Volentes, quod exemplaribus impressis ac sigillo rev. magistri ordinis munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae debetur originali. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Capitulum generale sequens, quod erit diffinitorum primum, celebrabitur post sexennium in festo sanctissimae pentecostes anno 1676, nisi aliter magistro ordinis iuxta temporis contingentias et circumstantias visum fuerit opportunius. Locus vero huiusmodi capituli celebrandi erit, qui suo tempore ab eodem rev. magistro ordinis destinabitur.

Fr. Ioannes Thomas de Rocaberti magister ordinis.

Epistola omnino legenda in omnibus conventibus coram tota communitate bis annue, scilicet prima dominica adventus et prima hebdomada post octavas trinitatis, sub poena absolutionis ab officio priori vel superiori hoc negligenti.

Fr. Ioannes Thomas de Rocaberti, sacrae theologiae professor, ordinis praedicatorum humilis magister generalis et servus, omnibus nostrae curae subiectis salutem et obedientiae spiritum.

Semper non ab ipso tantum ordine, sed et a Romanis pontificibus ceu publica regularis instituti pestis habita fuit illa multorum praepostera

ambiendi ac sollicitandi ratio, qua per emendicatos personarum a nostro ordine extranearum favores, opem, intercessionem non verecundantur a superioribus ordinis promotionem, impunitatem, gratias extorquere, unde nil nisi iustitiae distributivae interitus, aequi regiminis enervatio, audaciae, ambitionis, insolentiae perpetuus fomes, bene meritorum iugis depressio totiusque religiosae oeconomiae ruina ac dissolutio redundare potest.

Hinc est, quod tantae perniciei non solum primi legum et constitutionum nostrarum conditores mox initio, sed et subsequutis inde seculis pleraque ferme generalia ordinis nostri capitula, demum et ipsi in terris Christi vicarii repetitis decretis, fulminatis censuris ac taxatis gravissimis poenis occurrere sategerunt.

Nec tamen, quod summo cordis nostri dolore referimus, tot ac tanta hactenus successerunt repagula, quin adhuc nonnulli curae nostrae subiecti sacrarum legum contemptores, poenarumque et censurarum inibi contentarum vel suimet potius obliti, malum hoc atrocissimum reducere studeant ac fovere, procurantes non minus importunas quam quotidianas utriusque sexus personarum extra ordinem nostrum preces, instantias, interpositiones, ut his mediis tam alienis et illicitis assignationes factas vel faciendas intervertant, iustas correctiones effugiant, officia, administrationes, honores ac praelaturas tam a nobis quam ab aliis praelatis ordinis non tam obtineant, quam extundant.

Quod non sine universali patrum gemitu considerans nostrum generale capitulum Romae anno iubilaeo celebratum in actis suis confirmatione 8. § « Denique ne legis », salubriter constituit, ut in unum colligantur ac seorsim imprimantur ea, quae adversus hanc pestem vel a summis pontificibus vel a capitulis generalibus aut magistris ordinis statuta reperiuntur, ut, iis simul omnibus unicuique religiosae communitati ob oculos positis et palam ac saepius inculcatis, singuli conscientiis suis consulant, omnisque praetextus ignorantiae, oblivionis aut cuiuscumque frivolae excusationis penitus auferatur.

Igitur ante omnia in memoriam reducimus atque universis et singulis utriusque sexus religiosis nostro regimini subiectis, cuiuscumque status, gradus aut conditionis fuerint, in conspectu ponimus textum sacrarum constitutionum nostrarum dist. 2. cap. 13. num. 9. litt. N., qui sic habet: « Si quis frater nostri ordinis per se vel per alium pro se vel pro alio ordinationem de se vel de alio factam, vel obedientiam sibi vel alii fratri iniunctam per quamcumque personam extra obedientiam nostri ordinis constitutam quocumque modo procuraverit revocari, vel in aliqua provincia aut conventu aut officio sive etiam in studio generali poni vel remanere vel inde amoveri, ipso facto ex vi praesentis statuti in poenam

incidat gravioris culpae, in qua vel a qua cum tali dispensari non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale, et omnibus gratiis ordinis sit privatus ». Quae constitutio inchoata in Montepessulano anno 1271 et confirmata apud Pestum 1273, ut esset ex fundamentalibus nostri instituti munimentis, ipsaque velut summe necessaria omnium pene sequentium capitulorum generalium curam ac diligentiam in ea corroboranda, declaranda novarumque poenarum adiectu communienda exercuit, ut Coloniae 1301 et 1428, Lugduni 1318, Cadurci 1319, Rothomagi 1320, in Montepessulano 1350, Virduni 1356 etc.

Porro censurae ac poenae, quas idem nostrum generale capitulum Romanum in ista materia innovando confirmavit, praecipue istae sunt:

Prima: Privatio, magistro ordinis reservata, vocis activae et passivae; item omnium gratiarum, beneficiorum et officiorum ordinis, graduum et bonorum ad usum concessorum.

Secunda: Perpetua inhabilitas ad huiusmodi seu recuperanda seu in posterum obtinenda.

Tertia: Inhibitio exequendi quamcumque functionem ecclesiasticam sive altaris sive pulpiti aut confessionalis.

Quarta: Publica nota seu titulus destructoris ordinis.

Quinta: Privatio suffragiorum ordinis tam in vita quam in morte.

Sexta: Excommunicatio latae sententiae, pluries a diversis tum priscis tum recentibus capitulis fulminata, iterata ac specialiter supremo ordinis tribunali reservata.

Septima: Denique maledictio omnipotentis Dei ac divae Virginis Mariae sanctique Dominici patris nostri in eos, qui animo pertinaci et indurato tales sententias et poenas non horruerint, destructoribus ordinis taxatas.

Ceterum ne qua in terris superesset tam excelsa auctoritas, quae huic corruptelae sanandae manum non apponeret, ipse apostolicus thronus non semel ad eam validioribus ac perpetuo duraturis remediis compescendam sese inclinavit.

In primis Gregorius XIII. constitutione, quae incipit « Nihil magis » data Romae apud sanctum Petrum die 1. iunii 1580 et acceptata in capitulo generali Romae 1589 universos ac singulos nostri ordinis religiosos contra decreta constitutionum his mediis, nempe conquisitis extranearum personarum favoribus aut suffragiis, sibi vel poenarum relaxationem vel gratiarum concessionem procurantes, ad similia et maiora quaevis in ordine perpetuo inhabiles declarat, nec per ullum nisi per ipsammet sedem apostolicam deinceps rehabilitari posse, statuit ac decernit.

Idem constitutione citata omnibus nostri ordinis praelatis in virtute sanctae obedientiae mandat, « ne ad instantiam et requisitionem quarumcumque personarum tam laicarum quam ecclesiasticarum, extra eundem

ordinem constitutarum, etiam cardinalatus honore ac quacumque seculari dignitate et excellentia, etiam ducali, regali et imperiali fulgentium, cuivis dicti ordinis religioso ullam gratiam concedere vel poenas aliquas remittere audeant seu praesumant ».

Hanc Gregorii XIII. constitutionem capitulum generale Romanum anno 1589 celebratum toto ordini insinuavit, addita insuper poena excommunicationis latae sententiae in eos, qui directe vel indirecte, per se vel per alium, pro se vel pro aliis eiusdem ordinis extranei favoris opem adhibuerint vel munera aliqua secularibus hac de causa promiserint aut exhibuerint.

Clemens deinde VIII. constitutione, quae incipit « Religiosos viros » data Romae apud sanctum Petrum die 25. maii 1592 tam istud capituli Romani decretum ac censuram, quam illam Gregorii constitutionem de integro ex plenitudine apostolicae auctoritatis confirmavit et perpetuae firmitatis adiecto robore communivit, utrumque ad quoslibet gradus, honores, dignitates, officia, administrationes, functiones ac praelaturas ordinis extendi declarans, insuper in virtute sanctae obedientiae et sub poenis in dicta Gregoriana constitutione contentis expresse prohibuit non tantum favoris secularium ad huiusmodi obtinenda procurationem, sed et sponte oblati acceptationem, neve hoc intuitu munera secularibus offerantur vel exhibeantur.

Ne vero transgressores his censuris ac poenis sive per facti negationem sive per alias processuum vel exceptionum ambages ac diverticula sese tam facile eximant aut subducant, idem pontifex subdit: « Statuentes, quod omnes et singuli in praemissis delinquentes, nulla alia monitione praecedente et absque processu desuper habendo, sententias et poenas praemissas irremissibiliter ipso facto incurrant; quodque ad illos sententias et poenas huiusmodi damnabiliter incurrisse legitime probandum et omnino convincendum solae praemissarum personarum instantiae, favores et preces, etiam oretenus porrectae, plenam, indubiam et sufficientem in iudicio et extra fidem faciant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur ».

Demum Paulus V. constitutione, quae incipit « Admonemur » edita Romae apud sanctum Petrum die 7. ianuarii 1608 motu proprio et ex certa scientia dictas tum Gregorii tum Clementis litteras singulaque in iis contenta denuo approbavit ac perpetui valoris robore firmavit; quod Pauli V. decretum eodem anno publicis actis capituli generalis Romani insertum fuit. Exinde capitulum Ulyssiponense 1618 admonitione 2. et Mediolanense 1622 admonitione 4. omnia et singula supradicta universis nostri ordinis fratribus accurate perpendenda suarumque conscientiarum securitati prospiciendum sollicite commonuit.

Quod et factum in ultimo Valentino confirmatione 8. et in allegato Romano confirmatione itidem 8., ubi cum § « Rogamus autem » serio nos ipsi admoneamur, ut pro nostra parte omnem huius apostolicae constitutionis rigorem exacte servare, aliosque nobis subordinatos superiores ad eiusdem observantiam iusta severitate compellere velimus, ideo nos tenore praesentium sub iisdem poenis ac censuris indispensabiliter ipso facto et absque nova declaratione incurrendis, nec non de plano et absque forma iudicii exequendis, post hanc unicam et ultimam pro trina canonica monitione ex superabundanti praemissam, universis ac singulis fratribus nostrae curae subiectis tam capitibus quam membris ista omnia districte in posterum observanda praecipimus.

Quia vero easdem respective rationes constat militare in monialibus nostrae curae subiectis, ideo easdem inhibitiones seu constitutiones cum iisdem suis praeceptis, censuris ac poenis respective ad omnes et singulas nobis subditas moniales, cuiuscumque sint conditionis aut status, extendimus et extensas esse decernimus ac declaramus. Item omnibus et singulis adm. rr. pp. provincialibus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus, ut contra delinquentes omni humano respectu seposito sine dilatione aut conniventia procedant, eosque in poenas ac censuras praefatas incidisse iuxta citatam Clementis VIII. dispositionem ac formulam declarent.

Et quia hoc delictum in illorum numero censetur, quae solent esse difficillimae probationis, declaramus ac volumus, quod ad inquirendum et procedendum contra huiusmodi transgressores et ad eosdem in effectu puniendos sufficiant ea indicia, quae pro similibus criminibus sufficiunt, et talia esse, graviores patres consulti iudicaverint.

Demum sub eodem formali praecepto mandamus singulis nostrorum conventuum ac locorum superioribus, ut haec omnia bis quotannis coram tota sua religiosa communitate publice ac integre praelegi faciant illis hebdomadibus, quas dictum capitulum generale Romanum in actis confirmatione 8. § « Denique ne legis » constituit ac designavit.

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti amen. In fidem his nostro sigillo munitis propria manu subscripsimus. Romae in conventu nostro s. Mariae super Minervam. Die 17. aprilis 1672.

Fr. Ioannes Thomas de Rocaberti magister ordinis.

Reg. f. 20.

In nomine domini nostri Iesu Christi et beatae Virginis Mariae matris eius et beati patris nostri Dominici. Amen.

# ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM IN FESTO SS. PENTECOSTES DIE V. IUNII ANNI DOMINI MDCLXXVII.

Sub reverendissimo p. fr. Antonio de Monroy (1), in eodem capitulo canonice electo magistro generali, diffinientibus pariter adm. rev. prioribus provinciarum atque earum diffinitoribus, videlicet:

admodum rev. p. fr. Vincentio de Bariac magistro prov. Tholosano,
admodum rev. p. fr. Ludovico Floriot magistro provinciali Franciae,
admodum rev. p. fr. Angelo Clemena mag. prov. utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. fr. Michaele Rubinotti magistro provinciali Romano,
admodum rev. p. fr. Vincentio de Magistris magistro provinciali Regni,
admodum rev. p. fr. Matthia Trukmiler magistro provinciali Teutoniae,
admodum rev. p. fr. Leonardo Hansen magistro provinciali Angliae,
admodum rev. p. fr. Martino Borovio magistro provinciali Poloniae,
admodum rev. p. fr. Henrico de Guzman mag. prov. Terrae Sanctae,
admodum rev. p. fr. Severo Thoma Auther magistro prov. Aragoniae,
admodum rev. p. fr. Antonino Myssenio magistro prov. Bohemiae,
admodum rev. p. fr. Ioanne Thoma Serri magistro prov. Provinciae,
admodum rev. p. fr. Laurentio de Trau magistro prov. Dalmatiae,
admodum rev. p. fr. Basilio Bonaiuto magistro provinciali Trinacriae,
admodum rev. p. fr. Georgio de Castro magistro prov. Portugalliae,
admodum rev. p. fr. Ioanne de Castello magistro provinciali Bethicae,
admodum rev. p. fr. Thoma Aloysio Francavilla mag. prov. Apuliae,
admodum rev. p. fr. Hyacintho Rossetti magistro prov. Calabriae,
adm. rev. p. fr. Laurentio Muñoz mag. prov. s. Antonini de Novo Regno,
admodum rev. p. fr. Thoma Maucler mag. provinciali Occitaniae,
admodum rev. p. fr. Petro Lobo magistro provinciali de Oaxaca,
admodum rev. p. fr. Iuliano Invitiato magistro prov. s. Petri Martyris,
adm. rev. p. fr. Seraphino Seraphini mag. prov. s. Catharinae de Senis,
admodum rev. p. fr. Francisco Guillori magistro provinciali Parisiensi,

---

(1) De fr. Antonio de Monroy cf. SSOP. II, 688.

admodum rev. p. fr. Raymundo Gallecki magistro prov. Lithuaniae,
admodum rev. p. fr. Francisco Penon (1) magistro prov. s. Ludovici.
Diffinitoribus vero:
admodum rev. p. fr. Antonio Mendo mag. diffinitore Hispaniae,
admodum rev. p. fr. Ioanne Baptista Maderan (2) mag. dif. Tholosano,
admodum rev. p. fr. Laurentio Vallier magistro diffinitore Franciae,
admodum rev. p. fr. Thoma Masza (3) mag. dif. utriusque Lombardiae,
adm. rev. p. fr. Seraphino Bertolinio (4) magistro diffinitore Romano,
admodum rev. p. fr. Ignatio Genutio magistro diffinitore Regni,
admodum rev. p. fr. Ioanne Gesnero (5) mag. diffinitore Teutoniae,
admodum rev. p. fr. Guinando Winans mag. diffinitore Angliae,
admodum rev. p. fr. Thoma Schmit mag. diffinitore Poloniae,
admodum rev. p. fr. Dominico Alegre mag. diffinitore Aragoniae,
admodum rev. p. fr. Alberto Mussick mag. diffinitore Bohemiae,
admodum rev. p. fr. Antonino Fort mag. diffinitore Provinciae,
admodum rev. p. fr. Felice Possedaria mag. diffinitore Dalmatiae,
admodum rev. p. fr. Mattheo Fatio (6) mag. diffinitore Trinacriae,
admodum rev. p. fr. Ignatio de Corta mag. diffinitore Portugalliae,
admodum rev. p. fr. Ludovico de la Vella mag. diffinitore Bethicae,
admodum rev. p. fr. Martino Harney (7) mag. dif. Germaniae inferioris,
admodum rev. p. fr. Augustino de Suriano mag. diffinitore Calabriae,
adm. rev. p. fr. Francisco de Sylva praesentato dif. s. Crucis Indiarum,
admodum rev. p. fr. Augustino Davila mag. diffinitore Peruano,
admodum rev. p. fr. Ioanne Suarez mag. dif. s. Vincentii de Chiapa,
admodum rev. p. fr. Antonino Cloche (8) mag. diffinitore Occitaniae,
adm. rev. p. fr. Francisco Landi praed. gen. dif. s. Dominici Venetiarum,
admodum rev. p. fr. Iuliano Garcia magistro diffinitore de Oaxaca,
admodum rev. p. fr. Thoma Luvioni mag. dif. s. Petri Martyris,
adm. rev. p. fr. Petro Martyre de Assaro mag. dif. s. Catherinae Senensis,
admodum rev. p. fr. Hyacintho Klonski mag. diffinitore Russiae,
adm. rev. p. fr. Paulo Landri mag. diffinitore Parisiensi,
adm. rev. p. fr. Michaele Woynilowicz mag. diffinitore Lithuaniae,
adm. rev. p. fr. Andrea del Castillo praesentato diffinitore Canariarum,

(1) De fr. Francisco Penon cf. l. c. pag. 748.
(2) De fr. Ioanne Baptista Maderan cf. l. c. pag. 774.
(3) De fr. Thoma Mazza cf. l. c. pag. 718, 827.
(4) De fr. Seraphino Bertolinio cf. l. c. pag. 619.
(5) De fr. Ioanne Gesnero cf. l. c. pag. 621.
(6) De fr. Matthaeo Fatio cf. l. c. pag. 734.
(7) De fr. Martino Harney cf. l. c. pag. 765.
(8) De fr. Antonino Cloche cf. l. c. pag. 706.

adm. rev. p. fr. Iosepho Salgado mag. diffinitore s. Michaelis Archangeli et ss. Angelorum,
adm. rev. p. fr. Daniele Antonino Mousset mag. dif. s. Ludovici.

Universis et singulis totius ordinis praedicatorum religiosis
fr. Antonius de Monroy, sacrae theologiae professor
eiusdemque ordinis humilis magister generalis et servus,
salutem et pristinum regularis observantiae rigorem.

En a longinquis vocatus, dilectissimi, iussit divina providentia humeros impares excelso magistri ordinis oneri et honori supponere, et quantumvis non dubitem, proportionata auxilia muneri benignissime elargiri, attamen ex altera parte non mediocriter me terret, si speculator, cum sim in religionis specula constitutus, si custos vineae domini positus, illam non custodiam, non insonem prompte buccina, dum pericula adsunt.

Igitur, filii, ex alto clamito, levate signum, augete custodiam, levate custodes, praeparate insidias, hostis est in ianuis; sed quomodo inimicus praeforibus inquietis? Nonne gentium doctor carnem adversus spiritum concupiscere et spiritum adversus carnem, scribens ad Galatas asserit? (1). Numquid spiritu nos ambulare praecipit, ut desideria carnis non perficiamus? Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt. Nonne, inquam, debitores nos esse carni et sanguini, et qui filii carnis, hos filios dei non esse, diserte indigitat? Eheu quot sunt, qui, postquam in professione crucifixerunt carnem cum concupiscentiis suis, bonorum suorum propositorum obliti, dereliquerunt vias rectas et diverterunt in viam pravam, qui posita manu ad aratrum maluerunt respicere retro, quam per perfectionis semitam, per regulae et sacrarum nostrarum constitutionum saluberrimam observantiam perfectae perseverantiae sulcos producere; quot denique, dicam, sunt, qui nomine non omine pauperum Christi gloriantur, rem ipsam angue peius odeant, an non hoc est inimicum insidiari, hostem propriis adesse?

Merito ergo exalto ut tuba vocem meam; charissima animae meae pignora, iam tandem tempus est, nos de somno surgere; surgite, qui dormitis. Has paucas statutorum pagellas inspicite, respicite, quae generalis capituli diffinitorium una nobiscum concepit et vobis observanda proposuit. Hisce etenim mysticum in spirituali animae vestrae vinea suave torcular extruxit, dum alias sub gravibus interminationibus praeceptam singulis meditationem divinam longe dulciorem reddidit, et sic

(1) V, 17.

in ea magis inardescentes consideratione vestra tanquam torculari exprimeretis aestimabilem illum et desideratissimum bonorum operum lucrum et succum. Hisce ultra ordinaria ab adversantium insidiis vineae nostrae munimenta sepem circumdedit, dum scilicet ad pristinum ordini decorem restituendum vitam apostolicam sanctissimi patriarchae nostri Dominici et primaevorum religionis nostrae patrum conversationis vestrae normam voluit, ordinando nempe, ut huius vitae et terrenarum rerum sollicitudine perfecte deposita, soli Deo litaretis solumque caelestibus inhiaretis, videlicet ut in ea ex communi viventes, nullus vestrum suum aliquid diceret, quid in hac ratione vere sepem circumdedit a praetereuntium hostium huius mundi plus munientem. Si enim haec paucula persancte solveritis, longe erit a vobis praecipua religiosae vitae columina convellere et temerare.

Eia igitur, nullus sit, qui hanc nostram admonitionem non magni aestimet, haec ordinata serio considerando ad effectum deducat, hoc medio daemonis artes eludat, mundi generose spernat illecebras et domesticum hostem aggrediatur, conculcet et vincat. Nullus denique inveniatur, qui precibus suis anxias nostras curas et iuges pro salute vestra vigilias non conetur sublevare. Interim prosperrimi valete!

Acta capituli generalis Romae in conventu s. Mariae super Minervam celebrati in festo Pentecostes die 5. iunii anno 1677 sub rev. p. fr. Antonio de Monroy, sacrae theologiae professore, magistro generali eiusdem ordinis in dicto capitulo electo.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, nec non beatae Mariae semper virginis, beati patris nostri Dominici omniumque sanctorum.

**Denuntiationes.**

1. Denuntiamus, post assumptionem illustrissimi ac reverendissimi domini domini fr. Ioannis Thomae de Rocaberti, praeteriti magistri generalis ordinis, ad insignem archiepiscopatum Valentinum emanasse breve ss. d. n. Innocentii papae XI. illi directo, quo prorogavit tandem illustrissimum dominum in officio generalatus usque ad electionem novi magistri ordinis, ut apparet in brevi sequentis tenoris:

Dilecto filio Ioanni Thomae de Rocaberti, magistro generali ordinis praedicatorum.

Innocentius papa XI.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. Religionis zelus, litterarum scientia, vita ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fide digno commendaris te-

stimonio, nos inducunt, ut te specialibus favoribus et gratiis prosequamur. Cum itaque nos te, qui magister generalis ordinis praedicatorum existis, propter egregia tua merita metropolitanae ecclesiae Valentinae, pastoris solatio destitutae, in archiepiscopum et pastorem propediem benedicente domino praeficere intendamus, et sicut accepimus, tu eidem ordini summa fide, prudentia atque integritate hactenus praefueris, hinc est, quod nos felici prosperoque ordinis regimini et gubernio interim, donec tuus in generalatu ordinis huiusmodi successor in proxime futuro ipsius ordinis capitulo generali eligatur, quantum nobis ex alto conceditur, providere cupientes ac de spectata tua fide, probitate, charitate, doctrina, vigilantia, sapientia ac religionis zelo plenam habentes in domino fiduciam, teque a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure et ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine tibi, ut, licet memoratae ecclesiae Valentinae in archiepiscopum et pastorem a nobis praeficiaris ac possessionem seu quasi possessionem regiminis et administrationis ipsius ecclesiae illiusque mensae archiepiscopalis bonorum adipiscaris et munus consecrationis suscipias, nihilominus officium generalatus praedicti ordinis cum omnibus et singulis facultatibus, auctoritate, iurisdictione, praeeminentiis, praerogativis, gratiis et indultis ac honoribus et oneribus solitis et consuetis, ut prius, usque ad electionem novi magistri generalis ordinis huiusmodi in tuum locum, sicut praemittitur, faciendam retinere, illudque interea gerere et exercere libere, licite et valide possis et valeas, tenore praesentium concedimus et indulgemus; mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae ac sub indignationis nostrae aliisque arbitrii nostri poenis omnibus et singulis praefati ordinis superioribus, fratribus et personis caeterisque, ad quos spectat et spectabit in futurum, ut te in praefato generalatus officio eiusque libero exercitio iuxta earumdem tenorem praesentium continuare et perseverare sinant et faciant, tibique respective faveant et assistant ac tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus auctore domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Decernentes ipsas litteras praesentes firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac tibi in omnibus et per omnia plenissime suffragari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos causarum

palatii apostolici auditores iudicari et diffiniri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 6. februarii anno 1677, pontificatus nostri anno primo.

I. G. Slusius.

2. Denuntiamus, die 5. iunii currentis anni in vigilia Pentecostes, divina afflante gratia, fuisse rite et canonice electum in magistrum generalem totius ordinis rev. p. magistrum fr. Antonium de Monroy, diffinitorem provinciae s. Iacobi de Mexico, sicque feliciter electum die sequenti publica et solemni totius capituli processione ss. d. n. Innocentio XI. oblatum atque ab eodem perbenigne ac piis suae apostolicae benedictionis auspiciis fuisse exceptum.

3. Denuntiamus, die 4. iunii currentis anni transmissas fuisse aliquas ordinationes ab eminentissimo et reverendissimo domino cardinali de Alteriis, nostro protectore, quae approbata fuerunt a ss. domino nostro, et earum tenor est sequens:

Ordinationes et statuta facienda in capitulo generali ordinis praedicatorum, antequam deveniatur ad electionem magistri ordinis, et ab ipso magistro statim electo iuramento promittenda coram capitulo electorum, priusquam in ecclesiam ad recipiendam obedientiam descendat; idemque a successoribus in futuris electionibus praestandum.

1. Statuendum est, quod observentur constitutiones apostolicae ac illae religionis super celebratione capituli generalis quolibet triennio, non autem ultra absque licentia summi pontificis; quodque in fine cuiuslibet capituli generalis statuatur tempus et locus cuiuslibet capituli futuri.

2. Est statuendum, quod generalis teneatur personaliter et per seipsum peragrari universam Europam ac visitare religionem eiusque conventus, ita ut id sequatur de omnibus conventibus vel maiori eorum parte, non autem de magis conspicuis tantum vel in locis transitus. Quodque id agat cum ea maiori modestia et parsimonia, quam religiosa humilitas exigit tam circa numerum sociorum aliorumque comitum et familiarium, ut non excedatur numerus sex vel octo, quam circa victum

aliasque expensas, ne conventus nimium graventur; ideoque omnes expensae non possint excedere scuta quatuor quolibet die; quodque mora sit brevis, adeo ut in parvis vel mediocribus conventibus sufficiat illa unius vel duorum dierum, vel in magnis quatuor, nisi ex aliqua iusta causa, quae concernat visitationem et correctionem eiusdem conventus et non alias, ei videatur necessarium moram aliquam habere longiorem; super quo eius conscientia graviter onerata sit; neque super hac obligatione capitulum generale visitandi dispensare valeat absque apostolica auctoritate.

3. Quod circa gradus magisterii debeat servare constitutionem omnino Bonifacii IX., quae incipit: « Dilectos filios » sub data Romae apud s. Petrum 5. kal. maii, pontificatus sui anno 13., impressam inter constitutiones ordinis dist. 2. cap. 18.; neque illi derogari valeat.

Et 4. quod non possit alterare praesentia statuta vel alias constitutiones vel acta et decreta capitularia; quodque acta et decreta capitularia debeant subscribi ab eminentissimo protectore et a tribus qualificatis religiosis a capitulo generali deputandis, atque alias non possunt imprimi vel publicari, nullamque faciant fidem vel robur habeant.

Ordinationes et statuta facienda in capitulo generali ordinis praedicatorum post sequutam electionem generalis:

Eligantur quatuor vel sex religiosi ex doctioribus et provectioribus magisque informatis, quibus committatur cura revidendi constitutiones earumque glossas et adnotationes, ac referendi capitulo generali, quaenam exigant correctionem vel emendationem sive declarationem ac aliam provisionem in omnibus his, quae concernant statum et conditionem religionis, commodum ac observantiam et disciplinam regularem. Atque desuper a capitulo statuatur, ad formam constitutionum tamen, ut in posterum omnes tollantur occasiones quaestionum et dubitationum et praesertim circa institutionem et remotionem superiorum et similium; et ubicumque in glossis constitutionum citantur litterae pontificiae aut decreta congregationum, vel alia similia auctoritatis, ad authenticos codices et posteriores derogationes, si quae sint, recurratur, et cum his corrigantur et ad litteram recitentur; et haec omnia fiant a praedictis religiosis, eminentissimo protectore consulto et approbante.

Et suprascripta omnia serventur in posterum semper, ac constitutiones imprimendae sint cum aliqua mutatione sive in ipsis sive in glossis.

Unde pro hoc effectu destinamus rev. patrem magistrum procuratorem ordinis, adm. rev. patres magistros fr. Vincentium Fontana et fr. Raymundum Mailat, electores Hispaniae et Bethicae, et rev. p. baccalaureum fr. Andream Trono, quibus curam committimus revidendi constitutiones earumque glossas et adnotationes, ut supra.

4. Denuntiamus, intimatum fuisse huic diffinitorio capituli generalis decretum s. congregationis super statu regularium tenoris ut sequitur:

Sacra congregatio super statu regularium etc. mandavit intimari diffinitoribus capituli generalis, in conventu s. Mariae super Minervam congregatis, ut una cum magistro generali ordinis deliberent et inveniant modum introducendi cum effectu in conventibus totius ordinis vitam communem ad praescriptum regulae et decretorum sacri concilii Tridentini ac s. mem. Clementis papae VIII.; iussitque, ut interea minime expediantur licentiae recipiendi in dicto ordine novitios ad habitum et professionem, nisi in conventibus observantiae et in quibus eadem vita communis exacte observetur. Datum Romae die 3. iunii 1677.

Card. Carpineus.

Locus † sigilli.

P. Fagnanus secr.

Pro huius decreti inviolabili observantia admonemus omnes et singulos patres et fratres, cuiuscumque sint status, gradus et conditionis, meminerint religiosum in statu damnationis esse et poenis proprietariis debitis puniendum, qui omnia, etiam quae de licentia sui praelati expressa habet, non est ex animo paratus ad pedes sui superioris ponere. Praecipimus proinde omnibus adm. rev. patribus provincialibus, ut totis viribus conentur in suis conventibus perfectam communitatem, ubi introducta est, fovere et manutenere; ubi vero introducta non est, cum omni efficacia introducere, ita ut in nullo conventu permittant ulli patri aut fratri, cuiuscumque sit dignitatis aut praeeminentiae, depositum habere, nisi iuxta ordinationes et statuta nostrorum capitulorum generalium, praesertim Romae 1601, conf. 3., item Romae 1608, Vallisoleti 1605 et Parisiis 1611, in quibus statutum fuit, ut omnes pecuniae, undequaque acceptae, praelato praesententur spatio 24 horarum.

Renovamus insuper quatuor conditiones observandas in deposito: Prima, quod depositum uniuscuiusque sit in quantitate moderata iuxta personae qualitatem, et deposita excessiva et improportionata statui paupertatis, quam professi sumus, infra mensem ab harum intimatione vel ecclesiae vel sacristiae vel conventui originario applicentur. Quod si non fuerint infra dictum tempus applicata, a superioribus cum aliis conventus bonis et pecuniis commisceantur et confundantur, Romae 1601. Secunda, quod depositum sit ad usum determinatum, superioribus insinuandum, ibidem. Tertia, quod depositum sit ad breve tempus, attenta deponentis

indigentia et necessitate. Et quarta, quod deposita particularia fratrum serventur in communi deposito conventus.

Hortamur patres priores, ut singulis annis, praesertim in principio sui regiminis cogant suos subditos quoscumque sub poenis opportunis exhibere in scriptis, non quidem sigillatis, sed apertis, statum suum circa omnia, quae ad usum tenent; et adm. rev. patres provinciales in suis visitationibus diligenter inquirant, an in hac parte a prioribus sit satisfactum, et negligentes castigent.

Mandamus omnibus adm. rr. patribus provincialibus, ut in suis visitationibus non negligant omnium patrum et fratrum in particulari cellas visitare, in quibus si quid superflui invenerint tam in supellectilibus, quam picturis, quod statui paupertatis adversatur, omnia tollant et sacristiae, ecclesiae vel conventui in communem usum applicent, imo in hoc dictorum patrum provincialium conscientias aggravamus.

Revocamus et revocatas declaramus omnes quascumque licentias datas de pecuniis apud se retinendis vel expendendis, de largiendis muneribus, de successione in cameris vel mobilibus pro primo loco vacaturis, quippe has nulli volumus suffragari.

Praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae, nec non sub formali praecepto omnibus et singulis patribus depositariis seu curam depositorum habentibus, ne saecularibus audeant pecunias in communi deposito repositas revelare.

## De novitiis recipiendis.

1. Renovamus et confirmamus ordinationes plurium capitulorum generalium Romae 1608 scilicet, Parisiis 1611 et rursus Romae 1612, quod novitii, etiam post emissam professionem, maneant sub eodem rigore in domo novitiorum et sub cura magistri usque ad sacerdotium; imo si contingat aliquem iam sacerdotem ad ordinem recipi, nihilominus ante quatuor annos completos post emissam professionem extra novitiatum non ponatur, sed ibi sub cura magistri remaneat, a quo de spectantibus ad ordinem instruatur, ut fuit ordinatum Romae 1656.

2. Nulli novitiorum permittatur, nisi urgente gravissima necessitate, breve dispensationis super aetate determinata a concilio Tridentino in ordine ad sacerdotium procurare; quod si aliquis id praesumpserit sine expressa sui provincialis licentia, ipso facto sit inhabilis et incapax ad sacerdotium per triennium.

3. In illis conventibus, in quibus loca distincta sunt pro novitiis simplicibus et professis, hi non minus clausi sub cura magistri et eius disciplina permaneant; non loquantur cum patribus aut fratribus conversis, associati incedant per conventum et ex conventu nonnisi omnes

simul et cum magistro ad campos eant, prout stabilivit in sua constitutione Clemens VIII.

4. In magistros non eligantur nisi patres graves, prudentes, zelum religiosae observantiae habentes, prout ordinatum fuit in capitulo Valentino 1647; mandamusque ordinationem illam inviolabiliter observari non quoad substantiam tantum, sed etiam quoad eius apices et conditiones.

Atque ut eorumdem labores praemio non careant, concedimus magistris novitiorum simplicium, qui per sexennium continuatum laudabiliter et fructuose id munus exercuerunt, sint ab hebdomadaria facienda exempti, et patres a consiliis in conventibus, ubi cum dictis conditionibus officium obierunt; si vero per integrum duodennium fuerint in ministerio hoc continui, ultra supradicta eisdem vocem in provincialibus capitulis damus tamquam provinciae patribus; quod si contingat aliquem baccalaureum in theologia vel magistrum titularem ad officium magistri novitiorum eligi, idque munus per sexennium exercuisse, declaramus, sexennio expleto in capitulis provincialibus vocem in electione provincialis ipsis competere. Unde expresse aliis ordinationibus et statutis aliorum capitulorum generalium, maxime Valentini anno 1647, quatenus huic nostrae determinationi contrariantur, derogamus.

5. In Christi Iesu visceribus exoramus hortamurque patres graves, prudentes, observantes et zelosos, etiam magistros vel qui priores aut provinciales fuerunt, aptos videlicet ad munus magistri novitiorum obeundum, ut pro communi religionis et suae provinciae bono, quod permaxime in exacta novitiorum educatione consistit, simile onus non detrectent, imo sponte sese offerant; qui vero demandatum hoc sibi officium recusaverit, per triennium ad prioratum vel munus confessarii monialium inhabilis ipso facto existat; et hoc a patribus provincialibus indispensabiliter volumus et praecipimus observari.

### Declarationes.

1. Declaramus, quod si celebrato in provincia capitulo provinciali, in quo electus fuerat diffinitor et socius pro proximo capitulo generali, contigerit magistrum ordinis mori vel ab officio amoveri, provinciam, si voluerit et tempus suppetat, eligere posse novum diffinitorem et electorem, ad id vero minime teneri; provinciales tamen in hoc nihil possunt determinare per seipsos, sed statuatur de consilio graviorum magistrorum provinciae per pluritatem votorum, an facienda sit nova electio vel anterior retinenda.

2. Declaramus, non esse in potestate cuiuscumque nostrae provinciae conferre vocem activam alicui suorum religiosorum, qui non fuerit magister provinciae vel exercuerit officium magistri novitiorum iuxta conditiones supra appositas.

3. Declaramus, nomine magnorum conventuum eos intelligendos esse, in quibus sunt lectores philosophiae et theologiae cum studentibus, vel novitiatus provinciae cum novitiis.

4. Insistentes textui nostrarum constitutionum, necnon plurium capitulorum generalium decretis et ordinationibus, et specialiter declarationi capituli generalis Romae 1656 num. 12. de sequela chori, declaramus, omnes et singulos nostri ordinis fratres ac patres, cuiuscumque sint gradus aut dignitatis, nullatenus eximi aut dispensari a sequela chori, nisi actualiter officium lecturae aut praedicaturae generalis exerceant; circa quos nihilominus legitime provinciarum aut congregationum consuetudines observentur. Peculiarem vero rationem volumus haberi circa dumtaxat magistros illos a suis provinciis acceptatos, qui fructuose occupantur in conscribendis libris, habendis ad populum concionibus et in assidua sacramenti poenitentiae administratione; hos tamen hortamur, ut iuxta praefati capituli declarationem citatam sui status et professionis memores, ultro dum possunt, satagant choro divinisque laudibus assistere, nec unquam ab eo se omnimode exemptos putent. Quam ordinationem et declarationem de obligatione uniuscuiusque ad chorum in ordine nostro omnino observari volumus, mandantes prioribus, ut eam adamussim observari faciant. Quod si in hoc negligentes fuerint, a provincialibus in poenam ab officio suspendantur ad tempus iisdem provincialibus pro sua prudentia benevisum.

5. Declaramus, petitiones provinciarum pro graduandis, quae ob legitima impedimenta non potuerunt capitulum provinciale celebrare, acceptandas esse, dummodo factae fuerint de consilio discretorum patrum provinciae commissumque fuisse rev. patri generali, cuius conscientiam in hoc aggravamus, ut pro zelo et prudentia sua iuxta tenorem nostrarum constitutionum et statutorum apostolicorum promoveat ad gradus tantum illos, in quibus cum vitae integritate noverit scientias caeterasque qualitates et merita necessaria coniuncta, dummodo actualiter loca vacantia sint, et habeant petitionem provinciae.

6. Ad tollendas omnes fraudes et dissentiones in electionibus priorum declaramus, quod, qui non potest eligi prior, non potest postulari, et si fiant huiusmodi postulationes, nullas esse volumus et mandamus.

7. Ut omnibus innotescat specialis muneris diffinitoris capituli generalis praerogativa, declaramus et statuimus, ut in posterum ad locum vacantem magisterii in omnibus respective provinciis occupandum, vel vacaturum subintrandum ille praeferatur caeteris, si dumtaxat adsint merita et alia requisita, qui in aliquo generali capitulo diffinitorem egit.

### Confirmationes.

1. Confirmamus omnia et singula, quae in ultimo generali capitulo ordinata et statuta fuerunt, auferentes nihilominus pro securitate conscientiarum omnia et singula praecepta formalia ac censuras in iis contenta, uti etiam interminationem divini iudicii ac privationem bonorum operum ea die, qua aliquis orationem mentalem intermitteret. Mandamus tamen omnibus conventuum praelatis sub poena suspensionis a suis officiis ad arbitrium rev. patris generalis, ut omnia in dicto generali capitulo, et vel maxime circa orationem mentalem ordinata et statuta inviolabiliter faciant in suis respectivis conventibus observari; atque ut ad orationem mentalem, quae religionis praecipuum fomentum est, religiosos excitemus, annectimus huic nostrae confirmationi tenorem indulgentiarum a ss. d. n. Clemente papa X. in favorem orationis mentalis concessarum, ut sequitur (1).

2. Confirmamus lectionem sacrae scripturae in omnibus et singulis studiis generalibus nostrarum provinciarum; et ubi ea ad effectum deducta non est, volumus eam sine dilatione executioni mandari. Provinciales vero de idoneis lectoribus provideant ac de tempore et convenienti hora disponant compellantque omnes theologiae studentes, ut lectionem illam sacrae scripturae continuo frequentent eique sedulo incumbant.

3. Ad coercendos crebrosos vagosque fratrum discursus, ex quibus gravissima ordinis damna et apud saeculares scandala oriuntur, innovamus et confirmamus capituli generalis Bononiae 1410 ordinationem 6. et Argentinae 1417 ordinationem 5. huius tenoris (2).

### Ordinationes.

1. Ne sanctorum nostrorum memoria oblivione tandem deleatur, ordinamus, ut in omnibus urbium alicuius nominis, ubi est frequentia populorum, conventibus in die festi ipsorum, praecipue sanctae Rosae virginis et b. Pii V., fiat de eis concio vel saltem in dominica praecedente; et in omnibus his diebus in ecclesia fiat solemnitas specialis, quae populorum devotionem vel augeat vel saltem nutriat et foveat erga sanctos ordinis nostri.

2. Statuimus et ordinamus, ut more laudabili omnium sacerdotum saecularium fratres in toto ordine inclinent caput reverenter ad illa verba: « Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto » sive in officio b. Mariae Virginis, quando recitatur in dormitorio, sive cum fratres recitant privatim officium divinum, ut solet fieri, quando pronuntiatur nomen domini nostri Iesu vel b. Mariae Virginis vel b. Dominici patris nostri.

---

(1) Cf. supra pag. 50 l. 18 sqq.
(2) Cf. supra pag. 18 l. 26-36.

3. Ordinamus et mandamus praedicatoribus ordinariis nostrarum ecclesiarum, ut primis dominicis cuiuslibet mensis concionem habeant de rosario, vel totam vel saltem ex parte, ad hoc ut haec devotio magis ac magis ferveat; et ab adm. rev. patribus provincialibus nominentur et deputentur aliqui ex devotioribus patribus, qui promoveant ex officio hanc devotionem ordini nostro adeo praecipuam et utilitati publicae adeo proficuam.

4. Ordinamus, ne ullus sit conventus vel vicariatus, in quo non observetur clausura religiosa seu monastica, ita ut personae alterius sexus nequeant conventum vel vicariatum sine infractione clausurae religiosae et incursu apostolicarum censurarum ingredi sub excommunicationis ipso facto incurrendae poena; etiam sub auctoritate capituli nostri generalis prohibentes, ne quisquam, cuiuscumque conditionis existat, huiusmodi ingressum intra clausuram conventus vel vicariatus alicui personae feminei sexus permittat. Declaramus autem sub clausura comprehendi etiam ea loca seu cameras, quae, etsi extra commune dormitorium existant, inhabitantur nihilominus ab aliquo vel aliquibus religiosis, vel usibus ipsorum inserviunt.

5. Renovamus, secluso praecepto formali, ordinationem 18. capituli Romae 1629 et mandamus, ut postulationes graduandorum solum fiant in ipso capitulo provinciali ab adm. rev. patre provinciali una cum diffinitoribus et patribus magistris seu patribus provinciae in ipso diffinitorio simul congregatis; quod si extra ab eis disiunctim et privatim clàm huiusmodi petitiones fiant, sint omnino irritae et nullae.

6. Ut uniformitas, quam in observantiis canonicae religionis iubemur tenere, etiam in exteriori forma seu habitu se prodat, ordinamus et mandamus omnibus et singulis tam provinciarum quam congregationum religiosis, ut tam in rasura quam habitu et in omnibus uniformes sint; praecipientes provincialibus, vicariis congregationum ac omnium conventuum respective prioribus sub poena suspensionis ab officio, quatenus tam excessum quam defectus, qui apud plures reperitur in vestibus, et praesertim in caputiis, ad eam mediocritatem et formam reducant, quam capitula generalia sub rev. fr. Ioanne Baptista de Marinis Romae 1650 et 1656 celebrata praescripserunt sub hoc verborum tenore (1). Quam ordinationem maxime necessariam iterum, omni qua possumus firmitate, corroboramus et sub iisdem poenis innovamus.

7. Ordinamus similiter, ut uniformitas in celebratione missarum et caeremoniis ecclesiasticis servetur, et ut religiosi rubricis novi missalis se conforment, ac nemo sine caputio et calceamentis celebrare praesumat.

---

(1) Cf. supra pag. 47 l. 7-27.

8. Quoad alia, quae concernunt chorum, refectorium, augmentum studiorum, observentur ea, quae circa illa in nostris constitutionibus et in praecedentibus capitulis generalibus statuta sunt.

9. Item in memoriam revocamus et renovamus id, quod alias saepius in praeteritis capitulis generalibus fuit expresse ordinatum, et nos in praesentiarum denuo districte iniungimus et praecipimus, nempe praedicatores generales residere in conventibus, pro quibus titulo praedicaturae generalis sunt insigniti, ibique officio praedicationis ac praesertim promotioni sanctissimi rosarii, omni qua par est devotione ac zelo, insistere teneantur. Quod si in conventu sui tituli praedicta exequi renuerint, nedum voce in capitulo provinciali, verum etiam in ingressu in consilium patrum conventus ipso facto sint privati nullisque privilegiis praedicatorum generalium gaudeant; idque indispensabiliter volumus observari; de cuius executione conscientias provincialium aggravamus.

10. Mandamus omnibus et singulis adm. rev. patribus provincialibus, vicariis, prioribus aliisque praelatis sub poena privationis ab officio, reliquis vero patribus ac fratribus sub poena gravis culpae, ut inviolabiliter observent et observari faciant omnia et singula in his capituli generalis actis contenta.

## Admonitiones.

1. Cum ex vi propriae ad regularem statum vocationis unusquisque ordinis nostri religiosus teneatur pro viribus adniti, ut secundum regulam et constitutiones, quas profitemur, vivat, prout singuli in praeactae professionis formula Deo diserte promisimus, admonemus et, quantum in domino possumus, hortamur, quatenus universi patres ac fratres nostrae curae subiecti propriae obligationis memores exactiorem amplectantur observantiam; ad cuius feliciorem effectum omnibus et singulis religionis nostrae praesidentibus districte praecipimus, quod supremi magistri attendentes methodum, qui prius cepit facere quam docere, non solum verbo, sed proprio exemplo in provinciis seu conventibus sibi commissis regularem observantiam omni conatu promoveant. Quod cum sit eisdem per generalia capitula saepius impositum et sub poena absolutionis ab officio demandatum, praesertim Bononiae 1410 ord. 4., Salmaticae 1551 ord. 1. et Valentiae 1596 commissione 2., praefata saluberrima decreta sub eadem poena confirmamus et, quatenus opus est, ex integro renovamus.

2. Cum maxime ad salutem populorum conducat sanctae missionis exercitium, mandamus omnibus et singulis provinciarum praesidentibus, ut de consilio discretorum aliqui patres tum zelo et religione, tum doctrina et dono praedicationis praestantes seligantur et deputentur pro missionibus, non tamen exire possint a suis provinciis, nisi ultra li-

centiam ordinis habeant consensum et approbationem illustrissimi et reverendissimi domini episcopi cuiuslibet dioecesis, in qua ad huiusmodi opus mittuntur. Qui ad tale ministerium apostoli cum fuerint assumpti, solum Dei gloriam et animarum salutem prae oculis habentes, spreto omni temporali lucro, per civitates et castella contra saeculi vitia praedicantes ac Dei verbum ex animo evangelizantes non immerito praedicatorum nomen sibi vindicare videantur.

3. Admonemus et districte iniungimus adm. rev. patribus provincialibus et vicariis, quod notitias ac testimonia religiosae vitae ac pietatis patrum, fratrum et sororum suarum provinciarum vel congregationum, qui vel quae insistendo vestigiis s. p. n. Dominici cum fama sanctitatis seu integritatis eximiae feliciter in domino decesserunt, undequaque colligere diligenter satagant sicque collecta rev. magistro ordinis transmittant, quatenus inceptum diarium dominicanum compleri ac perfici curet et satagat.

4. Et quia illustrissimus et rev. dominus abbas Michael Iustinianus ex suo speciali in ordinem nostrum affectu glorioso pro religione nostra actualiter incumbit labore, opus honorificum conficiendo, quod pro dignitate materiae titulo bibliothecae dominicanae insignitur, omnes provinciales et vicarios totius ordinis nostri monemus et harum serie obligamus, ut in actuali visitatione suarum provinciarum et congregationum diligenter conquirant omnes et singulos auctores nostri ordinis eorumque vitas et praecipue illos, qui concilio Tridentino interfuerunt, eorumque libros sive typis editos sive manuscriptos adnotando; insuper tam auctoris titulum, quam materiam libri, tempus et locum cum toto frontispicio libri et inscriptione; manuscripta vero, cuius sint et in quo loco serventur, exacte explicando; sicque notata atque in ordinem digesta quamprimum Romam transmittere procurent ad rev. magistrum ordinis.

5. In memoriam revocamus aequissimam summeque necessariam admonitionem 4. capituli Romae 1644, qua omnibus et singulis prioribus conventuumque praesidentibus efficaciter inculcatur sedula, attenta et diligens cura infirmorum sub his verbis, merito hic repetendis et innovandis (1).

6. Admonemus serio, ut capituli generalis Valentini 1647 ordinatio 4. circa trinum examen de triennio in triennium confessorum, alias non graduatorum, maxime in conventibus, ubi viget studium sacrae theologiae, exacte et rigorose observetur. Concedimus tamen adm. rev. patribus provincialibus, quod ex iusta causa vel urgenti necessitate de consilio patrum in aliquo ex principalioribus eiusdem provinciae conventibus, ubi

(1) Cf. supra pag. 66 l. 19-41.

viget studium sacrae theologiae, approbanda cum aliquo vel aliquibus dispensare possint super secundum et tertium tantum examen; hoc tamen de facili non permittatur.

**Commissiones.**

1. Committimus rev. patri magistro ordinis, ut a sanctissimo procuret expeditionem causarum martyrum Iapponensium aliorumque nostri ordinis, qui cum nota sanctitatis obierunt, quorum processus iam fuerunt congregationi sacrorum rituum remissi.

2. Cum bullae summorum pontificum ad ordinem spectantes iam maximo labore collectae sint et non mediocrem utilitatem afferant tot ordini, si typis vulgarentur, committimus reverendissimo, ut quam primum commode fieri poterit, eas imprimi curet.

3. Committimus adm. rev. patribus magistris Iacobo Ricci (1), secretario Indicis, fr. Raymundo Mailat et fr. Antonino Cloche, ut denuo missalia et breviaria ordinis corrigant et ab erroribus, qui vel vitio typographi vel aliorum irrepserint, expurgent.

4. Item committimus rev. magistro ordinis, cum bullae sanctissimi rosarii satis mendose et dimidiate impressae inveniantur, quod easdem ad originalia correctas, rursus integre imprimi faciat.

5. Committimus eidem, ut a sanctissimo indultum petat, quo presbyteri saeculares ordinis nostri tertiarii possint sanctorum ordinis nostri officia suis diebus recitare et recitando penso divino satisfacere, prout aliorum ordinum tertiarii a sancta sede impetraverunt.

6. Committimus eidem, ut magis magisque augeatur devotio fidelium erga angelicum nostrum doctorem s. Thomam Aquinatem, ut procuret extensionem confraternitatis cinguli s. Thomae erectae quondam in conventu nostro Lovaniensi cum annexis indulgentiis pro toto ordine.

7. Quoniam multos illustrium scriptorum ordinis codices manuscriptos delitescere novimus, qui, si in lucem edantur, futurum est, ut ei maximus honor accrescat, plurimos etiam impressos vel tempore consumptos deperiisse vel ad alienas manus devenisse in diesque devenire et aliorum fetus supposititios fieri, ut tanto religionis decori consulamus tantoque malo occurramus, adm. rev. p. mag. fr. Nicolaum Arnu (2) in collegio s. Thomae de Urbe regentem, a rev. p. fr. Ioanne Thoma de Rocaberti, olim generali ordinis magistro, nunc vero archiepiscopo Valentino, procuratorem pro imprimendis huiusmodi codicibus sive impressis sive manuscriptis institutum, acceptamus et confirmamus et, in quantum opus est, de novo facimus et instituimus cum potestate substituendi

(1) De fr. Iacobo Ricci cf. SSOP. II, 762.
(2) De fr. Nicolao Arnu cf. l. c. pag. 703.

unum vel plures procuratores suos, prout expediens fuerit, et alia quaecumque agendi, quae ad huiusmodi negotium spectarint et necessaria fuerint, prout latius in dicto procurationis instrumento continetur. Insuper omnibus prioribus, vicariis ac principalibus praesidentibus conventuum ordinis nostri sub poena absolutionis ab officio mandamus, ut infra duos menses a notitia praesentium omnes huiusmodi codices manuscriptos in tuto loco reponant et sub clavibus custodiant de hisque praefatum procuratorem admoneant exprimendo auctorum nomina. Item sub eadem poena eis iniungimus, ut per se vel per alios a se deputandos vicinas exterorum bibliothecas invisant et sedulo exquirant, an huiusmodi codices manuscripti in eis extent aut reperiantur et de his simili modo praefatum procuratorem institutum certiorem reddant; iniungentes omnibus provincialibus aut vicariis provinciarum et congregationum, ut hanc ordinationem exacte observari curent.

8. Cum maxima corruptela et deformitas in ordine ex hoc praecipue oriatur, quod quilibet pro nutu et particulari genio constitutiones nostras interpretetur et plus velit sapere, quam oportet, ut huic malo opportunum adhibeamus remedium, committimus rev. patri magistro generali, ut, postquam correctae fuerint constitutiones, iubeat et textum et glossam seu declarationes imprimi, inhibeatque sub poenis sibi bene visis, ne ullus aliquid de caetero immutare aut interpretari aliter audeat, quam vel declarationes patiuntur, vel certe communis praecipuarum provinciarum usus docet; et si qui fuerint, qui zelo indiscreto ducti contrarium quidpiam moliantur, efficaciter reprimat, supplicetque sanctissimo, si opus fuerit, ut dignetur hac in parte, ordine inconsulto, nihil statuere.

Decor etiam nostri ordinis in uniformitate non solum animorum, habitus et morum, sed et in nomine consistit. Quapropter strictissime prohibemus, ne aliquis vel aliqui hoc nomine strictioris observantiae vel reformatorum in conversatione aut subscriptione literarum aut quavis occasione utantur; et hoc vel in aliorum contemptum vel ut singulares habeantur et ab aliis diversi, cum ad manutenendam conservandamque unitatem nostri ordinis emanavit breve Alexandri VII. fel. rec. sub die 16. decembris 1658 tenoris sequentis (1).

Aboleantur ergo huiusmodi strictioris observantiae et reformatorum nomina, quae ad scissuram nostri ordinis et ad destruendam eius unitatem insensibiliter tendunt; et committimus rev. patri magistro generali, ut consimiles novitatum inventores ad aliorum exemplum severissime puniat.

9. Committimus adm. rev. pp. magistris fr. Paulino Bernardini, fr. Seraphino Bertolinio, fr. Antonino Cloche et fr. Iosepho Salgado, ut

(1) Cf. supra pag. 8 l. 4 - pag. 9 l. 24.

nomine totius ordinis agant apud suam sanctitatem, quatenus auctoritas, potestas et iurisdictio rev. patribus generalibus ordinis alias concessa etiam in moderno rev. nostro generali manuteneantur, cum ad hunc effectum a pleno diffinitorio per vota secreta fuerint electi.

## Concessiones.

1. Concedit rev. pater noster magister ordinis omnibus et singulis patribus ac fratribus suae curae subiectis, quod semel eligere possint aliquem patrem sacerdotem, in ordine ad audientiam confessionum expositum, cui suam plenariam delegat auctoritatem absolvendi fratres, sibi sacramentaliter confitentes, pro una vice tantum ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum evulgationem contractis, a quibus ipsemet rev. magister ordinis eos possit absolvere, si coram eodem confiterentur. Idem absolutionis beneficium ex eiusdem concessione monialibus conferre possint earum ordinarii confessarii.

2. Concedit idem rev. ordinis magister omnibus adm. rev. patribus provincialibus et diffinitoribus praesentis capituli generalis, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae ante celebrationem huius capituli generalis damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen sua humilitate, resipiscentia et rectae vitae exemplo huiusmodi favore se dignum ostenderit.

## Pro provincia Hispaniae.

1. Ad instantiam provinciae concedimus et committimus adm. rev. patri magistro provinciali eiusdem, ut in conventu nostro sanctissimae virginis de Rosario in curia Madritensi introducat cum effectu eum vivendi modum, quem principaliores dictae provinciae conventus actualiter observant, et in omnibus cum ipsis conformetur; praecipientes, ne ullus pro hoc conventu ad habitum ordinis recipiatur, sed in eo assignentur patres graduati, graves et docti, qui ad confessiones audiendas vel ad danda consilia magis censentur idonei.

2. Item concedimus monialibus nostris tertiae regulae, ut officium prioratus ipsarum etiam per triennium duret, uti de facto triennale est hoc officium apud moniales primae regulae.

3. Confirmamus in studium generale et litterariam nostri ordinis universitatem studium nostri conventus s. Ildephonsi Regalis Taurensis, quod ab illustrissimo et reverendissimo domino nunc archiepiscopo Valentino pro tali declaratum fuit, cum omnibus gratiis, privilegiis et praeeminentiis, quibus aliae universitates huius provinciae potiri solent et consueverunt.

## Pro provincia Tholosana.

1. Confirmamus et exacte observari volumus omnes ordinationes factas tum a rev. magistris generalibus praedefunctis tum a capitulis ge-

neralibus pro observantiae regularis manutentione in hac provincia, omnesque ad illam quomodolibet pertinentes, tam capita quam membra, in visceribus Iesu Christi hortamur, ut eidem observantiae serio incumbant iuxta textum seriemque nostrarum sacrarum constitutionum.

2. Admonemus adm. rev. patrem provincialem omnesque ac singulos conventuum priores seu praesidentes pro tempore et, quantum opus est, eisdem praecipimus, ut fratres sibi subditos ad eamdem observantiam sedulo excitent illosque verbo et exemplo instruant ac in spiritu lenitatis ac charitatis zelo ad illam eos omnino compellant.

3. Praecipimus adm. rev. patri fr. magistro Ioanni Baptistae Gonet (1) ut, quamprimum commode poterit, in lucem edat medullam theologiae ab ipso compositam, committimusque patri provinciali, ut revisores dicti operis deputet.

**Pro provincia Franciae.**

1. Confirmamus institutionem et erectionem conventus Gratianopolitani in studium generale et universitatem, sicque confirmatum declaramus cum omnibus gratiis, privilegiis et indultis, quibus huiusmodi studia generalia et universitates in ordine nostro de iure vel approbata consuetudine gaudere solent et consueverunt, dummodo in eo vigeat regularis observantia iuxta tenorem sacrarum constitutionum et capitulorum generalium ordinationes pro studiis generalibus praefixas.

2. Cum graduum multiplicitas in ordine in destructionem potius quam aedificationem regularis observantiae vergat, volumus omnino, ut nullus in posterum possit ad baccalaureatum nominari vel ad legendum sententias pro forma et gradu magistri exponi, multo minus ad magisterium promoveri, nisi fuerit a patre provinciali vel capitulo provinciali praesentatus; et si secus factum fuerit, tam nominationem quam expositionem aliter factam nullam et irritam declaramus.

3. Concedimus adm. rev. patri provinciali huius provinciae gravibus de causis, ut possit proximum capitulum provinciale, indictum in conventu Thuarcensi, transferre ad conventum Gratianopolitanum aut alium sibi bene visum et commodum.

4. Approbamus et admittimus magisteria adm. rev. patrum fr. Dominici Pescheur, fr. Petri Bergouin, fr. Laurentii Vallier, fr. Ioannis Lansii, fr. Alphonsi Videl, doctorum Parisiensium. Item fr. Vincentii Rathier, fr. Iacobi Baiou, fr. Iacobi Pré, fr. Raymundi Marston, Augustini Poiriè, fr. Petri Vache, fr. Iacobi Bernier, fr. Petri Brillouet, fr. Vincentii Disselin, fr. Ioannis Prudent, fr. Amati du Vernay, fr. Ludovici La Lande et

---

(1) De fr. Ioanne Baptista Gonet cf. SSOP. II, 692.

fr. Claudii Hardi aliorumque legitime promotorum, quorum magisteria in ultimo capitulo provinciali fuerunt admissa.

5. Approbamus affiliationem patris Mauritii Vincent pro conventu s. Ioannis de Angelis ab illustrissimo et rev. domino archiepiscopo Valentino concessam.

6. Renovamus ordinationem quondam factam in capitulo Valentino 1647 huius tenoris: «Praecipimus rev. patri magistro priori caeterisque magistris, patribus ac fratribus conventus Gratianopolitani, ut collegium humanarum litterarum philosophiae, quod hucusque feliciter rexerunt in praedicta civitate, ardentiori desiderio deinceps prosequantur, eisdem sub formali praecepto prohibemus, ne dictum collegium derelinquant, sed in procuranda gloria ordinis saeculariumque educatione invigilent diligenter. Quod ut fructuosius fiat, ordinamus, quod in bacchalaureorum promotione habeatur ratio eorum, caeteris paribus, qui in dicto collegio cursum suum perfecerunt, ita ut nullus filius dicti conventus ad gradum bacchalaureatus promoveatur, nisi prius cursum philosophicum ac per aliquot annos theologiam fructuose perlegerit ».

7. Denique mandamus patri magistro de Gorge, ut suas compositiones in lucem communem exponat, provideatque eidem pater provincialis de revisoribus talium lucubrationum.

**Pro provincia utriusque Lombardiae.**

1. Instituimus in prioratum vicariatum nostrum s. Ioseph Fontanellatae, qui debitum numerum religiosorum alere potest.

2. Ordinamus, ut nullus in posterum studens aut lector actualis mittatur ad celebrandas missas in ecclesiis nostrarum monialium, sed tantum sacerdotes, qui quadragesimum annum expleverint, praeterquam in exequiis defunctarum et in festis diebus ecclesiae earum.

3. Prohibemus, ne ullae moniales officiales, etiam priorissa, unquam, etiam festorum occasione, monasterii aliquid vel pecuniae vel cuiuscumque alterius rei, etiam cibariae, dent aut conventibus aut ullis particularibus religiosis, etiam confessariis et superioribus, de earum particularibus depositis seu rebus proprio usu concessis. Contrafacientes etiam praetextu licentiarum, quas dari prohibemus et irritamus, vitium proprietatis incurrant; intactas relinquentes alias restrictiones et prohibitiones, quae in simili materia donorum a quibuscumque superioribus essent factae.

4. Facultatem concedimus aedificandi in civitate Lauretana in provincia Lombardiae vicariatum, qui inservire possit pro hospitio religiosorum, illuc devotioni gratia confluentium, et expensis pro eius aedificio faciendis applicamus tertiam partem bonorum fratrum, qui in dicta provincia morientur usque ad dicti aedificii complementum; remittentes ca-

pitulo provinciali eiusdem provinciae alia determinandi, quae ad dictum vicariatum perficiendum necessaria sunt.

5. Damus facultatem rev. patri magistro generali renuntiandi collegium Alarsii in Liguria, si ei bene visum fuerit et iudicaverit expedire.

6. Ne numerus magistrorum et graduatorum oneri sit huic provinciae, numerum eorumdem taxamus ad triginta, ut ii subintrent dumtaxat, qui post debitas lecturas officium regentis inceperint vel bacchalaurei munus expleverint, aut denique qui, licet habiles et approbati, non potuerint alterutrum exercere ob munus inquisitoris haereticae pravitatis, nisi adsit privilegium, quod huic taxationi et designationi numeri obesse possit. Et committimus patri provinciali, ut coram sanctissimo agat, ne in posterum numerus praefatus magistrorum augeatur. Interim acceptati a provincia vel auctoritate apostolica instituti vel promoti gaudeant iuribus et praerogativis magistrorum provinciae, serveturque ius studii generalis conventus Bononiensis, quod omnino intactum esse volumus.

7. Ordinamus, ut confessarii monialium post duos expletos annos ad minus per biennium immediatum ab hoc munere cessent.

8. Item quando pater provincialis recipiendos ad habitum ob distantiam non potest examinare, volumus, ut ad id peragendum idoneos et graves patres deputet, qui recipiendos iuxta ea, quae in nostris constitutionibus praescripta sunt, interrogent et examinent, salvis tamen iuribus conventuum et patrum a consiliis.

9. Studentes aliarum provinciarum, postquam fuerint pro habilitate ad legendum examinati, ipso facto pro licentiatis a provincia habeantur et sine mora ad propria reverti compellantur.

10. Declaramus, nullum sacerdotem in ordine nostro habere facultatem absolvendi in sacramento poenitentiae nec fratres nec moniales ordini nostro subiectas, nisi habuerit expressam licentiam a superioribus ordinis nostri aut a summo pontifice vel sacra congregatione cardinalium secundum tempus tantum, quod taxatum fuerit in talibus licentiis, et non ultra, etiam si talis licentia petita pro una aut pluribus vicibus et obtenta non fuerit. Declarantes nullas quascumque absolutiones, quae ultra praedictas licentias dari possent.

11. Renovamus, quod saepe alias inculcatum est, ne priores aliorum conventuum audeant detinere fratres alibi assignatos; contrarium facientes a patre provinciali puniantur; nec possint detineri a prioribus plus quam duos dies.

12. Satis indecorum est, religiosos ordinis nostri alienas artes a fine nostro publice profiteri; unde districte prohibemus, ne quis audeat publice in nostra vel in aliorum ecclesiis musicam canere.

13. Approbamus et acceptamus magisterium p. fr. Seraphini Scotti cum voce etc.; confirmamusque patentes regentatus eidem concessas ab illustrissimo archiepiscopo Valentino pro primo loco vacaturo in studio nostro generali Bononiensi.

14. Concedimus licentiam, ut in deputatis conventibus a Clemente VIII. et sacra congregatione pro novitiis vestiendis, nempe conventibus Faventino, Cremonensi, Brixiano et Boschensi, recipiantur et induantur, servatis servandis.

15. Confirmamus affiliationem p. fr. Iordanis a Bisuntio ad conventum Ariminensem.

16. Renovamus ordinationem capituli Valentini circa matutinas dicendas in hac provincia hortamurque patrem provincialem, ut illam faciat infallibiliter observari.

17. Actualis lectio biblica habeatur in studio Bononiensi et in conventibus Papiensi, Cremonensi, Faventino, Neapolitano, Mediolanensi, Brixiensi primo, Veronensi et in utroque Ianuensi; in reliquis instituatur lector sacrae scripturae, qui in ecclesia post vesperas diebus festivis sacram exponat scripturam populo et casum conscientiae resolvat.

18. Ad instantiam eminentissimi et rev. domini cardinalis Ludovisii erga religionem nostram nostrumque sanctissimum patrem apprime affecti conceditur et ordinatur, ut cellula, in qua obiit s. patriarcha Dominicus, in claustro existens, ad ecclesiam deferatur clariori loco locanda, cum ad hoc opus perficiendum absque gravamine istius conventus devotorum piae eleemosynae non sint defuturae.

### Pro provincia Romana.

1. Committimus rev. patri magistro generali, ut causam beatificationis et canonizationis venerabilis matris Catharinae de Ricciis ordinis nostri promovere omni studio dignetur, cum ad hunc effectum iam literae remissoriales a sacra congregatione sint obtentae super non cultu; unde etiam confirmamus in procuratorem adm. rev. p. magistrum fr. Paulinum Bernardini et, quantum opus est, de novo instituimus.

2. Cum experientia constet, ob deficientiam novitiorum in conventibus graviter praeiudicari Dei servitio in ecclesiis, regulari observantiae et conservationi conventuum, ultro consentimus, ut, servatis servandis, in conventibus illis, qui alias designati fuerunt, novitii recipiantur et induantur.

3. Cum vocalium numerus in hac provincia supra modum excreverit, et alias ex sociorum priorum electione ad provinciale capitulum euntium non raro dissensiones oriantur, permittimus, ut provincia supplicet sanctissimum pro electione hac sociorum priorum ad provinciale capitulum, prout in aliis provinciis fieri consuevit, omittenda et in posterum prohibenda.

4. Instituimus in regentem generalis studii Perusini pro loco primo vacaturo adm. rev. p. magistrum fr. Thomam Bandinelli, munere baccalaurei ordinarii ad praesens fungentem.

5. Damus in bacchalaureum eiusdem studii generalis ordinarium, cum vacaverit locus, adm. rev. p. lectorem fr. Ioannem Dominicum Dalli, servatis de iure servandis, qui iam ab aliquot annis magisterium studentium cum non ordinario fructu exercuit.

6. Deinde in eodem studio generali instituimus magistrum studentium eum, cui ratione antiquitatis professionis et diuturnioris lecturae de iure competere potest, servatis servandis.

7. Confirmamus affiliationem p. lectoris fr. Ioannis Caccini a conventu s. Dominici de Fesulis ad conventum s. Mariae de Florentia, auctoritate rev. patris generalis, nunc archiepiscopi Valentini, factam.

**Pro provincia Regni.**

1. Committimus rev. patri generali, ut enixe supplicet sanctissimo, quatenus dignetur confirmare erectionem congregationis s. Mariae Sanitatis de Neapoli in provinciam iuxta ordinatum et dispositum in capitulo generali antecedenti anno 1670, idque ut pax concilietur inter provinciam Regni et dictam congregationem, maxime cum eadem congregatio habeat duodecim conventus et duo monasteria.

2. Committimus rev. patri, ut in sua visitatione congregationem s. Marci de Cavotis ad quatuor maiores conventus restringat, in quibus exactior regularis disciplina observetur, cum id in conventibus minoribus actualiter non fiat et difficile fieri possit, ordinetque, ut dicta congregatio a communibus contributionibus provinciae exempta non sit.

3. Damus in regentem studii generalis s. Dominici de Neapoli pro primo loco vacaturo rev. p. mag. fr. Ignatium de Balneolo.

4. Confirmamus litteras patentes rev. p. bacchalaurei fr. Vincentii Scotti pro bacchalaureatu ordinario, et rev. p. bacchalaurei fr. Alberti Plantamura pro magistro studentium iam dicti conventus.

5. Cum processus beatificationis et canonizationis venerabilis servi Dei Aloysii de Aquino, auctoritate ordinaria firmatus, praesentatus sit in sacra rituum congregatione, committimus rev. patri generali, ut pro expeditione et sollicitatione huius causae apud sanctissimum agat.

6. Confirmamus in procuratorem causarum tam dicti Aloysii quam ven. p. fr. Andreae de s. Severino adm. rev. p. mag. fr. Dominicum Mariam Marchesium (1), alias ad has et similes causas in provincia Regni institutum.

---

(1) De fr. Dominico Maria Marchesio cf. SSOP. II, 730.

7. Confirmamus omnes et singulas ordinationes ab illustrissimo et reverendissimo domino archiepiscopo Valentino factas, sicut et ea, quae a consilio patrum conventus s. Dominici de Neapoli pro nova fabrica stabilita fuere sub die 18. iulii 1672, eaque inviolabiliter observari mandamus.

8. Acceptamus et approbamus magisterium adm. rev. p. fr. Thomae Mariae Capelli, huius nostri capituli generalis secretarii, ad quem gradum rite ab illustrissimo et rev. archiepiscopo Valentino sub die 24. maii anni elapsi 1676 fuit promotus et a sua provincia acceptatus post publicum et solitum examen in generali studio eiusdem.

## Pro provincia Teutoniae.

1. Cum vicariatus Medlinganus in Suevia pro educatione novitiorum specialiter deputatus sufficientia media habeat ad duodecim fratres alendos et de facto pluribus annis ultra octodecim substentarit, eundem in prioratum erigimus, committimusque patri provinciali, ut vel primum priorem instituat vel patribus vocalibus ibi degentibus permittat, ut ipsi caput et pastorem eligant, prout in visitatione magis in domino expedire iudicaverit.

2. Permittimus provinciae et patribus provincialibus pro tempore, ut in domo quadam cum suis pertinentiis sitis in civitate Soproniensi in Ungaria liberaliter ab illustrissima domina comitissa ab Erdödia ordini donata, residentia religiosa formari possit, ut successu temporis crescentibus bonis possit in conventum erigi.

3. Ad omnem dubietatem tollendam in hac provincia ordinamus, ut diffinitores capituli provincialis eligantur iuxta constitutiones pridie electionis provincialis. Ordinamus praeterea, ut scrutatoribus tribus vocum in capitulo generali superaddatur quartus nationis Germaniae, prout expresse determinatur in formulario constitutionis Bandelli.

4. Item confirmamus literas patentes a rev. patre generali fr. Ioanne Baptista de Marinis s. m. concessas ad instantiam illustrissimi d. comitis de Windthag, insignis ordinis nostri benefactoris die 9. iulii 1667, nimirum quod conventus Viennensis possit acceptare copiosissimam eius bibliothecam destinatam in usum publicum iuxta conditiones ibidem positas et mentem dicti illustrissimi domini comitis; item ut provincialis et prior Viennensis possint esse executores testamenti, ac demum ut possit erigi ac stabiliri monasterium monialium ordinis nostri sub eiusdem ordinis iurisdictione Windthagii.

## Pro provincia Angliae.

1. Acceptamus et incorporamus ordini nostro cum omnibus iuribus et pertinentiis modo spectantibus et posthac spectaturis conventum ss. Ioannis et Pauli de Urbe, ex munificentia eminentissimi et rev. domini

cardinalis Iacobi Rospigliosii donatum, et generositate eminentissimi et rev. domini cardinalis Philippi Thomae Howardi de Norfolcia, ex ordine nostro assumpto, largiter dotandum, declarantes eundem conventum pleno iure ad provinciam Angliae pertinere et ordinariae auctoritati vicarii generalis eius provinciae subesse.

2. Ut assidue in vinea domini laborantibus non desit praemium, et aequa sit manubiarum portio, descendentium cum heterodoxis ad praelium ac remanentium ad sarcinas, committimus reverendissimo, ut iuxta provinciae ac vicarii generalis petitiones promeritos quosque secundum antiquum florentissimae provinciae morem sibi convenientibus respective gradibus honoret digneturque desolatae omni solaminis adminiculo, quantum possibile est, provenire.

### Pro provincia Poloniae.

1. Acceptamus sub ordinis cura locum Dzikoviensem cum miraculosa imagine beatissimae Virginis, fundatum et dotatum ab illustrissimo domino Ioanne comite in Tarnow, particularissimo nostro benefactore.

2. Approbamus et acceptamus magisteria adm. rev. patrum fr. Martini Borovii, moderni huius provinciae provincialis, fr. Thomae Schmith, prioris Cracoviensis et huius capituli generalis diffinitoris, et fr. Vincentii Szaszkiewicz pro locis actu vacantibus, ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino collata, sicut et praesentaturam rev. p. fr. Iusti Slowikovski, cuius etiam institutionem in ordinarium baccalaureum studii generalis Cracoviensis pro loco mox vacaturo, cum expiret tempus rev. p. lectoris fr. Casimiri Lezynski, confirmamus et acceptamus.

3. Declaramus per rev. patrem magistrum ordinis in hoc capitulo generali rite promotos ad gradum baccalaureatus pro locis actu vacantibus rev. patres lectores fr. Casimirum Lezynscki, fr. Sebastianum Loziecki, fr. Franciscum Czarnckovium et fr. Antoninum Korczewski.

### Pro provincia Aragoniae.

1. Confirmamus ordinationes quondam pro bono regimine conventus nostri s. Ildephonsi factas a rev. patre magistro generali fr. Ioanne Baptista de Marinis piae mem., cumque in eodem regularis observantia floreat et sit locus aptus ad studia, erigimus dictum conventum in litterariam nostri ordinis universitatem cum omnibus gratiis et privilegiis, solitis consimilibus in ordine universitatibus concedi.

2. Item cum habeat requisita vicariatus villae de Magalon, erigimus eundem in prioratum.

3. Ordinamus, ut praedicatores generales in suis conventibus commorentur, quorum sunt praedicatores, nisi in aliquo deforis officio occupentur; si secus, constringantur, ad praedicaturae generalis renuntiationem.

4. In posterum in capitulis generalibus quoad conclusiones defendendas ordinamus, ut hic servetur ordo, nempe: In capitulo generali proxime celebrando conclusiones defendens sit ex regno Cataloniae, in sequenti ex regno Aragoniae et in tertio ex regno Valentiae, et sic deinceps; hac tamen conditione, quod si regnum aliquod quacumque ex causa non miserit conclusionarium tempore statuto, non possit postea mittere in sequenti capitulo, nisi quando rursus per turnum ad eius redierit vices.

5. Confirmamus insuper statuta collegii nostri s. Vincentii civitatis Caesaraugustanae.

6. Committimus rev. patri generali, ut expeditionem causae beatificationis et canonizationis venerabilis sororis Martinae de Angelis et Arilla, fundatricis monasterii villae de Benavarre procuret, cuius processus fuerunt remissi sacrae rituum congregationi, auctoritate ordinaria formati.

## Pro provincia Bohemiae.

1. Approbamus et acceptamus magisterium pro rata studii adm. rev. p. fr. Alberti Mussyck, studii nostri generalis Pragensis regentis, eidem cum laurea collatum ab illustrissimo et rev. domino nunc archiepiscopo Valentino.

2. Acceptamus erectionem novi conventus cum omnibus gratiis et privilegiis ex munificentia illustrissimae dominae Susannae Catharinae baronissae de Zastryz, servatis dumtaxat servandis, et ex nunc pro tunc provinciae nostrae Bohemiae incorporamus.

3. Declaramus, in hoc generali capitulo provinciae Bohemiae concessa fuisse octo loca magistrorum in provincia, octo praesentatorum et praedicatorum generalium duodecim, hac lege et conditione, ut sex scilicet magisteria solummodo titulo scholae occupari possint, duo autem reliqua titulo praedicationis ab eximiis praedicatoribus, qui longa annorum serie post habitam praedicaturam generalem in praeclarissimis civitatibus aut ex famosissimis pulpitis verbum Dei annuntiarunt.

4. Confirmamus, expirato currente quadriennio, ad novum denuo quadriennium regentatum primarium in studio generali nostro Pragensi praefato adm. rev. p. magistrum fr. Albertum Mussyck, ut hac ratione paulatim provincia pristino restituatur vigori.

## Pro provincia Provinciae.

1. Committimus rev. patri generali, ut in sua visitatione circa numerum magistrorum et baccalaureorum disponat, prout quieti et paci huius provinciae maxime iudicaverit expedire, et in numerum doctorum tunc determinandum statuat nullum intraturum baccalaureum, nisi actus suos scholasticos in generali nostro studio Aquensi perfecerit.

2. Ceterum volumus, ut doctores et magistri omnes nunc existentes sive de numero sive extra numerum loco, voce et omnibus privilegiis et praerogativis gaudeant, quae magistris rite promotis debentur.

3. Ordinamus, ne in posterum affiliationes concedantur cum dispensatione super assensu filiorum conventus ad quem, cum ex huiusmodi concessionibus non raro lites et contentiones oriantur, et concessae in dicta provincia ad terminos constitutionum et capitulorum generalium reducantur.

4. Renovamus ordinationes toties repetitas et, quantum opus est, de novo statuimus, ne ulli vel ullus nostrae curae subiecti audeant ad tribunalia saecularia recursum habere sub poenis alias stabilitis et insuper rev. patris generalis arbitrio infligendis.

5. Deinde conformiter ad nostras constitutiones concedimus huic provinciae Provinciae privilegium nominandi et acceptandi gradus promovendorum, ita ut altero horum deficiente promotio nulla sit et irrita, nisi specialis rev. patris consensus vel voluntas accedat, qua contrarium decernatur.

6. Approbamus et acceptamns magisterium rev. p. fr. Caroli Bouquin in praeterito generali capitulo alias acceptati et approbati et errore typographi in actis omissi.

7. Denique specialiter pro hac provincia confirmamus declarationes, ordinationes et concessiones factas in praecedenti capitulo generali.

**Pro provincia Dalmatiae.**

1. Ut electio provincialis rursus tempore debito celebrari possit, prorogamus tempus adm. rev. p. mag. fr. Laurentii de Trau, moderni provincialis, usque ad sabatum ante dominicam « Deus qui errantibus » anni 1677, idque sub titulo vicarii generalis; volumus tamen, ne isto medio tempore, stante nova electione, aliquae mutationes fratrum fiant in conventibus.

2. Ad quoscumque defectus tollendos ordinamus, ut priores ad suffragium ferendum in provincialis electione non admittantur, nisi secum deferant et ostendant attestationes subscriptas a fratribus sui conventus, quod maxima anni parte sex religiosos aluerint.

3. Committimus patri provinciali, ut conventus de praedicatoribus provideat, qui idonei sint et approbati, ut in absentia praedicatorum generalium aliqui inveniantur, qui devotionem sacratissimi rosarii promovere sint capaces, ut id ab ignaris cum religionis dedecore non praestetur.

4. Confirmamus patentes concessas ab illustrissimo et rev. archiepiscopo Valentino translationis affiliationis a conventu suo originali ad conventum Spalatensem in favorem p. fr. Xisti Polovinei.

5. Declaramus nullam affiliationem rev. p. mag. fr. Iosephi Raphaelis de Cattaro ad conventum s. Dominici de Sebenico.

## Pro provincia Trinacriae.

1. Committimus reverendissimo, ut iuxta suum zelum et prudentiam provideat huic nostrae provinciae de capite sub nomine vicarii generalis, cum triennium provincialis expirarit et regulanda sit electio proxima iuxta consuetum ordinis dominica « Deus qui errantibus » anni sequentis.

2. Renovamus et confirmamus omnia et singula in antecedenti capitulo generali stabilita pro bono huius provinciae regimine, atque in primis denuntiationes concernentes insulam Melitensem, deinde circa conditiones requisitas in graduandis gradu baccalaureatus ordinarii et magisterii.

3. Ordinamus, ut secundum antiquum huius provinciae morem regentes et baccalaurei ordinarii praelegant discipulis suis summam angelici nostri praeceptoris; lector moralis vero, qui nonnisi tribus diebus in hebdomada legere solebat, adiungat alios tres et lectorem tunc biblicum agat.

4. Reponimus inter novitiatus provinciae conventum s. Zitae Panormi, quondam ab Alexandro VII. inter conventus pro novitiatibus deputatum, non obstantibus quibuscumque.

5. Committimus p. provinciali vel vicario generali pro tempore, ut iuxta decretum sacrae congregationis Urbani VIII., Clementis VIII. et Innocentii X. studeat numerum fratrum conventus nostri s. Dominici de Panormo regulare, cum huius conventus redditus non sunt ferendo tanto religiosorum numero, et alias maximis debitis sit gravatus. Volumus proinde, ut ultra triduum ibidem hospites non permaneant, et quod, si necessitas illorum diuturniorem moram exegerit, si sunt sacerdotes, cum missa solvant quotidie tres carlinos, si non sunt sacerdotes, quinque carlinos pro expensis persolvant.

6. Committimus reverendissimo, ut suo tempore provideat studiis generalibus de moderatoribus, prout magis in domino iudicaverit expedire.

## Pro provincia Portugalliae.

1. Committimus reverendissimo, ut apud sanctissimum debita instantia procuret beatificationem solemnem venerabilis archiepiscopi Bracarensis, Bartholomaei de Martyribus, et sororis Ioannae, serenissimi Portugalliae regis Alphonsi V. filiae ordinis nostri.

2. Concedimus ad populi augendam devotionem, ut officium de s. Ildephonso, quod solebat die 23. ianuarii celebrari, deinceps 24. eiusdem mensis celebretur; officia de s. Laureano die 5. iulii; de protectione b. Mariae die 14. novembris; de s. Geraldo die 11. decembris; de nomine denique b. V. Mariae die 16. septembris post haec celebrentur, cum proprii dies istis festivitatibus determinati sint impediti.

3. Iuxta concessionem alias, nunc ab illustrissimo et rev. archiepiscopo Valentino emanatam quoad celebrationem et solemnitatem festivi-

tatis sanctorum martyrum Ulyssiponensium, Virissimi, Maximi et Iuliae, declaramus, solemnitatem in ordine nostro opportune proportionandam cum illa, qua matrix ecclesia actualiter sanctorum illorum memoriam quotannis veneratur.

4. Confirmamus et inviolabiliter observari praecipimus ordinationem in pluribus provincialibus capitulis saepius repetitam, scilicet, quod in singulis provinciae academiis habeantur quotannis sex publicae conclusiones hoc modo: mense octobris et februarii duae artium; mensibus novembris et aprilis duae theologiae a lectore vespertino; mensibus maii et ianuarii aliae duae a lectore primario; declarantes, defectuosos in hoc ipso facto ad graduum praetensionem existere inhabiles. Similiter, si illi, qui ad cathedram provinciae promoti vel mutati principaliter illam regalis collegii d. Thomae Conimbricensis et eam non acceptaverint vel recusaverint, ad omnes gradus incapaces pronuntiamus volumusque, ne amplius ad scholastica officia admittantur.

5. Confirmamus laudabile statutum, alias in capitulis provincialibus repetitum, ne ulli lectoratus artium conferantur nisi per oppositionem in publico generali concursu, id est per quinque iudices ad hoc designatos, nempe regentem et lectorem primarium conventus s. Dominici Ulyssiponensis, item tres alios magistros in theologia de voce et loco designandos ab adm. rev. patre provinciali, praestito prius iuramento solemni de praeferendis dignioribus.

## Pro provincia Bethicae.

1. Confirmamus omnes gratias et favores concessos ab illustrissimo et rev. archiepiscopo Valentino conventibus regalibus s. Pauli Cordubensis et s. Pauli Hispalensis, nempe ut ibidem lectio sacrae paginae, quae valet lectoribus pro gradu et forma, commutetur in lectionem theologiae moralis; id ipsum concedimus regali conventui s. Catharinae martyris Giennensis, cum hic conventus sit ex antiquioribus provinciae in constitutionibus nostris pro studio generali designatus, tum etiam quia per specialem bullam Urbani VIII. eidem concessa fuerunt privilegia amplissima universitatis; nolumus praeterea, quod in hoc conventu lector assumatur, qui non sit filius conventus.

2. Damus in lectorem primarium s. theologiae pro primo loco vacaturo in conventu s. Crucis Granatensis rev. praes. fr. Petrum de Salazar.

3. Ut in dies in cordibus fidelium devotio erga s. patrem nostrum Dominicum augeatur, ordinamus, quod per octavam ss. Rosarii antiphona « Salve regina » cantetur, et fiat commemoratio eiusdem ss. patriarchae.

4. Acceptamus designationem loci vacantis magisterii ob mortem adm. rev. p. fr. Dominici de los Reyes, magistri numeralis, factam ab adm. rev. patre provinciali dictae provinciae in favorem adm. rev. p. fr.

Ludovici de la Vella, huius capituli diffinitoris, alias instituti in magistrum pro primo loco vacaturo, eumque per talem designationem magistrum numeralem declaramus.

**Pro provincia Germaniae inferioris.**

1. Renovamus ordinationem capituli generalis Romae 1629 et omnino prohibemus, ne in hac provincia, ex diversis nationibus constante, quisquam in posterum nationum divisiones tentare audeat; qui secus fecerit, ipso facto utraque voce et quocumque gradu ac officio privatus sit et per adm. rev. patrem provincialem ita privatus declaretur.

2. Concedimus, ut provincialis huius provinciae pro secundo et tertio examine ad confessiones possit differre tempus ad annum, et ipsemet assumptis aliis idoneis examinatoribus pro secunda et tertia vice admittere etiam extra conventum studii, cum necessitas exegerit.

3. Declaramus, monasterium s. Catharinae nostrarum monialium Antverpiae fuisse alias legitime ordini nostro incorporatum et de novo, quantum opus est, incorporamus et acceptamus.

4. Confirmamus et acceptamus studia et novitiatus, prout in ultimo capitulo provinciali Vilvordensi distributa fuerunt.

5. Ordinationem circa patres a consilio factam, ne ad illud assumantur iuxta antiquitatem professionis, sed morum et iudicii maturitatem, declaramus et ordinamus, etiam ad sanctimoniales extendi deberi, ut nimirum non admittantur ad consilium praecise iuxta antiquitatem in ordine, sed praeferantur illae, quibus maior videbitur esse capacitas, v. g. quae in regimine suppriorissae vel magistrae novitiarum probatae fuerunt.

6. Concedimus, ut ordini nostro et huic provinciae incorporetur monasterium oppidi Chastellaneti in dioecesi Leodiensi, si consensus ordinarii accesserit et, suppositis supponendis, illud ordini nostro et huic provinciae ex nunc pro tunc incorporamus et acceptamus.

7. Ordinationem de lectoribus in studio generali Lovaniensi factam die 7. martii 1676 extendimus, ut etiam fieri possint per concursum.

8. Acceptamus et approbamus pro locis, quae actu vacabant, promotiones ad gradus, iuxta quod partim in duobus ultimis capitulis provincialibus publicatae, partim a patribus provinciae petitae fuerunt, scilicet adm. rev. patrum fr. Petri Mutinx pro natione Brabantica, fr. Hyacinthi Bonssemar pro natione Vallonica, fr. Antonini Orman pro eadem, fr. Martini Harney, in hoc capitulo generali diffinitoris, pro natione Brabantica, fr. Gregorii Remond pro Flandrica, fr. Angeli Hennotelle (1) pro Vallonica, fr. Francisci Iansens Elinga (2), in hoc capitulo electoris

(1) De fr. Angelo Hennotelle cf. SSOP. II, 675.
(2) De fr. Francisco Iansens Elinga cf. l. c. pag. 789.

pro Flandrica, fr. Dominici Branean pro Vallonica et fr. Guinandi Winans, in hoc capitulo generali diffinitoris pro provincia Angliae, pro primo loco vacaturo in natione Brabantica, iuxta quod rev. mag. ordinis fr. Ioannes Thomas de Roccaberti, nunc illustrissimus archiepiscopus Valentinus, concessit in litteris datis 7. martii 1676, et insertis in actis ultimi capituli provincialis Vilvordiae, dispensantes expresse cum illo super gradu licentiae, qui alias in hac provincia intercedere solet ad magisterium, concedentesque eidem ex nunc omnia privilegia, gratias et praerogativas magistris in provincia debitas et illi gradui quomodolibet annexas.

9. Ad gradum licentiae promotiones adm. rev. patrum fr. Georgii de Neckere, fr. Francisci Craye pro natione Flandrica, fr. Godefridi Souny, fr. Henrici Collins pro natione Brabantica, fr. Hieronymi Henneguier (1), fr. Pauli Fasseau (2), fr. Philippi Durand, fr. Cornelii Miellet pro natione Wallonica. Denique ad praesentaturam promotiones rev. patrum fr. Alberti Kleynen, fr. Thomae Vangodsnoven, fr. Hieronymi Mauritii (3) pro natione Brabantica, fr. Iacobi de Meyere pro Flandrica, fr. Alberti Enlardt et fr. Michaelis Carmoys pro Wallonica, fr. Raymundi Matthys (4) et fr. Vincentii Smit pro Flandrica.

10. Item praedicaturas generales rev. patrum fr. Raymundi a Campo pro conventu Tongrensi, fr. Nicolai Questii pro Lovaniensi, fr. Maximiliani Montaigne pro Insulensi, fr. Ioannis Lens pro Burgensi, fr. Chrysostomi Wonters pro Bergensi, fr. Augustini Lemaire pro conventu s. crucis Duaci, fr. Caroli Kerckoven pro Audomarensi, fr. Michaelis de Mensemakere pro Bruxellensi, fr. Hyacinthi du Jardin pro conventu s. Thomae Duaci et fr. Alani Stam pro Sittardiensi acceptamus.

11. Volentes, ut fundatio studii generalis Antverpiensis per illustrissimum et rev. d. episcopum Antverpiensem, fr. Ambrosium Capello, in commune nostrae provinciae inferioris Germaniae subsidium tam pie ac munifice factá, et nunc eius morte interveniente firmata, in conventu Antverpiensi iuxta ultimam voluntatem fundatoris iugiter perseveret et omnibus et singulis iuribus et praerogativis, cum quibus in ultimo generali capitulo anno 1670 in generale studium erectum est, libere et plenarie gaudeat; fundationem istam grato animo laudamus et, quantum in nobis est, in conventu Antverpiensi in perpetuum acceptamus, dictamque erectionem a praefato generali capitulo factam cum omnibus suis

(1) De fr. Hieronymo Henneguier cf. l. c. pag. 781.
(2) De fr. Paulo Fasseau cf. l. c. pag. 728.
(3) De fr. Hieronymo Mauritio cf. l. c. pag. 689.
(4) De fr. Raymundo Matthys cf. l. c. pag. 727.

clausulis confirmamus et innovamus; declarantes proinde, quod praefatum studium Antverpiense annumerari debeat studiis generalibus Lovaniensi ac Duacensi tamquam litteraria ordinis universitas, in qua non minus ac Lovanii et Duaci doceatur pro forma et gradu magisterii; idemque ius habeat examinandi lectores, praedicatores generales et promovendos ad gradus cum studiis generalibus praefatis, derogantes in contrarium facientibus quibuscumque.

## Pro provincia s. Thomae de Apulia.

1. Cum conventus noster s. Dominici de Vigiliis capax sit, ut duodecim fratres alat, declaramus, prioratum esse et eiusdem conventus priorem in posterum vocem in electione provincialium habere.

2. Concedimus specialiter conventui s. Dominici de Bario facultatem, ut, mortuo, amoto vel finiente priore, possint illius vocales priorem elegere, quamvis in actuali alterius conventus regimine existat.

3. Ut eo melius et convenientius conventibus de annualibus praedicatoribus sit provisum, volumus et mandamus patri provinciali pro tempore, ut iuxta laudabilem aliarum provinciarum consuetudinem provideat conventibus de proportionatis praedicatoribus illosque mutet secundum prudentiam suam, non obstante quod in illis conventibus proprii praedicatores annuales resideant.

4. Mandamus insuper omnibus conventuum prioribus seu praesidentibus, ut sine dilatione cum patrum consilio decentiorem conventus cameram pro patre provinciali, commissario aut vicario generalis vel provincialis determinent, in qua tempore visitationis commorentur; committimusque patri provinciali, ut in hoc negligentes constringat et in refractarios, cuiuscumque sint gradus, status aut conditionis, serio animadvertat.

5. Praeterea declaramus ad vacantia numeraria magisteria implenda, illi caeteris, etiam professione antiquioribus, praeferantur, qui in generalibus studiis functiones suas perfecerunt, secundum quod bene visum fuerit patri reverendissimo.

6. Mandamus et praecipimus etiam, ut in proximo provinciali capitulo secundum cuiuscumque conventus possibilitatem moderentur collecta et ad redditus annuales reales proportionentur, adhibito discretorum et peritorum consilio.

7. Renovamus ordinationes capituli generalis proxime praecedentis hanc provinciam concernentes.

8. Confirmamus denique omnia et singula statuta rev. patris generalis fr. Ioannis Baptistae de Marinis ad bonum regimen collegii Baruletani ordinata, mandamusque, ut ad apicem observentur.

## Pro provincia utriusque Calabriae.

1. Confirmamus omnia, quae in bonum huius provinciae in praecedenti capitulo generali et insuper ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino sancita et ordinata fuere, eaque inviolabiliter observari mandamus.

2. Acceptamus et approbamus magisteria patrum magistrorum fr. Caroli de Paula, fr. Ludovici de Celico, fr. Ioseph de Polistina, fr. Ioseph de Squillacio, fr. Vincentii de Cerclario, fr. Hyacinthi Rossetti, fr. Dominici Spezzaferro, fr. Antonii Iovino, fr. Pauli Guerrera, fr. Petri de s. Georgio et fr. Hyacinthi Soria.

3. Designamus in regentem pro primo loco vacaturo in studio generali Cosentino rev. patrem magistrum fr. Antoninum a Castro villarum post absolutum baccalaureatum ordinarium in collegio nostro Rhegino.

## Pro provincia Hiberniae.

Ut aliquatenus patribus et fratribus undequaque dispersis huius nostrae provinciae et a patriae extorribus ob heterodoxorum saevitiam demus refugium, sicut etiam ut aliquem locum habeant, ubi novitios in vita regulari educare et studiorum auxilio fidem nostram contra impugnantes defendere catholicosque in ea confirmare et corroborare queant, cum rev. patris generalis consensu eisdem Hiberniae nationis patribus conventus nostros ss. Xisti et Clementis de Urbe cum omnibus iuribus et redditibus, sicut et oneribus quomodolibet ad dictos conventus spectantibus ad hos fines dumtaxat determinamus. Hortantes eosdem, ut ea religiositate et morum puritate ordinis hoc praecipuum sanctuarium sanctissimi patris nostri Dominici vestigiis, persona et miraculis illustre incolant, sicut tanti patriarchae asseclas decet, et nostra de huius angelicae provinciae viris expectatio merito praesumit.

## Pro provinciis Indiarum in communi.

1. Confirmamus omnes et singulas ordinationes, leges ac statuta tum rev. generalium praedecessorum tum capitulorum generalium, praesertim Valentini 1647, pro his provinciis in communi editas, praecipue ordinationem illam sextam in ordine valde utilem ac semper necessariam pro bono regimine istarum provinciarum, quam merito hic sub iisdem verbis repetere operis pretium duximus; quae talis est (1).

2. Prohibemus ac districte mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto nec non sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda omnibus et singulis provincialibus Indiarum pro tempore existentibus, ne quocunque titulo, colore vel praetextu audeant onerare doctrinas pensionibus annuis in favorem cuiuscunque

(1) Cf. supra pag. 94 l. 21 – 95 l. 25.

particularis personae quocumque officio, gradu vel praeeminentia praeditae, sed quidquid emolumenti ex moderata impositione colligi potuerit, communibus necessitatibus religiose ac fideliter impendatur, ut fabricis tum ecclesiarum tum conventuum augmento et decori cultus divini, vestiariae communi fratrum etc.

3. Recolentes strictissimam obligationem, quam habent doctrinarii pascendi tum exemplo tum assidua administratione sacramentorum oves sibi commissas, omnibus et singulis residentibus in suis doctrinis districte praecipimus et mandamus sub poena privationis a suis officiis ipso facto incurrenda et perpetuae inhabilitatis ad eadem, quod nullatenus a districtu suarum doctrinarum recedant, etiam per parvum temporis, nisi urgente gravissima et inevitabili necessitate, in quo casu ille, qui tali necessitate premitur, aliquem religiosum, alias idoneum et probatum, ex proximioribus conventibus ante proprium discessum, servatis tamen servandis, advocet, cui vices suas in propria absentia committat.

4. Iisdem residentibus in doctrinis committimus et mandamus, et circa hoc conscientias eorum aggravamus, ut per seipsos diebus festivis assistant universali doctrinae, quae fieri solet; in hoc enim consistere debet eorum cura principalis, officium ac zelus. Quapropter eis omnino prohibemus sub poena privationis ab officio praefatam assistentiam committere fiscalibus sive aliis quibuscunque.

5. In memoriam revocamus ordinationes plurium capitulorum generalium factas contra fratres vagos ac ex una provincia ad aliam transfugas, quod scilicet nullatenus recipiantur nisi in carceribus et post debitas poenas propriis praelatis remittantur. In cuius ordinationis confirmationem praecipimus ac mandamus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis prioribus et provincialibus pro tempore nostrarum provinciarum Indiarum et praesertim provincialibus s. Ioannis Baptistae del Perù, s. Antonini de Novo Regno et s. Catharinae de Quito, quod scilicet fratres praedictos vagos ac transfugas nullatenus in propriis provinciis recipiant, assignent aut aliqualiter detineant, sed teneantur sub eodem praecepto graviter punitos ad proprias provincias remittere suis superioribus, ut in eos gravius animadvertant.

6. Cum experientia docuerit, multa sequi inconvenientia ex eo, quod priores conventuum harum provinciarum nonnisi per biennium durent in eorum officiis, statuimus et ordinamus, ut deinceps quilibet prioratus cuiuscumque provinciae Indiarum sit triennalis cum omni auctoritate, potestate ac iurisdictione in spiritualibus et temporalibus per totum triennium, quibus huiusmodi priores gaudere debent et solent in ordine nostro,

### Pro provincia s. Crucis Indiarum.

1. Erigimus in prioratum domum dominae nostrae de Candelaria de Truxillo, cum habeat omnia requisita, et pro futuro triennio damus in priorem rev. p. fr. Franciscum Gomez.

2. Acceptamus conventum de novo erigendum in civitate s. Sebastiani Lacunae de Malacayo et provinciae incorporamus cum omnibus gratiis et privilegiis solitis.

3. Pro hospitum advenientium religioso commodo erigimus in hospitium domum sitam in oppido de la Guaira permittimusque, ut crescente fidelium charitate in vicariatum et conventum erigatur.

4. Confirmamus in conventu nostro s. Ioannis Lateranensis de la Havana domum novitiorum et studium, alias inibi per reverendissimos generales stabilita.

5. Iniungimus patri provinciali vel illi, qui habet bona provinciae, ut de provinciae collatis communibus solvat expensas adm. rev. patris praesentati fr. Francisci de Sylva, huius capituli diffinitoris.

### Pro provincia s. Iacobi de Mexico.

1. Cum haec provincia dederit nobis modernum rev. patrem generalem nostrum, non confirmamus modo ea omnia, quae in bonum provinciae gubernium in antecedentibus capitulis ordinata et statuta fuere, sed dicto reverendissimo nostro relinquimus, ut pro zelo et innata prudentia sua ea statuat, corroboret ac im̃utet, quae iudicaverit huic suae originariae provinciae secundum Deum utilius et convenientius.

2. Volumus tamen, si ei reverendissimo visum fuerit, ut priores huius provinciae in posterum sint triennales, huiusque decreti efficaciam non ante censemus habiturum effectum, nisi dum legitime provinciae constiterit, ac proinde ante legitimam notitiam officio prioris defungentes nolumus nullo modo comprehensos.

3. Cum denique per assumptionem rev. patris fr. Antonii de Monroy ad generalatum totius ordinis vacet actualiter in provincia locus magisterii, insinuante sic eodem patre reverendissimo, utpote qui huius capituli generalis diffinitoris munus pro sua provincia obibat, illud cum omnibus gratiis, privilegiis ac praerogativis solitis conferimus adm. rev. p. mag. fr. Augustino Dorantes.

### Pro provincia s. Ioannis Baptistae del Perù.

1. Confirmamus et acceptamus ordinationes pro dicta provincia sancitas ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino sub die 27. decembris 1675 easque inviolabiliter observari mandamus.

2. Confirmamus conventum, qui fuit domus s. Rosae, dum vixit in civitate Limana, et pro hac prima vice instituimus et creamus in priorem adm. rev. p. mag. fr. Antonium de Morales; in casu vero mortis vel

amotionis eiusdem, adm. rev. p. mag. fr. Bernardum Carrazco. Pro praedicatura vero generali eiusdem conventus designamus rev. patrem praesentatum et praedicatorem generalem fr. Michaelem de Arevalo, cuius praesentaturam et praedicaturam generalem acceptamus.

3. Ad tollendam omnem dubietatem circa electiones, declaramus, gaudere voce in capitulo provinciali illos priores, qui instante tempore electionis provincialis commodius non possunt possessionem assumere sui prioratus ob maximam distantiam a domo capitulari.

4. Concedimus adm. rev. patribus magistris fr. Petro Lobo provinciali de Oaxaca et fr. Augustinus Davila, huius capituli diffinitoris pro sua provincia, duo loca de numero provinciae primo vacatura, ita ut primus subintret primum et secundus secundum locum.

5. Iterum confirmamus statuta et leges per rev. patrem generalem fr. Ioannem Baptistam de Marinis confectas et promulgatas pro collegio s. Thomae Aquinatis Limensi, quas approbatas a s. congregatione negotiis episcoporum et regularium praeposita et per breve pontificium Clementis IX. fel. rec. corroboratas iterato denuntiamus.

6. Approbamus institutionem rectoris praefati collegii s. Thomae, nuper factam ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino in personam adm. rev. p. mag. fr. Alvari de Francia, revocantes aliam quamcumque institutionem dicti rectoratus.

### Pro provincia s. Vincentii de Chiapa.

1. Pro communi pace conservanda, a qua omne bonum pendet, ordinamus, ut alternativae stabilitae et acceptatae inter natos in Hispania et natos in Indiis inviolabiliter observentur.

2. Quod etiam de affiliatis per rev. patris generalis patentes intelligendum declaramus, ad quem effectum ordinationes et statuta haec concernentia ab illustrissimo et rev. archiepiscopo Valentino confirmamus et novum firmitatis robur adiicimus.

### Pro provincia s. Antonini de Novo Regno.

1. Confirmamus ordinationes pro hac provincia ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino factas, praecipue tamen illam, quae priores in antiqua sua possessione manutenent, ut nihilominus in provincialibus capitulis vocem habeant, quamvis sex fratres alere nequeant.

2. Confirmamus alternativam ad petitionem provinciae factam et stabilitam ab eodem illustrissimo et reverendissimo eamque inviolabiliter observari iubemus.

### Pro provincia Occitana.

1. Confirmamus ordinationem alias factam in capitulo generali praeterito circa numerum graduatorum, ut magistri, qui non sunt de numero, nec voce nec loco gaudeant; quod et ad supernumerarios baccalaureos extendimus.

2. Concedimus, quantum in nobis est, conventui Condomiensi, ut possit lapides, ligna aliaque materialia, quae ex ecclesia ab haereticis iam a centum annis destructa supersunt, vendere et pretio vel novam ecclesiam aedificare vel conventum reparare valeat.

3. Committimus rev. patri generali, ut in visitatione huius provinciae pro bono pacis, prout in domino ipsi videbitur expedire, iudicet in causa alternativae introducendae provincialatus et diffinitoris; interim in hac parte scilicet contra decretum unionis emanatum a rev. patre Ioanne Baptista de Marinis mag. ordinis s. m. die 12. martii 1663 nihil innovetur.

4. Acceptamus et incorporamus ordini nostro monasterium monialium fundatum in oppido Morlasensi, dioecesis Lascarensis, et approbamus et confirmamus omnes contractus cum monialibus initos per commissarios ad hoc institutos et deputatos in capitulo ultimo provinciali huius provinciae Auscis celebrato, omnesque litteras patentes huius institutionis confirmatorias ab illustrissimo et rev. d. fr. Ioanne Baptista de Rocaberti, archiepiscopo Valentino et pro tunc generali magistro, emanatas, quas ut iacent, executioni demandari praecipimus.

### Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

1. Confirmamus omnia et singula, quae in capitulo generali praecedenti pro bono regimine huius provinciae ordinata et statuta fuerunt.

2. Acceptamus translationes affiliationum p. fr. Petri Martyris de Braida a conventu s. Dominici de Civitate ad conventum s. Augustini de Padua et p. lect. fr. Petri Antonii Lazari a conventu s. Mariae de Ateste ad eundem, item p. fr. Dominici Mattiazzi a conventu s. Rochi de Marostica ad dictum conventum s. Augustini.

3. Confirmamus taxationem numeri graduatorum in hac provincia factam in praeteritis capitulis generalibus eamque inviolabiliter observari mandamus, ita ut talis numerus augeri non possit.

### Pro provincia s. Hippolyti Martyris de Oaxaca.

1. Mandamus et inviolabiliter observari volumus ordinationem quandam in capitulo Ulyssiponensi factam, qua admonebatur pater provincialis pro tempore, ut in conventu magno s. Dominici tanquam principaliori et in quo vigent studia, curaret duos magistros in theologia et duos baccalaureos continuo assistere, quorum nullum posset removere nisi urgentissima de causa, et alio in locum subrogato. Quibus provincia vel conventus, in quo commorantur, teneatur de victu et vestitu ceterisque necessariis providere.

2. Confirmamus alternativam eamque observari praecipimus ad tenorem et modum praescriptum a rev. magistro ordinis Seraphino Sicco et iuxta decreta Neapoli anno 1600, nempe quod provincialis una vice eligatur de filiis provinciae, altera de filiis aliarum provinciarum, et casu

quo electio alicuius filii provinciae annulletur et auctoritate rev. patris generalis alius instituatur, ut modo contigit, ex filiis provinciae, declaramus, electionem proximam esse debere de aliarum provinciarum filio.

3. Cum ordo noster ad animarum salutem procurandam sit institutus et animarum salus praecipue in sacramenti poenitentiae debita administratione procuretur, ordinamus ad dispositionem Valentini capituli 1647, ut sub poena suspensionis ab officiis per sex menses praelati conventuales curent ad excelsum hoc munus adhibere non iuvenes ac inexpertos, sed probatae vitae, prudentes et animarum zelum habentes, volentes, ut ad hoc munus etiam magistri in theologia cum discretione compelli possint.

4. Confirmamus omnes et singulas affiliationes concessas ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino ad petitionem provinciae, nimirum affiliationem p. fr. Ioseph de Salas a suo conventu provinciae s. Iacobi de Mexico, p. fr. Francisci Melendez a suo conventu s. Thomae de Porturico provinciae s. Crucis, p. fr. Ioannis de Reyna a suo conventu s. Ioannis de la Havana provinciae s. Crucis ad conventum s. Dominici de Oaxaca.

## Pro provincia s. Petri Martyris.

1. Damus in regentem studii generalis s. Eustorgii Mediolanensis post expletum tempus rev. p. fr. Hyacinthi de Vescovis rev. p. mag. fr. Hieronymum Hyacinthum Battianum et, absoluto huius triennio, rev. p. mag. fr. Carolum Hyacinthum Crippa iuxta petitionem provinciae in capitulo provinciali celebrato anno currenti Alexandriae.

2. Damus iterum in baccalaureum eiusdem studii iuxta ordinem professionis post terminatum tempus rev. p. mag. fr. Vincentii Morelli rev. p. mag. fr. Franciscum Mariam Gherberium, quemadmodum et in magistrum studii, finito tempore rev. p. mag. fr. Thomae Masini, rev. p. lect. fr. Aegidium Bussonum.

3. Ut suppleatur defectus lectorum, qui sunt in provincia, concedimus pro hac vice, ut pro habilitate ad legendum examinentur patres studentes formales fr. Ioannes Alexander Saletta, fr. Hyacinthus Rulfus et fr. Antonius Maria Parodius, cum theses publicas in capitulo provinciali laudabiliter defenderint.

4. Damus praeterea in lectorem artium in studio generali Mediolanensi ad s. Eustorgium post expletum cursum p. fr. Angeli Mariae Battiani fr. Thomam Mariam Fonticelli.

5. Inhibemus, ne in posterum novitii sub uno lectore philosophiae incumbentes sine magna necessitate removeantur, non expleto cursu, cum ex hoc non raro discipulorum ruina et lectorum indignatio oriatur.

6. Omnibus denique prioribus et praesidentibus conventuum districte mandamus, ut circa infirmos particularem adhibeant curam et in poenam negligentes hac in parte a suis officiis absolvantur.

**Pro provincia s. Catharinae Senensis seu Aprutina.**

1. Confirmamus omnia, quae pro utilitate, bono ac pace huius provinciae in ultimo generali capitulo statuta et ordinata sunt.

2. Committimus rev. patri generali, ut acta capituli provincialis, nuperrime celebrati in conventu s. Severi de Neapoli, revideat et, si sibi visum fuerit, approbet vel annullet.

3. Districte prohibemus, ne ullus sub quocumque praetextu etiam actualis regentatus audeat sibi in conventu vel extra locum contra constitutiones nostras arrogare; qui contrafecerint, severe a superioribus puniantur.

**Pro provincia s. Hyacinthi de Russia.**

1. Ad petitionem provinciae vicariatum Pinscensem erigimus in conventum formalem, cum sit tam bene provisus, ut praescriptum numerum fratrum alere possit; et primum priorem damus designandum a diffinitorio capituli provincialis proxime futuri.

2. Celebrationem capituli provincialis ad tempus hiemale reducimus, ita ut deinceps electio provincialis in vigilia purificationis b. virginis absolvatur.

3. Electionem sociorum ex conventibus ad capitulum electionis provincialis ad solitos constitutionum terminos reducimus.

4. Cum conventus Cammenecensis, in quo erat studium theologicum privilegiatum pro consecutione graduum, per Ottomanicam expugnationem sublatus sit, ideo praenominatum studium cum iisdem gratiis, privilegiis et praerogativis transferimus ad regalem conventum Zolchoviensem; cathedram autem ecclesiasticam Cammenecensem transferimus cum iisdem gratiis ad conventum Novogrodensem.

5. Declaramus, rev. p. praesentatum fr. Ludovicum Andrierewicz, qui officium magistri novitiorum in conventu generali Leopoliensi integro absolvit sexennio, debere gaudere voce in capitulo provinciali; siquidem a provincia hoc habet testimonium, quod illud religiose, laudabiliter et fructuose in educatione iuventutis ad nostrarum tenorem constitutionum exegerit.

6. Ordinamus, ut in posterum studentes ex hac provincia missi tam in ingressu collegii Minervitani quam in reditu ex illo ad provinciam reexaminentur.

7. Strictissime ordinando inhibemus, ne amplius patres huius provinciae famulis secularibus ad servitium utantur, sed pro qualitate personarum fratres conversi illis assignentur.

8. Concedimus facultatem transferendi suas affiliationes, servatis servandis, p. praed. gen. fr. Ioanni Damasceno Oranski, p. lect. Nicolao Sokolowski a conventu Cammenecensi et Kiovcensi, qui sunt in manibus infidelium, ad Leopoliensem ss. Corporis Christi; ab hoc autem p. lect. Thomae Nargielewicz ad conventum Montis ss. Rosarii.

9. Studio generali Leopoliensi, cum primum vacaverit, damus in regentem rev. p. praesentatum fr. Felicianum Kedzierzowski, in baccalaureos ordinarios successive rev. patres praesentatos fr. Michaelem Patrialowicz et Deodatum Ostrovski, in magistros studentium patres lectores fr. Hyacinthum Moreski et fr. Lactantium Ruta; circa quorum omnium durationem in officiis ordinationem a fel. rec. rev. p. fr. Ioanne Baptista de Marinis in anno 1668 factam observari volumus, sub nullitate actuum ad altiores promotiones.

10. Controversiam de limitibus cum provincia Lithuaniae ad visitationem p. rev. magistri ordinis remittimus, et interim nihil innovandum decernimus ac mandamus,

11. Licentiam ad exotica studia passim mittendi strictissime inhibemus, sed, si id aliquando necessum fuerit, poterit provincia rev. magistro ordinis supplicare, qui, habita circa subiectorum qualitates informatione, illa in studiis formalibus collocabit.

12. Confirmamus concessionem ab illustrissimo et rev. archiepiscopo Valentino circa acceptationem novarum fundationum in Alba Russia sub data die 22. septembris 1674 datam, iuxta quam loca eidem provinciae oblata acceptamus, videlicet: Ulensem, Czasnicensem, Malaticensem, Niestanovicensem, Zastavicensem, Rachoviensem, Buchalovicensem et in Volhinia Brodensem.

13. Circa conventum Polocensem, quoniam utraque pars, videlicet Russiae et Lithuaniae, pro se iura adducere videntur, ideo ad praesens de illo nihil cuinam illam pertinere decernimus, donec rev. p. generalis melius informetur.

### Pro provincia Parisiensi.

1. Concedimus conventui nostro Montismellianensi in Sabaudia, ut eremum s. Annae supra Villetam possit, servatis servandis, archiepiscopo Tarantasiensi renuntiare, dummodo proventus et compensatio huius renuntiationis in bonum evidens conventus expendantur, iuxta quod maiori parti patrum a consilio dicti conventus cum voto patris provincialis videbitur expedire; et contrarium facientes prior et syndicus ipso facto ab officiis absoluti censeantur.

2. Confirmamus novitiatum, alias stabilitum ab illustrissimo nunc archiepiscopo Valentino ad instantiam regiae celsitudinis ducissae Sabaudiae, nunc regentis, in conventu nostro Camberiensi, eundem ibidem

permanere volentes, quousque rev. magistro ordinis sic expedire visum fuerit.

3. Acceptamus affiliationem p. mag. fr. Ioannis Ivona a conventu Rhedonensi ad conventum Blesensem iuxta litteras patentes rev. p. generalis fr. Ioannis Baptistae de Marinis, acceptatas etiam, servatis servandis, a dicto conventu Blesensi.

4. Approbamus magisterium adm. rev. fr. Antonii du Prato de Chassagni (1).

**Pro provincia Lithuaniae s. Angeli Custodis.**

1. Acceptamus et approbamus ea omnia, quae pro bono et augmento huius provinciae illustrissimus et rev. nunc archiepiscopus Valentinus statuerat ac determinaverat.

2. Erigimus conventum Ielnensem in prioratum, cum ad alendum iuxta constitutiones nostras fratrum numerum sufficientissime sit provisus.

3. Acceptamus acta et decreta praeteriti huius provinciae capituli provincialis ab illustrissimo et rev. praeterito magistro generali confirmata, nec non promotiones factas praedicatorum generalium p. fr. Wenceslai Kozlovski, p. fr. Prothasii Szlubovski et p. fr. Placidi Brozyna.

4. Acceptamus pro magisterio studii rev. p. fr. Stanislai Hintz s. theol. lect. labores, tum Derecini in legendo et praedicando tum nunc Vilnae in novitiorum magisterio exantlatos et exantlandos.

5. Damus in regentem generalis studii adm. rev. p. mag. fr. Raymundum Galecki, modernum provincialem, in baccalaureum p. fr. Raphaelem Politalski, cui succedet p. fr. Franciscus Iwaszkiewicz; in magistros studentium successive rev. patres lectores fr. Chrysologum Westerman, fr. Alphonsum Konavzewski et fr. Michaelem Woynilowicz, ita ut uno anno duret illorum officium.

6. Ordinamus sub nullitate examinis, ne intrent in quodcumque examen magistri, qui regentes, baccalaurei vel saltem magistri studentium non fuerunt in generali studio provinciae.

7. Concedimus licentiam adm. rev. p. mag. fr. Marino Miednicki imprimendi librum quendam a se compositum super « Magnificat », idque servatis servandis.

8. Concedimus licentiam patribus fr. Gabrieli Polubinski, Ludovico Iesman, Servatio Szczerbicki, Stanislao Bukaki, Raphaeli Klarovski, ut assignari possint ad extera studia de consensu adm. rev. p. provincialis.

9. Acceptamus conventus a provincia acceptatos, scilicet Polaviensem, Leypunensem et Dalnoviensem ac Kniazicensem.

---

(1) De fr. Antonio du Prato de Chassagni cf. SSOP. II, 761.

10. Controversiam de limitibus cum provincia s. Hyacinthi in Russia, iterato ad visitationem rev. p. mag. generalis ordinis remittimus, et interim iterum atque iterum nihil innovandum declaramus et mandamus.

### Pro provincia Canariarum s. Mariae de Candelaria.

1. Confirmamus omnia et singula privilegia, gratias et praerogativas huic provinciae in sua erectione concessa, quemadmodum etiam omnia statuta et ordinationes, quae pro felici regimine eiusdem sancita fuerunt.

2. Confirmamus generale studium in conventu nostro s. Dominici de Laguna et collegium domesticum ibidem, auctoritate fel. rec. Ioannis Baptistae de Marinis erecti.

3. Confirmamus, quemadmodum etiam in provinciae augmentum, studium generale in conventu s. Petri Martyris magnae Canariae fundatum a rev. p. generali fr. Ioanne Baptista de Marinis.

4. Ad omnes in posterum tam abusus tam contentiones tollendas declaramus, in hac provincia congregatis ad electionem novi provincialis patribus vocalibus provincialis expirantis officium hora nona terminare, dum pulsatur campanula ad novam electionem faciendam.

5. Confirmamus praeterea ius patronatus factum in favorem illustrissimi domini marchionis de Adixe cum omnibus clausulis et conditionibus in instrumento publico expressis, cum dictus illustrissimus dominus sit insignis nostri ordinis benefactor.

6. Cum a perito et exemplari magistro praecipuus novitiorum fructus in vita regulari dependeat, ordinamus, ne ullus ad hoc officium assumatur, nisi sit aetatis debitae et a sacris nostris constitutionibus et capitulis generalibus praescriptae, nisi duntaxat ex urgenti necessisate et quando iudicio graviorum patrum dubitari non potest, maturitatem, zelum, prudentiam et vitae religiosae amorem defectum aetatis abunde supplere.

7. Ad tollendas quascunque dubietates et dissentiones in hac provincia declaramus, patres a consiliis non solum habere votum consultivum, sed decisivum; et causas, quae ante horam electionis non fuerunt decisae, manere in eodem statu, in quo antea erant.

### Pro provincia s. Michaelis Archangeli et ss. Angelorum in Indiis.

1. Acceptamus divisionem huius provinciae a provincia Mexicana, factam auctoritate rev. p. generalis fr. Ioannis Baptistae de Marinis et bulla pontificia Alexandri VII. roboratam cum omnibus gratiis, privilegiis et praeeminentiis, quibus aliae provinciae in ordine potiuntur.

2. Committimus rev. p. generali, ut ipse pro sua prudentia contributiones ab hac nova provincia solvendas iuxta aliarum provinciarum morem et possibilitatem illius determinet.

3. Confirmamus omnia et singula statuta et ordinationes tam a rev. p. generali fr. Ioanne Baptista de Marinis quam ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino pro felici huius provinciae regimine stabilitas, mandamusque easdem ab omnibus observari secundum earum sensum et tenorem, praecipue tamen eas, quae minorationem praedicatorum generalium vel verificationem litterarum patentium concernunt.

4. Ordinamus et statuimus in hac provincia, ut magistri graduati tam titulo scholae quam praedicationis nonnisi iuxta datam suarum litterarum patentium loca occupent, si dumtaxat numerarii sint; sin autem praeternumerarii, hac praerogativa non fruantur, etiam si habeant in patentibus expressam clausulam, interim gaudeant loco, usquedum numerarii sint effecti. Verum antequam sint numerales, habeant locum inter ipsos a die datae, inter numerarios vero a die, quo occupant loca.

5. Declaramus, lectionem thelogiae moralis a rev. p. generali fr. Ioanne Baptista de Marinis in conventu s. Pauli Angelopolitano stabilitam etiam pro gradu et forma magisterii valere, dummodo tres anni similis lecturae pro duobus in studio generali perfectis computentur.

6. Declaramus adm. rev. p. mag. fr. Ioseph Salgado, huius generalis capituli diffinitorem suae provinciae, magistrum numerarium cum omnibus gratiis, privilegiis et praerogativis huic gradui quomodolibet annexis ob mortem adm. rev. p. mag. fr. Nicolai de Pantoxa.

**Pro provincia s. Ludovici.**

1. Confirmamus provinciam hanc, ut modo stat et perseverat, cum omnibus iuribus, privilegiis et praerogativis aliarum provinciarum ordinis, sicut et omnia, quae in ultimo generali capitulo pro bono huius provinciae regimine sancita et stabilita fuerunt.

2. Prorogamus tempus regiminis moderni adm. rev. p. provincialis usque ad sabbatum ante dominicam « Deus qui errantibus » anni proxime sequentis, sub nomine dumtaxat vicarii generalis illius provinciae.

3. Circa conventum, in quo capitulum provinciale sit celebrandum, observentur ea, quae ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino statuta fuere.

4. Cum ab eodem illustrissimo et rev. commissum fuerit adm. rev. p. fr. Iacobo Quetif (1) conventus Parisiensis s. Mariae Annuntiatae, ut bibliothecam auctorum ordinis tandem compleat, quippe qui a multis annis huic operi incumbit, iniungimus tum adm. rev. p. provinciali praefatae provinciae tum rev. p. priori eiusdem conventus, ut, quantum in eis est, agant, ut diu opus desideratum perficiatur, uti spes nobis est.

---

(1) De fr. Iacobo Quetif cf. SSOP. II, 746.

## Pro congregatione Indiarum Orientalium.

1. Renovamus ordinationem a rev. p. fr. Nicolao Rodulphio emanatam pro hac congregatione, et denuo in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae mandamus sub formali praecepto rev. p. vicario generali pro tempore dictae congregationis incipienti suum in congregatione gubernium, ut exactam rationem a praeterito vicario sui regiminis excipiat, praecipue an ordinationes magistrorum ordinis servaverit, charitative cum fratribus egerit, iustitiae distributivae leges illaesas custodierit, simulque receptorum et expensorum computa excipiat, et inter caetera an fidem catholicam pro viribus promoverit in ecclesiis, praecipue nostro ordini affectis, ut in regnis de Solor, de Seilam. Quod si tunc eum in aliquo de praedictis vel aliis defecisse invenerit, vel in discursu regiminis, in visitatione conventuum et auditione fratrum eum deliquisse cognoverit, nos et p. provincialem provinciae, prima data opportunitate, moneat, ut a nobis severe puniatur.

2. Item omnibus et singulis iam dictae congregationis patribus et fratibus sub poena carceris ad tres menses inhibemus, ne ullus audeat sine expressa magistri ordinis licentia, et in scriptis, vel patris provincialis pro tempore, etiam in scriptis, regnum Portugalliae accedere; cuius poenae executionem strictissime p. provinciali iniungimus, et poenitentia absoluta, recte iterum ad congregationem remittantur.

## Pro congregatione s. Mariae Sanitatis.

1. Confirmamus patentes litteras baccalaureatus pro studio generali s. Mariae Sanitatis pro loco iam vacaturo concessas ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino in favorem rev. p. fr. Bernardi Romani; item litteras patentes ab eodem illustrissimo emanatas pro p. lect. fr. Ioanne Maria Annone ad magisterium studii mox vacaturum; sicut pariter confirmamus litteras patentes pro lectione secundaria concessas ab eodem illustrissimo et reverendissimo p. lect. fr. Hyacintho Anfora pro conventu Montis Dei de Neapoli.

2. Confirmamus ad aliud triennium, ob excellentia de re litteraria in scholis nostris merita, regentem dicti studii generalis adm. rev. p. mag. fr. Philippum Tarentinum, quem unice hortamur, ut post tot annos in lecturis consummatos non patiatur aliquo suo foetu ordinem privari.

3. Iuxta breve apostolicum ordinamus, ne quis sine omnium filiorum conventus s. Mariae Sanitatis de Neapoli consensu post affilietur, sed reducantur filii ad competentem numerum, quem, matura discussione reddituum praemissa, conventus alere possit.

4. Cum, ut fide dignorum testimonio nobis constet, nulli potiori iure competat lectio secundaria theologiae in conventu nostro s. Spiritus de Neapoli nisi rev. p. bac. fr. Ambrosio de Vivo, illam dicto p. baccalaureo pro anno sequenti concedimus.

### Pro congregatione s. Vincentii Ferrerii in Britannia.

1. Confirmamus omnia et singula in favorem regularis observantiae huic congregationi a magistris generalibus et capitulis generalibus concessa, iis dumtaxat exceptis, quae separationem a provincia nostra Parisiensi redolere possent.

2. Ordinamus, ut nulli novitii recipiantur in conventibus, nisi ubi secundum breve apostolicum Urbani VIII. viget observantia, cuius tenorem mandamus observari.

3. Ut nonnullorum morositati ad commune congregationis nostrae bonum obviemus, statuimus et inviolabiliter observari mandamus, ut nullus iure praedicatoris generalis gaudeat, nisi postulatus et a quinque examinatoribus, ad hoc deputatis, rigorose examinatus et approbatus fuerit; quibus respective sub poena excommunicationis latae sententiae iniungimus, ne ullum minus dignum approbent; quod et de confessoribus intelligendum in exponendo declaramus. Volumus insuper, quod vicarii generales pro tempore, cum iudicaverint in domino expedire, possint quemcunque praedicatorem generalem a suo conventu amovere et alio assignare. Insuper nolumus, ut praedicatores generales de concionibus in ecclesiis nostris habendis disponant, sed hoc iuris vicariorum esse denuntiamus, et iussi a praelato sive praesidente conventus praedicare teneantur.

4. Iuxta laudabilem huius congregationis consuetudinem volumus, ut nullus ad magisterium promoveatur, nisi a vicario generali et patribus congregationis postulatus, et promotus a sequela chori non censeatur exemptus, nisi aliter rev. p. generali visum fuerit.

5. Ordinamus, ut observantiae desertores, si sui miserti redierint, saltem per annum ad nullum officium admoveantur, nullaque eisdem negotiorum cura committatur iuxta ordinationem rev. p. Thomae Turci; qui vero ratione alicuius commissi criminis aufugerint, prohibemus, ne eodem loco recipiantur, sed alio emandentur, usque dum omnis noxae idea tollatur.

6. Concedimus, ut festum s. Emerentianae, quod ab hac congregatione sub ritu totius duplicis ex concessione capituli generalis 1656 celebratur, ob festum s. Raymundi ad diem 24. ianuarii transferatur.

### Pro congregatione s. Marci de Cavotis provinciae Regni.

1. Ordinamus, ut huic congregationi affiliati nullatenus in aliis provinciis recipiantur, reverendissimo inconsulto.

2. Item ordinamus, ut, quando contigerit vicarium dictae congregationis mori, ne sine capite et pastore maneat, ipso facto sit provicarius pro vacantia pater prior pro tempore conventus s. Mariae Gratiarum s. Marci; declarantes hoc casu dictum provicarium ius mutandi fratres de conventu in conventum nullum habere, tenerique suppriorem dicti conventus statim p. rev. generalem de morte facere certiorem.

3. Confirmamus omnia et singula in favorem regularis observantiae huic congregationi quomodolibet a magistris ordinis et capitulis generalibus concessa, volumusque inviolabiliter ea observari, non autem ea quae sunt in praeiudicium p. provincialis Regni.

**Pro congregatione b. Iacobi Salomonii Venetiarum.**

1. Acceptamus locum et ecclesiam terrae s. Danielis huic congregationi ab habitatoribus et incolis concessum pro novo conventu cum tempore fabricando, cum accedat licentia ordinarii, ab illustrissimo et rev. nunc archiepiscopo Valentino nuper ordini incorporatum et aggregatum.

2. Confirmamus omnia et singula, quae in ultimo capitulo generali pro bono regimine et incremento regularis observantiae huius congregationis sancita et ordinata fuere. (1)

**Fratres et sorores, qui pretiosa in conspectu domini morte obierunt.**

In provincia Regni.

1. In regali conventu s. Dominici de Neapoli obiit die 4. iulii a. d. 1672 ven. Dei servus fr. Andreas de s. Severino lector, filius eiusdem conventus, vir potens in opere et sermone, qui fere per 50 annos sacras missiones magno cum spiritus fervore exercuit, in quibus pene infinitam hominum multitudinem ad meliorem frugem reduxit. Prophetiae dono insignis et miraculorum gloria; inter quae, ut aiunt iurati et probati testes, signo crucis in coelo facto, sub pluvia vehementissima cum sociis, absque eo quod madefierent, per plura milliaria deambulavit; et mortuum ac lacerum canem ad vitam et incolumitatem sua voce restituit. Regularis observantiae ac humilitatis caeterarumque virtutum tenacissimus, deiparae praesentia et colloquio frequenti consolatus, transivit, sanctissimis sacramentis munitus, placidissime ad patriam non sine totius civitatis moerore. Ad eius funus maximus fuit tam populorum quam nobilium, procerum et religiosorum concursus, ita ut principes strictis gladiis eius cadaver a devotorum pia rapina magno labore defenderent; nec potuerunt celebrari eius exequiae, nisi media nocte et clausis foribus ecclesiae. Non desunt, qui fatentur, eius meritis plura ab eius obitu miracula et gratias recepisse. Formatur iam in archiepiscopali curia de eius vita, virtutibus et miraculis processus auctoritate ordinarii.

2. In eodem conventu obiit adm. rev. p. fr. Ioannes Ricciardi ab Altamura (2), s. theol. mag., praefati conventus filius et olim suae provinciae prior provincialis, ss. eucharistiae et rosario b. virginis addictissimus, novo

(1) Sequitur Protestatio patris secretarii ex ordine capituli, eiusdem tenoris ac MOPH. XII, 351.

(2) De fr. Ioanne Ricciardi ab Altamura cf. SSOP. II, 659.

modo hanc devotionem propagavit, nedum per fere 40 annos quolibet sabbato eius virtutes concionando, verum etiam, quia rosarii perpetui, quem vocant pro agonizantibus, auctor fuit, qui postea modus orandi fuit a summis pontificibus indulgentiis acceptatus et condecoratus. Plures libros iam praelo mandatos concionum, aliarum asceticarum materiarum conscripsit. Dono prophetiae, ecstasum raptorumque dotatus, inter tot delicias spirituales incrassatus non recalcitravit, imo potius se cum Iesu crucifixum videre cupiens, dominum rogavit, ut divinis istis charismatibus, quibus tantum abundabat, modo imposito ipsum cum suo domino crucifigeret; quod et impertivit; nam per plures annos ante suum obitum inter tenebras et tentationum agones, inter corporales et dolorosas infirmitates quasi videbatur a domino derelictus, semper tamen fortis et hilari vultu omnia patientissime sustinuit, atque dum in fornace tot externarum et internarum tribulationum tanquam aurum probatus, praenuntiato multo ante suae mortis die, transivit ad praemium die 15. octobris 1675; ad cuius funus maximus fuit populi, procerum et religiosorum concursus.

In provincia Trinacriae.

1. Soror Elisabeth Purpura, tertiaria nostri ordinis, Collessani cum dentibus orta, ieiunia a fascibus incepit, nam semel in die et post meridiem ad ubera matris accedebat et extra illam horam nunquam lac sumpsit. Post tres menses suae nativitatis semper a lacte abstinuit, unde ab uberibus matris suae secum amor abstinentiae ita crevit, ut per totius vitae cursum fuerit mirabilis. Triennis oratoria quaerebat et ad orationem se dedit. Duodecimo aetatis anno habitum sororum ardentissime suscepit. Carnes nunquam comedit, at, si medicorum praeceptis obtemperare cogebatur, illas statim vomebat. Quadraginta annis adventus et quadragesimas solo pane et aqua contenta transegit. Patientiam invictam in diuturnis, imo perpetuis et laboriosissimis infirmitatibus ostendit. Charitate erga Deum et proximos exarsit; ad meliorem frugem mulieres deductas conquisitis eleemosynis et manuum suarum laboribus sustentabat. In orationibus perpetua, ab hora 22. diei usque ad 5. noctis amantissimo animarum sponso adhaerens, cum ipso colloquebatur. Frequentissimas et quotidianas ecstases patiens, etiam rev. magistro generali ordinis Rodulphio piae mem. fuit admirationi. Spiritu prophetico claruit, et gratiarum dono vivens, et post mortem decorata coelum petiit die 10. novembris 1673, et magno populi concursu in ss. Annuntiationis templo nostri ordinis tumulata, vestibus pro devotione fidelium pia rapacitate abscissis.

2. In conventu s. Dominici de Panormo obiit p. lect. fr. Ioannes Baptista Franchi et Spinula (1); surdus quidem auribus, sed qui ingenio et

(1) De fr. Ioanne Baptista Franchi et Spinula cf. SSOP. II, 597.

incredibili pollens memoria longe quam sensibilia perciperet. Ita devotioni addictus erat, ut praeter consuetas orationes missarumque assistentiam, officium divinum flexis genibus recitaret. Vigilias deiparae virginis, s. Ioannis Chrysostomi diemque natalem suum solo pane et aqua transigebat; parcus in cibo, parcior in vino, a quo multum cavebat. Suarum constitutionum observantissimus nonnisi in laneis decumbere, etiam in ultima infirmitate, voluit, in quibus occubuit et in quibus vixerat. S. inquisitionis minister per longissimam annorum seriem librorum expurgandorum diuturnis laboribus occupatus bibliothecam pro centro sibi delegerat; ita in voluminibus omnium scriptorum et maxime ss. patrum versatus erat, ut refugio omnibus studiosis non solum nostrae, sed externarum religionum in Siciliae regno degentium esset, qui non absque ratione bibliothecam vivam patrum et iudicem omnium librorum anthonomastice appellabant; incessanter enim ab illo notitias arcanas conceptusque reconditos excipiebant, in quibus declarandis, quid mirabilius, tot producebat patrum libros, donec illi dicerent, satis est. Admirandum erat in homine pusillo imbecillisque corporis nocturnum studium, in quo noctes consumebat insomnes, nisi quando super ipsa ss. patrum aperta volumina dormitabat. Multa edidit opera et praecipue illud laboriosum super Ioannis evangelium, in quo tres mille conceptus praedicabiles collocavit. Tandem post alia plurima probitatis eximiae argumenta ad praemia tot laborum vocatus, mortem laetus aspexit, carus Deo et hominibus, qui laneas demortui vestes ingenti accessu pro devotione decerpentes tanquam reliquias habuere; nec desunt, qui per illum divina beneficia se recepisse promulgaverunt.

3. Illustrissimus et rev. dominus fr. Vincentius Maffia Panormitanus, conventus s. Dominici filius, non minus scientia, quam virtutibus per totam Siciliam claruit. Ad regimen studiorum et conventuum natus, spiritum sapientiae et regularis observantiae indefesse promovit. Regens et iterum prior in conventu s. Dominici et s. Zitae de Panormo et totius provinciae Trinacriae moderator, zelum caritate permixtum et mirabilem religiosae oeconomiae prudentiam semper ostendit. Nostrarum legum observantissimus custos, omnium fuit magister et regula. In tribunali s. inquisitionis qualificator, consultor et ordinarius, hoc est cum illustrissimis inquisitoribus vice episcoporum coniudicare, pro catholica fide tuenda per multos annos infatigabili constantia laboravit. Ad insulam Pattensem, ipso nesciente, vocatus, pauper et humilis accessit, pauperum pius pater et ovium optimus pastor, suimet et suorum oblitus, totus fuit ad gregem sibi commissum. Ecclesiam et domum episcopalem, nec non seminarium ad iuvenes educandos prae oculis habuit. Maiora expectabant Pattenses, at morte praeventus inter ipsorum lacrymas ad viam universae carnis devenit cum magna virtutum fragrantia.

In provincia Portugalliae.

1. In conventu Ulyssiponensi obiit adm. rev. p. mag. fr. Petrus Magallaneus (1), a regis consiliis et supremi inquisitionis senatus, qui 20 circiter annis explarem vitam in omni regularis observantiae disciplina exercendo, nunquam severam sui corporis castigationem et constitutionum observantiam intermisit, licet a supremi tribunalis officio inquisitionis assiduis occupationibus quotidie fatigatus.

2. Similiter in eodem conventu discessit e vita adm. rev. p. mag. fr. Ferdinandus Soeiro, regius concionator et vere apostolicus, doctrina et vita clarus; qui sacrosancti eucharistiae sacramenti ita devotus fuit, ut ad reponendum et exponendum feria quinta in coena domini sacrum et immaculatum agnum construxerit in dicto conventu magnificentissimum mausoleum tumulumque argenti magnificum, ad valorem viginti quinque millia ducatorum ex eleemosynis suarum concionum inceptum et amplificatum, incredibili totius civitatis concursu, devotione, plausu et aedificatione. Et non solum in dicto conventu, sed et in aliis eiusdem provinciae annuas fundavit pensiones et annuales stabilivit redditus pro altarium capellarumque ornatu, ut devotius et decentius adoretur et veneretur sanctissimum domini nostri Iesu Christi corpus.

3. In eodem conventu quievit in pace rev. p. praesentatus et praedicator generalis fr. Emmanuel Feo, qui specialissima cura suae salutis, austeritate vitae, poenitentiis, ieiuniis, oratione per plures annos non pepercit carni et sanguini; factus exemplar omnibus, praenuntiato mortis die, evidentibus suae praedestinationis signis ad meliorem vitam evolavit.

4. In conventu Averiensi obiit p. fr. Emmanuel de Spiritu sancto tanta sanctitatis opinione, quantam merebantur exercitia suarum virtutum per longa annorum temporumque spatia exhibita et ab hominibus bene prospecta, quantumvis nihil attentius praetenderet occultare. Non a iuventute solummodo, sed ab infantia crevit adeo sanctitas et virtus, eo probata, quod inter novitios dicebatur « beatus », et a saecularibus, praecipue Averiensibus, in quorum oppido moratus et mortuus est, « frater sanctus »; taliter quod ne ab illis hoc audiret, consulto obnixe recusabat oppidum illud petere, vel foras e conventu exire. Tandem in die natalis domini e consortio hominum, ut pie creditur, translatus est ad angelorum. Et dum viveret, refertur et multa pro voto a Deo impetrasse et aliqua prophetico spiritu praedixisse.

5. In conventu Benficano obiit fr. Ioannes Aragonius, communi tam religiosorum quam saecularium sanctitatis opinione. In dicto conventu, licet tot fratribus observantissimis, talem duxit vitam per quamplurimos

(1) De fr. Petro Magallaneo cf. SSOP. II, 644.

annos, quod omnibus exemplar erat pro sua admirabili poenitentia, vitae austeritate et assiduitate orationis. Ad exemplum nostri ss. p. Dominici noctes fertur omnino quampluries duxisse insomnes, nec aliquam pertransiisse, quin rigorosa disciplina suum corpus cruciaret; abiectissima et humilia exercebat conventus officia; tandem pluribus his et aliis plenus virtutibus obdormivit in domino, cunctis admirantibus et aeque invidentibus eius felicitatem; et pie creditur ad superos evolatum.

In congregatione b. Iacobi Salomonii prov. s. Dominici Venetiarum.

Rev. p. lect. fr. Marcus Antonius Sterni (1) Venetus, 1676 die 17. decembris, aetatis annorum 76, mortem laetus aspexit in observantissimo Civitatensi coenobio, ad quod adhuc adolescens affiliari satagerat, ut inibi sub exacta observantia religiosae perfectionis verticem facilius attingeret. Ea propter a tam sancto domicilio toto vitae decursu nunquam amoveri voluit, eo tempore dumtaxat excepto, quo Neapolim studiorum causa missus, in conventu s. Mariae de Arcu lectoris lauream est adeptus. Tanta porro fuit eius modestia, humilitas, ut simplici lectoratus titulo contentus, quamquam philosophicis ac theologicis, nec non in utroque iure atque in sacris et profanis litteris excellenter instructus, altiorem quempiam alium, etiam magisterii gradum, haud semel eidem a superioribus ultro delatum, constantissime recusaverit. Nec tamen abscondit in sudario tot pretiosa sibi tradita talenta; quinimo quamdiu viguit, domino suo indefessa negotiatione duplicare curavit, ea non minori proventu quam plausu proximis aut ex cathedra in gymnasiis aut e suggestu variis in ecclesiis assidue dispensando. Conciones autem auditoribus maxime floridas et fructiferas exhibebat, quia semper illas odoriferis deiparae rosis verus divi Dominici filius ac aemulus exornabat. Et cum prae senectute rosetum Marianum amplius excolere concionando nequiret, studuit adhuc atramento rigare, typis evulgans suaveolentem viginti rosarum coronam ac zodiacum, in quo per singulos anni dies rosariani serti describit ingentia beneficia, quamplures etiam imprimendas edidit in quindecim rosarii mysteria utilissimas meditationes. Verum, si adeo proximis verbo et calamo profuit, eos multo magis proprio iuvit exemplo. Communitatis enim et paupertatis amantissimus, peculiare nihil in victu seu vestitu, neque subditus neque quater prior, pluriumque conventuum visitator unquam admisit. Abstinentiam a carnibus et ordinis ieiunia, nisi aliter cogente aegritudine ac iubente praelato, perpetuo servavit. Chorum interdiu noctuque, variis licet oppressus morbis et surdaster effectus, incessanter frequentabat, donec in extrema senecta fuit a superioribus de nocte in cella consistere compulsus. Post mediam noctem matutinis pre-

(1) De fr. Marco Antonio Sterni cf. SSOP. II, 666.

cibus persolutis, usque ad lucis ortum fere semper aut orationibus aut sacris studiis operam dabat. Quotidie sacrum altaris sacrificium peragebat multasque missas audiebat; rosarium ac b. virginis atque defunctorum officium recitabat et ecclesiae aras devote visitabat. Prae multis denique virtutibus, quibus erat insigniter excultus, patientia in primis, quae perfectum opus habet, singulariter enituit; ea propter in cunctis tum corporis tum animi adversitatibus vultu fuit semper hilari ac iucundo. Demum externam laetitiam ex intima conscientiae securitate promanantem, etiam in ipso mortis articulo, sic ostendit, ut adstantes omnes non ad fletum, sed ad devotum gaudium incitaverit.

In congregatione s. Vincentii Ferrerii in Britannia.

Obiit cum non mediocri sanctitatis opinione in civitate Claramontensi Arubonorum primaria anno 1674 die 16. iulii soror Maria Paret, tertii ordinis s. Dominici patris nostri, quae virginei candoris conservandi studiosissima, corpusculum licet ab infantia valde infirmum, pluribus subditum morbis ac doloribus, continuis ieiuniis, flagris, ciliciis aliisque macerationibus affligebat. A teneris annis ss. patriarchae nostro Dominico nec non seraphicae virgini Catharinae tanquam matri mire fuit devota; solitudinis ac contemplativae vitae avidissima, abstinentia rara, passioni Christi addictissima, gloriae Dei et salutis animarum sitientissima, modestia incomparabili omnium ad se rapiebat animos ac ingenua gravitate cunctos componebat ad virtutem. Divinis frequentissime dignata fuit visitationibus et expressionibus amoris sponsi sui Iesu, nec non prophetiae spiritu aliisque donis et charismatibus ditata. Erga augustissimum eucharistiae sacramentum adeo crevit in anima eius amor ac veneratio, ut non modo, dum panem hunc angelorum in sancta communione sumebat, sed quoties ingrediebatur ecclesiam, ubi sponsum sub hoc eucharistico velamine latentem agnoscebat, cor eius insolitis agebatur motibus, ipsaque toto corpore, non sine adstantium admiratione, tremebat, et tunc ut plurimum in ecstasim rapta, illic cum sponso Iesu quasi ore ad os divina habere colloquia sibi saepe saepius visum fuit. Graves tentationes et conflictus cum daemone, cui resistebat fortis in fide, quam mirabilem habuit, ieiunii armis munita et passionis Christi contemplatione feliciter eludebat. Tandem post alia virtutum testimonia et praedestinationis signa migravit ad dominum sponsum, qui eam vigilantem invenit ac paratam, ut intraret cum eo ad nuptias. Eius corpus, quod tractabile remansit, in ecclesiam nostram delatum, vix potuit sepulturae mandari propter nimium populorum concursum ex omni gradu et conditione, qui vestium particulas et capillos praescindendo, omnes uno quasi ore sanctam conclamabant.

In provincia s. Iacobi de Mexico.

Obiit in conventu Mexicano anno domini 1661 die 7. iunii ven. fr. Franciscus Montes, conversus et filius eiusdem conventus; vir plane religiosus, cuius memoria in benedictione, qui parentis nostri Dominici magno ardore sequi vestigia conabatur. Unde linguae observantissimus, ita ut nisi de Deo et rebus communi bono opportunis vel ad proximorum salutem spectantibus colloquebatur. Semper aspectui gravi, hilari vultu, demissis oculis, motu religioso incedebat. Pro conservandis augendisque communitatis bonis non exigua anxietate laborabat. Carnes nunquam edebat, imo et omnibus sextis feriis in pane tantum et aqua ieiunabat, cilicio asperrimo ac ferrea catena domabat corpus, iteratis crudelissimisque discruciabatur flagellis usque ad guttularum sanguinis effusionem. Fuit praeceptorum venerabilis magistri Granatensis, cuius volumina lectitabat, fidelissimus executor, et ita observantiae regularis et nostri ordinis constitutionibus addictus, ut fuerit nullus, qui eum vel de minima praesumpserit accusare fractione. Neque caelestibus caruit delectationibus, nam semel, ut traditur a confessario, a ss. p. n. Dominico paterno fuit recreatus amplexu. Plenus tandem meritis et virtutibus, ecclesiae sacramentis magna cum humilitate et devotione sumptis, obdormivit in domino.

**Suffragia pro vivis.**

Pro ss. d. n. Innocentio papa XI. et felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro augustissimo imperatore Leopoldo I. et tranquillo statu S. R. I. q. s. u. m.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XIV. q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Carolo II. q. s. u. m.

Pro serenissimo Poloniae rege Ioanne III. et magno duce Lithuaniae q. s. u. m.

Pro serenissimo rege et principe regente Portugalliae q. s. u. m.

Pro eminentissimo et rev. d. card. protectore ordinis nostri q. s. u. m.

Pro eminentissimis et rev. dd. cardinalibus fr. Vincentio Maria Ursino, archiepiscopo Sypontino, et fr. Philippo Thoma Howard de Norfolcia, ex ordine nostro assumptis, q. s. u. m.

Pro universo sacro collegio em. et rev. dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro illustrissimo et rev. d. fr. Ioanne Thoma de Rocaberti, olim magistro generali ordinis nostri, nunc archiepiscopo Valentino, qui generosam eleemosynam scutatorum bis mille largitus est huic nostro capitulo generali, q. s. u. m.

Pro excellentissimo d. Ferdinando Ioachim Faxardo de Requesens, marchione de Los Veles etc. ac regni Neapolitani prorege, et eius excellentissima uxore, munificentissimis nostri ordinis benefactoribus q. s. u. m.

Pro omnibus praelatis, ex ordine nostro assumptis, q. s. u. m.

Pro omnibus nostris benefactoribus, qui huic capitulo pias eleemosynas contulerunt, q. s. u. m.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque capite rev. p. magistro generali ac sociis eidem collaborantibus q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, fratribus clericis litaniae omnium sanctorum, conversis una decas orationum dominicalium cum totidem salutationibus angelicis [iniungitur].

**Suffragia pro defunctis.**

Pro ss. d. Clemente X. f. r., insigni benefactore nostri ordinis, q. s. u. m.

Pro animabus eminentissimorum dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam capitulis nostris generalibus ex testamento legarunt, q. s. u. m.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore postremi capituli generalis Romae celebrati in domino obierunt, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis tertia pars psalterii rosariani iniungitur.

Denique universis ac singulis provinciarum, congregationum et vicariatuum praesidentibus praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ut huius capituli acta in singulis sibi subiectis conventibus ac domibus statim ac fuerint impressa et eis transmissa, coram communitate legi et publicari faciant, et sedulo curent, quatenus ab omnibus observentur, atque ea, quae ad ordinem nostrum in communi spectant et quae specialiter ad propriam uniuscuiusque provinciam attinent, ad minus quater in anno in quolibet conventu ad mensam in communi refectorio publice praelegantur; volentes, quod exemplaribus impressis ac sigillo rev. magistri ordinis munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Capitulum generale sequens, quod erit secundum diffinitorum, celebrabitur anno 1680 in Gallia in conventu, qui rev. patri magistro generali videbitur opportunior.

Damus denique totam nostram auctoritatem rev. patri nostro magistro generali, ut faciat et disponat, quidquid nos ipsi facere possemus pro bono religionis nostrae regimine, prout sua prudentia iudicaverit in domino expedire.

Datum Romae in conventu nostro s. Mariae super Minervam die 16. mensis iunii 1677.

Epistola omnino legenda in omnibus conventibus coram tota communitate bis in anno, scilicet prima dominica adventus et prima hebdomada post octavam Trinitatis, sub poena absolutionis ab officio priori vel superiori hoc negligenti.

Fr. Antonius de Monroy, s. theol. professor, ordinis praedicatorum humilis generalis magister et servus, omnibus nostrae curae subiectis salutem et obedientiae spiritum.

Sat fuisset, filii, actis capituli generalis a septennio in Urbe celebrati semel adiunctam recordationem execrandae noxae, illius videlicet vel ad ambiendum non promeritos honores vel ad evadendas promeritas poenas, ad saecularium ecclesiasticorum principum vel personarum extra ordinem protectionem recursus tam severe a pontificum oraculis, a sacris nostris legibus proscripti, nisi nova temerationis et rebellium audacia novam etiam replicandi suppeditaret materiam. Coacti igitur replicamus et tunc inculcata praecipimusque omnium conventuum praesidentibus, ut coram tota communitate bis in anno, scilicet prima dominica adventus et prima hebdomada post octavas Trinitatis sub poena absolutionis ab officio legantur.

Ante omnia in memoriam reducimus atque universis et singulis utriusque sexus religiosis nostro regimini subiectis, cuiuscumque status, gradus aut conditionis fuerint, in conspectu ponimus textum sacrarum nostrarum constitutionum dist. 2. cap. 13. num. 9. lit. N., qui sic habet: « Si quis frater nostri ordinis per se vel per alium pro se vel pro alio ordinationem de se vel de alio factam, vel obedientiam sibi vel alii fratri iniunctam per quamcumque personam extra obedientiam nostri ordinis constitutam quocumque modo procuraverit revocari, vel in aliqua provincia aut conventu aut officio sive etiam in studio generali poni vel remanere vel inde amoveri, ipso facto ex vi praesentis statuti in poenam incidat gravioris culpae, in qua vel a qua cum tali dispensari non possit nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale, et omnibus gratiis ordinis sit privatus ». Quae constitutio inchoata in Montepesulano anno 1271 et confirmata apud Pestum 1273, ut esset ex fundamentalibus nostri instituti munimentis, ipsaque velut summe necessaria omnium paene sequentium capitulorum generalium curam ac diligentiam in ea corroboranda, declaranda novarumque poenarum adiectu communienda exercuit, ut Coloniae 1301 et 1428, Lugduni 1318, Cadurci 1319, Rothomagi 1320, in Montepesulano 1350, Virduni 1356 etc. ut in actis capituli 1670 fol. 176 in fine [*vide supra* pag. 146 sqq.].

# ACTA CAPITULI GENERALIS ROMAE IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM CELEBRATI IN FESTO SS. PENTECOSTES DIE I. IUNII MDCLXXXVI.

Sub reverendissimo patre fr. Antonino Cloche, sacrae theologiae pro-`essore, magistro generali eiusdem ordinis, in praedicto capitulo electo, diffinientibus pariter admodum rev. patribus provincialibus et diffinitoribus, nempe:

admodum rev. p. s. theol. prof. fr. Thoma Vidal provinciali Tolosano,
admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Laurentio Vallier provinciali Franciae,
adm. r. p. s. theol. mag. fr. Seraphino Scoto prov. utriusque Lombardiae,
admodum rev. p. Thoma Betti provinciali Romano,
adm. r. p. s. theol. mag. fr. Gregorio de Arostegui et Areylza prov. Regni,
admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Ioanne Lorbecher prov. Teutoniae,
admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Vincentio de Torre prov. Angliae,
admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Francisco Czarnkovio prov. Poloniae,
adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Henrico de Gusman prov. Terrae Sanctae,
admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Antonino Peretio provinciali Bohemiae,
adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Antonino Fort prov. provinciae Provinciae,
admodum rev. p. s. theol. baccalaureo fr. Andrea Trono prov. Dalmatiae,
admodum rev. p. s. theol.. mag. fr. Iosepho Alberti provinciali Trinacriae,
adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Emanuele Leiton provinciali Portugalliae,
adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Emanuele a sancto Thoma prov. Beticae,
admmodum rev. p. s. theol. mag. fr. Francisco Ianssens Elinga provinciali Germaniae inferioris,
admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Vincentio Theophilo de Mesayña provinciali Apuliae s. Thomae,
adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Hyacintho a Strongolo prov. Calabriae,
admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Petro Martyre Belleno provinciali s. Dominici Venetiarum,
adm. r. p. s. theol. mag. fr. Hyacintho Battiano provinciali s. Petri Martyris,
a. r. p. s. theol. mag. fr. Alberto a s. Benedicto prov. prov. s. Catharinae Sen.,
adm. r. p. s. theol. mag. fr. Hyacintho Klonski prov. s. Hyacinthi in Russia,
a. r. p. s. theol. mag. fr. Nicolao Gaultier de Brullon prov. prov. Parisiensis,
adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Iustino Gnoinski provinciali Lithuaniae,
adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Gregorio Remond provinciali s. Rosae,

adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Petro de Matilla (1) diffinitore Hispaniae, adm. rev. p. s. theol. prof. fr. Iosepho Mayol (2) dif. prov. Tolosanae, adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Dominico Pescheur diffinitore Franciae, adm. rev. p. s. theol. mag. Sisto Cerchio diffinitore utriusque Lombardiae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Iacobo Riccio procuratore generali ordinis, diffinitore provinciae Romanae, adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Petro Maria Sersale dif. provinciae Regni, adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Leonardo Messen diffinitore Teutoniae, admodum rev. p. praesentato fr. Thoma Cooper diffinitore Angliae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Martino Borovio diffinitore Poloniae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Severo Fitor diffinitore Aragoniae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Alberto Hennegar diffinitore Bohemiae, adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Antonino Gubert dif. provinciae Provinciae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Iacobo Domianick diffinitore Dalmatiae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Ludovico Vita diffinitore Trinacriae, admodum rev. p. praesentato fr. Vincentio Velozo diffinitore Portugalliae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Dominico Linze diffinitore Beticae, adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Philippo Durand dif. Germaniae inferioris, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Archangelo Panormi a Ferrandina diffinitore provinciae Apuliae s. Thomae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Hyacintho Rossetti diffinitore Calabriae, a. r. p. s. theol. mag. fr. Antonio Suazo dif. prov. s. Iacobi de Mexico, adm. rev. p. s. theol. mag. fr. Dominico Serres diffinitore Occitaniae, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Remigio Bianchi diffinitore provinciae s. Dominici Venetiarum, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Ignatio de Quessada diffinitore provinciae s. Catharinae Martyris de Quito, adm. r. p. s. th. mag. fr. Dominico de Ferrariis dif. prov. s. Petri Martyris, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Iacobo Androsino diffinitore provinciae s. Catharinae Senensis, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Innocentio Czeski diffinitore Russiae, adm. rev. p. s. theol. professore fr. Ioanne de le Bel dif. provinciae Parisiensis, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Alphonso Slanka diffinitore Lithuaniae, admodum rev. p. lectore fr. Petro de Sancta Maria Ulloa diffinitore provinciae s. Mariae de Candelaria, admodum rev. p. Ludovico Dedun diffinitore provinciae s. Ludovici Regis, admodum rev. p. s. theol. mag. fr. Hieronymo Henneguier diffinitore provinciae s. Rosae.

(1) De fr. Petro de Matilla cf. SSOP. II, 743.
(2) De fr. Iosepho Mayol cf. l. c. pag. 765.

Universis ordinis praedicatorum patribus ac fratribus
fr. Antoninus Cloche, sacrae theologiae professor
ac eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus,
salutem in domino sempiternam.

Votis nostris tarda fuit, quae omnis adhibita est diligentia, ut acta capituli generalis, nuperis Pentecostes solemniis celebrati vobis quamprimum transmitterentur. Eo enim zelo praemebatur cor nostrum, primum illud officii nostri munus implendi tanto celerius quanto fidelius, primamve charitatis et sollicitudinis nostrae monumentum et pignus vobis exhibendi, ut quamvis nihil in hac nostra festinatione desiderari posse cognosceremus, tamen quod moras amori nostro erga vos imponerent rerum necessitas et conditio, conquerebamur. Pro vestra enim consolatione vehementer optamus, patres ac fratres in Christo dilectissimi, ea quae in isto capitulo gesta sunt, in manus vestras citissime pervenire, ut exultaretis gratulabundi tales viros ad capitulum a vobis fuisse destinatos, quorum zelus et sapientia enituere quam maxime in his omnibus constituendis, quae necessitatibus ordinis expedire eiusque bono et decori congruere videbantur.

Id unum expectationi vestrae deesse potuit et existimationi eis debitae obesse, quod ordini de capite providentes, eum nimia concordia delegerunt, quem nec simulata pietas nec affectata dexteritas parem et aptum clanculariis commendationibus praedicabant, sed nuda et aperta veritas exhibebat prorsus inhabilem. Ut tamen mala, quae ex assumptione nostra timebantur, praeoccuparent et a nostro regimine propellerent et ablegarent, in hoc praesertim incubuere quotidianis et solitis sessionibus, ut ea matura discussione nobiscum statuerent, unde horti dominicani facies ubique reflouresceret, uberemque fructuum doctrinae et sanctitatis autumnum reducerent, si nostris curis et visitationibus irrigarentur.

Eo unanimi conspiratione collimantes, observantiam constitutionum in totum ordinem summo fervore peroptarunt inducere, scientes, hoc unum ad perfectionem iter nostram professis regulam concedi, si secundum ea, quae promiserunt, vivant et obsequantur. Perfectam bonorum communitatem necessariam, et ut ita dicam essentialem, agnoscentes statui nostro, qui totus est ex sui institutione apostolicus, summa sollicitudine studuerunt plenam rerum sicut et personarum e nutu superiorum dependentium disponere, ut ipsa etiam umbra proprietatis eliminata procul e nostris conventibus exularet. Sed id potissimum cordi fuit vere filiis pacis et unitatis amatoribus, ut unitatem ordinis foverent et contra quaecumque adversantia munirent et solidarent. Unde ut haec unitas nobis tantopere commendata in nostris moribus et observantiis regularibus re-

splenderet, quae magna Dei providentia et summorum pontificum sollicitudine a quadringentis et amplius annis omnes s. p. Dominici filios sub uno capite eodemque regimine associatos constringit, quam nec grassantia in ecclesia schismata violare potuerunt nec succedentium et decedentium reformationum vicissitudines interpolare, omnia, quae ad ecclesiasticas caeremonias, divinum officium, studia, formam habitus et alia tum interni hominis adminicula, tum externae conversationis insignia spectant, ad normam nostrarum constitutionum et eorum, quae in capitulis generalibus sancita sunt, revocanda componendaque sapienter iudicaverunt, utque auctoritate nostra mandarentur executioni, rogaverunt; et ita nulli liceret quovis praetextu, etiam reformationis vel maioris perfectionis, nova et inaudita superinducere, quae hactenus ordo noster ignorasset, ne semel patefacta hac ianua et superstruendi licentia, audiatur cito inter nos, quod in Corinthiis reprehendebat apostolus: « Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephae etc. ». Sed iuxta obsecrationem eiusdem apostoli « idipsum dicamus omnes, et non sint in nobis schismata, simus autem perfecti in eodem sensu et in eadem sententia » (1).

Quae a patribus pro nostri ordinis bono congregatis tam salubriter gesta sunt, pura et integra, utque ab ipsis subsignata, typis edi curavimus post solemnem eorum in capitulo generali promulgationem, ut a vobis eodem applausu, eademque religione servanda suscipiantur, quibus a magno nostro Minervae conventu acceptata sunt. Si quae vero ex his dubia aut difficultates suboriri possent, quod tamen non credimus, vel nostrae, si requiratis, dissolvent epistolae vel noster ad vos accessus in proxima ordinis visitatione plana facient et clara.

Muneris enim nobis iniuncti ratio postulat, ut intermissam magno religionis dispendio, sed necessitate temporum visitationem absque dilatione incipiamus, et donec in tota saltem Europa completa fuerit, prosequamur, ut oves nostrae curae subiectas nominatim vocare possimus; cum pervigilare debeamus, « quasi pro eis rationem reddituri » (2), quas de manu nostra requiret princeps pastorum, qui, si negligentes fuerimus aut culpabiles, « non parcet nec poenitudine flectetur » (3). Unde, quia saepe contingit in iis, quae pro bono conventuum aut provinciarum corrigenda forent, aut statuenda praelati vigilantiam quantumvis oculatissimam circumveniri, dum solis scripturarum informationibus statum rerum et personarum longe positus accipit, profectionem nostram paramus et urgemus, ut, quaenam in regnis et nationibus sit nostrae familiae facies

(1) I. Cor. I, 10, 12.
(2) Hebr. XIII, 17.
(3) I. Reg. XV, 29.

et conditio, propriis oculis intuentes, noxia quaeque eradicemus et malis, si quae irrepserint aut inveterarint, remedia pro posse nostro quaeramus et applicemus; incrementa vero frugum iustitiae vestrae offeramus agricolae supremo, qui nihil eorum quae debui, pro nostra salute praetermisit. « Constituti enim sumus super conventus in gentibus et regnis » (1), in quibus estis disseminati, ut evellamus et plantemus, quia « Dei agricultura estis » (2).

Evellamus, inquam, aemulationes, dissidia, contentiones, rixas, dissensiones, laxitates, abusus, qui nomine consuetudinis firmati, pulchritudinem religionis deformant et leges quasque sanctissimas antiquant, factiones, quas fratrum parit ambitio, quae charitatis spiritum extinguunt, offensiones, lites, scandala gignunt, damnabiles personarum acceptiones obtrudunt, unde inhabiles ad praelaturas et lecturas assumuntur, aptioribus postpositis et contra ius repulsis; unde miserabilis superiorum conniventia, omnium lapsuum nutrix erga suos quovis crimine diffamatos, et duritas erga alios, quos suis praetensionibus iniquis aut obliquis obsistentes suspicantur aut experiuntur.

Plantemus vero quaecumque ad Dei cultum restituendum, fovendum, ampliandum conducere posse iudicaverimus in officiis divinis, caeremoniis ecclesiasticis, cantu et aliis, quae in variis capitulis generalibus ordinata et a praedecessoribus nostris saepius intimata et tentata, incuria tamen fratrum, librorum forsan penuria vel arbitrariis et peregrinis conventuum moribus nequiverunt hactenus ad praescriptam uniformitatem reduci.

Plantemus primum ordinis nostri institutum circa praedicationes et missiones, ex quarum neglectu immutata est religionis facies et decor emarcuit, totque pereunt animae, quarum, timeo, ne sanguinem requirat de manu nostra omnipotens, qui segregavit nos « et in nobis posuit verbum reconciliationis, ut pro Christo legatione fungeremur et tanquam Deo exhortante per nos » (3), homines ad veritatis agnitionem et Christo reconciliandos adduceremus. Unde praedicationis spiritum, qui in paucis vere s. p. n. Dominici filii adhuc vivit, quantum ex alto dabitur suscitare conabimur et missionum munus atque exercitia promovere omnibus, quibus poterimus modis: orationibus, obsecrationibus, adhortationibus, gratiis, beneficiis, privilegiis etiam a summo pontifice obtinendis, ne in dedecus gentis nostrae nobis exprobretur ultra, quod sumus solo nomine praedicatores.

---

(1) Ier. I, 10.
(2) I. Cor. III, 9.
(3) II. Cor. V, 20.

Plantemus linguarum, praesertim hebraicae et graecae, studium atque peritiam, ut optarunt summi pontifices et indicarunt capitula generalia, ne harum linguarum ignoratione contra sensum et exemplum apostoli evangelium erubescamus, « sed virtus Dei in nobis sit in salutem omni credenti iudaeo et graeco » (1), omnibus enim sumus debitores; multum pariter iuvabit ad notitiam scripturae sacrae, in qua vos versatos optamus, si textus originales consulere possitis. Experientia autem compertum est, theologiam scholasticam, cui cuperemus non nihil a vobis coniungi eruditionis exquisitae, quae ex lectione conciliorum, patrum et historiae ecclesiasticae comparatur, theologiam, inquam, scholasticam ad tuenda fidei dogmata contra haereses emergentes esse prorsus inutilem, si notitia scripturae sacrae non vulgari destituta sit; quam singularem scripturarum notitiam sine linguarum luce et subsidio vix sibi aliquis compararit.

His et aliis necessario renovandis et in praxim deducendis, ut ordo noster tot titulis clarus pristinum et imminutum splendorem integrum recuperare valeat, locum parabunt, ut credimus hae, quas praemittimus muneris et amoris erga vos vicarias nostras. Interim, fratres charissimi, « satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis » (2), et sitis charitate concordes, observantia regulares, orationi et lectioni vacantes, sine offensione currentes, saluti animarum secundum talentum unicuique a Deo commissum et iuxta mensuram donationis Christi intendentes, lucentes sicut luminaria in mundo, Christi bonus odor omnibus effecti. Sic state in Domino, charissimi. Tales vos laeti videbimus, si secundum ea, quae in actis istis praescribuntur aut indicantur, vitam vestram, ut debetis, studeatis componere. Unde, ne tanto fructu expectationem nostram defraudari contingat, haec acta in omnibus cuiuscumque provinciae conventibus praesidentium diligentia publicari et deinceps observari volumus et praecipimus. « Haec absens scribo », ut verbis utar apostoli, « ut non praesens durius agam secundum potestatem, quae data est mihi ad aedificationem, non in destructionem » (3). Verum quia quanto in loco superiori tanto in periculo maiori versamur, vestris orationibus apud Deum petimus adiuvari; tentationi omnium gravissimae sumus expositi; quam s. p. Augustinus tentationem vocat tempestatis et periculorum (4). Aliquando enim in gubernandis subditis deficiunt humana concilia, quacumque rector se convertat, fluctus fremunt, tempestas saevit,

(1) Rom. I, 16.
(2) II. Petri I, 10.
(3) II. Cor. XIII, 10.
(4) Enar. in Ps. 106. cf. Migne XXXVII, 1422.

brachia deficiunt. Quo prora impingatur, cui fluctui latus nudetur, quo navis impulsa dimittatur, a quibus saxis, ne pereat, refrenetur, omnino a rectoribus non videtur; omnis enim sapientia eorum devorata est. Tentatio ergo magna gubernandi, tentatio periculorum in regendo ordine nos potissimum tangit. A qua tamen vos omnino alieni non eritis, si tota navis periclitabitur. Quod ideo dico, ne in hac tentatione quasi nostra propria orare pro nobis desistatis. Videte, ne vos primo naufragetis, si minus sitis soliciti et pro nobis minus oretis, etsi ad eadem gubernacula non sedetis, in eadem tamen navi navigatis.

Acta capituli generalis Romae in conventu s. Mariae super Minervam ord. praed. celebrati in profesto ss. Pentecostes die 1. iunii 1686 sub reverendissimo patre fr. Antonino Cloche, s. theol. prof., magistro generali eiusdem ordinis, in praedicto capitulo electo.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, nec non beatae Mariae semper virginis, beati patris nostri Dominici, omniumque sanctorum.

**Denuntiationes.**

1. Denuntiamus, die 1. iunii currentis anni 1686 in vigilia Pentecostes, singulari Spiritus sancti afflatu vocalium corda suavipotenter movente, rite, canonice atque cum summa pace et concordia in reverendissimum totius ordinis magistrum generalem electum esse p. fr. Antoninum Cloche ex provincia Occitana, quem eodem electionis die, cum se ad sui totiusque s. religionis uberiorem commendationem ss. d. n. Innocentio XI. praesentasset, sua sanctitas cum omni benevolentia atque humanitatis impendio comiter excepit.

2. Denuntiamus, eundem etiam ss. d. n. universis et singulis fratribus et monialibus ordinis nostri, etiam tertiariis, sicut et omnibus fratribus ac sororibus nominis Iesu et ss. Rosarii confraternitatum, non solum hactenus erectarum, sed etiam deinceps canonice erigendarum, denuo benigne concessisse, quod, qui in die certo tempore orationi mentali vacarent, specialissimas indulgentias lucrarentur; quae impensa eiusdem sanctissimi in ordinem nostrum et confraternitates liberalitas maxime confert, ut animi singulorum ad sibi salubriter ex hoc tam propitio gratiarum rore fructificandum efficacius instigentur.

3. Insuper denuntiamus, dictum ss. d. pro singulari suo in s. religionis decorem zelo atque affectu et ad firmiter stabiliendam toties desideratam indivisi ordinis uniformitatem strictissime ordinasse, quatenus omnes et singuli patres iuxta praescriptam in capitulo generali 1650 ce-

lebrato formam sua caputia adaptarent; unde sub poena privationis ab officio infallibiliter infligenda mandamus omnibus patribus provincialibus, ut a notitia praesentium, seu quamprimum ad propria redierint, caputia omnium et singulorum ad desideratam uniformitatem redigi faciant iuxta seriem et praescriptum adiectae encyclicae, quam ill. et rev. archiepiscopus Compostellanus et magister ordinis mox ante inchoata haec nostra comitia generalia iussu sanctissimi nuper edidit, sequentis tenoris:

Fr. Antonius de Monroy, s. theol. professor, archiepiscopus Compostellanus ac totius ordinis praedicatorum humilis magister generalis et servus universis et singulis patribus ac fratribus curae nostrae subiectis salutis, et regularis observantiae uniformitatem.

Cum denuo, et mirando, nos benignissime moneat ss. d. n., se quidem alias iussisse, ut totis conatibus habitus nostri et caputiorum reformationi insisteremus, ad sic sanctam uniformitatem in exteriori vestitu introducendam, hactenus tamen piissimae suae voluntati nostrisque replicatis iussibus non est obsequutum atque obtemperatum, cum non solum tum hospites tum alii hic in Urbe mandata ista salubria negligendo suo vel captui vel interpretationi postponant, sed etiam passim adveniant vocales et alii functionem aliquam in capitulo nostro generali habituri, quorum caputia praescriptam dudum reformationem nullatenus sapiunt, nos ss. d. n. nutui, ut par est, submississime obedire volentes, harum serie nostrique muneris auctoritate adhuc semel praecipimus omnibus et singulis vobis praememoratis in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto aliisque poenis magistro ordinis arbitrariis, vobis quidem hic in Urbe praesentibus vel brevi adfuturis, ut intra trium dierum naturalium spatium ab harum publicatione vel publica notitia computandum, aliis vero extra Urbem, dum patres vocales ad propria redierint, debeant sua caputia iuxta formam in capitulo generali 1650 ord. 5. statutam et a ss. d. n. Innocentio X. benedictam tam ante quam retro et in lateribus adaptasse et accommodasse, ut pars anterior ad pectus demissa intra sternum seu os stomachi, posterior vero a tergo infra cingulum ultra quatuor digitos non descendat; caputii apertura circa faciem uno amplius palmo non sit facie longior; latera denique ab humeris infra medium os, quod axillae et cubito interstat, non extendantur; hoc modo ad cuiuslibet fratris staturae proportionatam formam omnia caputia tam alba quam nigra et noviter fiant et vetera proportionentur. Porro haec novissima paterna monita tandem sufficiant, ut votorum vestrorum memores, captivando intellectum vestrum in obedientiae obsequium quantocius parere satagatis. Volumus autem, ut praesentes publicatae iuxta eiusdem ss. d. expressum mandatum actis suo tempore inserendae capituli generalis secretario consignentur. In nomine Patris et Filii et Spiritus

sancti. Amen. Quibuscumque in contrarium non obstantibus. Et in fidem his sigillo nostro munitis propria manu subscripsimus. Romae in conventu nostro s. Mariae super Minervam die 13. maii 1686.

Fr. Antonius de Monroy archiep. Compostellanus ac magister ordinis.

Registr. fol. 79.

Fr. Guinandus Wynans mag. et socius.

Omnibus igitur nostrae curae subiectis sub poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrenda districte praecipimus et mandamus, ut intra trium dierum spatium ab harum publica notitia caputia sua iuxta statutam formam debuerint adaptasse seu composuisse.

4. Denuntiamus, unanimi diffinitorum voto proximum capitulum generale, quod erit provincialium, determinatum esse in provincia Bethica in conventu regali Malacitano anno octuagesimo nono celebrandum.

5. Denuntiamus denique, ill. et rev. d. Antonium de Monroy, archiepiscopum Compostellanum, de propensa et larga sua in ordinem benignitate universas duorum annorum decimas persolvisse, cui proinde s. religio et pro memorata liberalitate et pro exantlato supremi gubernii sui zelo plurimas gratias impendere habet.

**Confirmationes.**

1. Confirmamus, quod in antecedenti capitulo generali 1677 celebrato virtute cuiusdam rescripti sacrae congregationis, quo mandabatur, ut omnino de introducenda in conventibus communitate seu vita communi iuxta praescriptum regulae et constitutionum tractaretur, ordinatum fuit, sequentis tenoris: Admonemus etc. (1).

2. Confirmamus, quae de novitiorum educatione in eodem capitulo anni 1677 habentur, sequenti tenore: Renovamus et confirmamus ordinationes plurium capitulorum generalium Romae 1608 scilicet, Parisiis 1611 et rursus Romae 1612, quod novitii etiam post emissam professionem maneant cum eodem rigore in domo novitiorum et sub cura magistri usque ad sacerdotium; imo si contingat aliquem iam sacerdotem ad ordinem recipi, nihilominus ante quatuor annos completos post emissam professionem extra novitiatum non ponatur, sed sub cura magistri remaneat atque de spectantibus ad ordinem instruatur, ut fuit ordinatum Romae 1656; annullantes specialiter omnes quascumque concessiones extra novitiatum degendi, hactenus a quocumque etiam magistro ordinis datas vel concessas.

---

(1) Cf. supra pag. 158 l. 16 - 159 l. 22.

Nulli novitiorum permittatur, nisi urgente gravissima necessitate, breve dispensationis super aetate determinata a concilio Tridentino in ordine ad sacerdotium procurare; quod si aliquis id praesumpserit sine expressa sui provincialis licentia, ipso facto sit inhabilis et incapax ad sacerdotium per triennium.

In illis conventibus, in quibus loca distincta sunt pro novitiis simplicibus et professis, hi non minus clausi sub cura eiusdem magistri et eius disciplina permaneant; non loquantur cum patribus aut fratribus conversis, associati incedant per conventum et ex conventu nonnisi omnes simul et cum magistro ad campos vel deambulandum eant.

In magistros novitiorum non eligantur nisi patres graves, prudentes, zelum religionis et observantiae habentes, prout ordinatum fuit in capitulo Valentino 1647; mandamusque ordinationem illam inviolabiliter observari non quoad substantiam tantum, sed quoad omnes eius apices et conditiones.

Atque ut eorumdem labores praemio non careant, concedimus magistris novitiorum, qui duodecim annis vel continuis vel non continuis, dummodo haec discontinuatio ob altioris officii functionem facta sit, in dicto munere zelose desudarint, quod voce activa in capitulo provinciali gaudeant; provinciis nostris Tolosana et sancti Ludovici regis dumtaxat exceptis. Circumscribentes de caetero ordinationes et concessiones quascumque super his emanatas, praesertim in capitulis Romae 1644 et Valentiae 1647, sicut et Romae 1677 celebratis.

3. Confirmamus omnia, quae in dicto capitulo praecedente circa fratres vagabundos stabilita sunt, scilicet: Ad coercendos etc. (1).

His porro particulares poenas tam pro dictis fratribus vagabundis quam pro eorumdem receptatoribus tenore praesentium subnectere decrevimus, volentes atque inviolabiliter executioni mandandum esse decernentes, ut transgressores sine licentia rev. patris generalis in aliena provincia vagantes non possint ab eiusdem provinciali in ullo conventu assignari aut ullo tempore voce activa vel passiva gaudere, et si studentes fuerint atque ad propria redierint, nullatenus queant in suis provinciis ad lecturam vel aliam quamcumque functionem scholasticam admitti; priores vero dictorum vagabundorum receptatores sine poena sint ipso facto ad officium prioris per biennium inhabiles et omnibus gratiis ordinis privati existant.

4. Confirmamus, quod in multis capitulis generalibus et praesertim anno 1670 ordinatum fuit, ut nullus titulum lectoris vel s. theol. professoris assumat, qui non actu docet vel docuit; unde tam pro honore

---

1) Cf. supra pag. 162 l. 21 sqq.

studiorum quam professorum suo titulo de iure gaudentium omnes illos titulares lectores et professores memorato titulo privamus et privatos declaramus, adiecta poena privationis vocis activae, si quis sive loquendo sive scribendo huiusmodi titulum assumpserit. In eundem finem auferimus a studiorum generalium moderatoribus auctoritatem omnem huiusmodi inhabiles vel ad examen vel ad titulum lectoratus admittendi, etiam cum conditione « dummodo non legant »; denuo omnes huiusmodi titulos quibuscumque hactenus collatos aut imposterum conferendos, nullos, vanos et fictitios decernimus.

5. Confirmamus, quod in postremo capitulo ordinatum est ord. 4. de stricta in nostris conventibus clausura ab ingressu foeminarum sub excommunicatione interdicta, comprehendendo sub clausura omnes cameras et officinas, quae licet extra commune dormitorium existant, nihilominus a religiosis inhabitantur, ita quod, si aliquis talis conventus reperiatur, in quo non possit perfecta clausura observari, vel omnino deseratur vel certe titulo prioratus privetur, prout ipsum ex nunc privamus et privatum decernimus; priores autem vel praesidentes, qui sub quocumque praetextu personam disparis sexus ad clausuram admiserint, ipso facto suis officiis privati existant absque alia superiorum declaratione.

6. Confirmamus, quod toties de residentia praedicatorum generalium in suis conventibus ordinatum est, ut scilicet voto priventur, si non legitime impediti in eis non resideant. Mandamus igitur dictis praedicatoribus generalibus, ut omnino in conventibus suis residere curent sub dicta poena privationis vocis ipso facto incurrenda nisi eosdem vel de legitima causa impeditos vel in officiis in capitulo generali Romae 1629 celebrato specificatis occupatos aut sufficientibus iam laboribus fractos in aliis conventibus morari necesse fuerit; excipientes tamen ab hoc statuto nostro provinciam Hispaniae ad petitionem diffinitoris sicut et provincias Portugalliae, Aragoniae, Provinciae ac Occitaniae; qui autem moniti praedicare noluerint, suo gradu indigni existant.

7. Confirmamus ad multa inconvenientia evitanda, quod deinceps sub poena carceris ad biennium nullus particularis frater secularium deposita acceptet; priores vero, si id fecerint, ipso facto suis officiis privati censeantur, nisi forte id ex urgentissima causa atque cum moderamine et cautela necessaria fiat, ut scilicet visa imprimis in praesentia deponentis et patrum depositorum quantitate deponenda, dein signata atque in communi fratrum depositio sub ordinaria patrum depositariorum cura custodienda sit.

8. Confirmamus omnia et singula, quae in favorem communitatis introducendae vel promovendae hactenus salubriter statuta fuerunt a generalibus visitatoribus et commissariis provinciarum ordinis nostri.

9. Confirmamus, quod et saepius in capitulis generalibus ordinatum est, quod nullus licentiari possit ad praedicandum verbum Dei, in quo munere ordo noster singulari hactenus praerogativa enituit et omnium studio enitere debet, nisi studia sua qua philosophica qua theologica iuxta praescriptum statutorum nostrorum expleverit et post expleta in aliquo studio examinatus fuerit atque ad munus praedicationis a patribus examinatoribus idoneus iudicatus fuerit.

10. Confirmamus ordinationem quartam in capitulo Valentino 1647 factam, ne ullus fratrum nostrorum ad confessarii munus obeundum absque praevio trino examine de triennio in triennium in conventu, ubi viget studium theologicum, instituendo simpliciter vel pro semper approbetur, nisi alias sint graduati vel in studio generali praedicatores aut lectores instituti.

11. Confirmamus denique, quod saepissime praedicatoribus nostris inculcatum fuit, ut scilicet omni fervore ss. Rosarii devotionem et sincerum erga beatissimam virginem cultum satagant in populis promovere.

## Ordinationes.

1. Cum decorem ordinis et spem futurae habilitatis non mediocriter augeant tum bona recipiendorum indoles, tum etiam in grammatica et latinitate sufficientia, renovando, quae iam toties in capitulis generalibus sancita fuerunt, denuo districte ordinamus omnibus rev. pp. provincialibus et prioribus, ne praesumant ullum recipiendum ad habitum suae communitati proponere, qui non competenter sciat linguam latinam competenterque sit in grammatica versatus, sicut etiam qui notabiliter sit corpore vel facie deformis aut natalium tam abiectorum, ut vix aliquod ingenuitatis speciem prae se ferat; et si secus factum fuerit, priores quidem a suis officiis suspensos et taliter receptos ad professionem non admittendos decernimus et declaramus.

2. Nil adeo obest studentium profectui, quam quod in conventibus, in quibus studia vigent, non sit rigida nostrarum legum et constitutionum observantia, et quod studentes tempus illud, quod studiis impendendum foret, obambulationibus per conventum et vagationibus per suorum costudentium cellas inutiliter terant. Ordinamus proinde patribus provincialibus, ut satagant totis viribus, quatenus in conventibus, ubi iuventus in studiis enutritur, religiosa disciplina et nostrorum statutorum observantia perfecte servetur; studentibus autem, sive in collegiis sive aliis domibus degentibus, sub poena privationis studii ipso facto mandamus, ne praesumant tempore, quo studendum est, per conventum vagari, cum secularibus vel religiosis obambulare, quemadmodum etiam neque suorum costudentium cellas ingredi; pro cuius debita executione tum superiorum tum moderatorum conscientias in diem domini aggravamus, ut, si ter inventi fuerint, infallibiliter puniantur.

3. Cum nil adeo noxium sit scholis et iuvenibus, quam quod illis praeficiantur professores, quorum vel mores commendabiles non sunt vel tam exigua capacitas ad illam functionem, quam obire iubentur, ut plus obsint, quam prosint, ordinamus, quod deinceps in providendis studiis non attendatur candidatorum aetas, sed ingenium et probata vita, non aliorum commendationes, sed propria merita, ut hac ratione indemnitati iuventutis et provinciarum opportune consulatur; pro cuius item impartiali observantia praelatorum conscientias oneramus, eos districte monendo, ut, si qui incapaces, immorigeri vel admodum negligentes in suis scholae officiis inveniantur, certiores faciant adm. rev. pp. provinciales vel magistrum ordinis, qui tales in studentium perniciem collimantes indilate a munere legendi suspendant et absolvant, nullo habito ad personas respectu.

4. Cum angelici doctoris nostri doctrina tutissima sit et inconcussa, uti apostolico oraculo habemus, operae pretium est, ut qui illam profitemur, etiam singulariter eandem rimemus et in eam incumbamus; ordinando proinde renovamus, quae dudum de lectura textus summae d. Thomae sancita fuerunt, ac in particulari mandamus omnibus ordinis nostri regentibus, professoribus et lectoribus, ut singulis diebus praeter ordinariam scriptorum explicationem etiam unicum d. Thomae articulum explicent, quem studentes tenebuntur in conferentiis in dies studendo referre memoriter, ultra ordinariam scriptorum traditorum lectionem; regentes autem, professores et lectores in huius ordinationis executione desides regentatu, professura et lectoratu spolientur.

5. Ordinamus, quod deinceps, ut praelegentium merita et anni statutum tempus sortiantur, omnisque confusio in his vitetur, nullus lector censeatur suum cursum inchoasse ad computandum pro gradu et forma nisi in festo sanctae Crucis vel immediate post festum omnium sanctorum, ubi hic mos incipiendi cursum invaluit, ita quod, qui ob quamcumque causam docere medio tempore inceperit, illi lectura illa nullatenus computetur nisi pro supplemento dumtaxat; a qua ordinatione collegium nostrum Parisiense sancti Iacobi merito excipimus.

6. Ex eo quod aliqui autument, se a suis conventibus originariis et quorum sunt filii, amoveri non posse, non levia sequuntur inconvenientia, quae rebelliones et dissolutiones non modicas nata sunt parturire, ordinando proinde declaramus, quod nullus, cuiuscumque sit gradus, conditionis et dignitatis in ordine, illo privilegio inamovibilitatis a conventu vel suae assignationis vel cuius est filius, gaudere habeat, quin talem praerogativam vel a magistro ordinis vel a diffinitorio generali quomodolibet concessam annullamus et annullatam decernimus, praecipientes omnibus nostrae curae subiectis sub poena privationis utriusque vocis ipso facto incurrenda, ne aliquis quocumque praetextu, via vel

colore praesumat sibi inamovibilitatis ius arrogare vel asserere aut provinciali removenti, dum necesse sibi videbitur, obstrepere vel reluctari.

7. Ordinamus, quod conventuum praesidentes fratrum assignationes quamprimum suis communitatibus legendo annuntient, ut omnis fraus et dolus in electionibus priorum praeveniatur, et contra facientes in poenam a suis officiis suspendantur.

8. Ordinamus denique et districte iniungimus rev. pp. prioribus, ut consuetum orationis mentalis tempus omnino observari curet atque in spatio dimidiae horae ad clepsidram ab ipsis vel quibuscumque aliis, quos choro praeesse contigerit, nullatenus dispensetur.

## Commissiones.

1. Committimus rev. magistro ordinis, ut aliquibus gravissimis in ordine patribus iniungat, quatenus per se vel per alios, ad hoc idoneos, missalia et breviaria ordinis cum suis respective rubricis revideant et censeant, atque ut uniformitas in ordine servetur, modum confraternitatis Rosarii instituendae et Rosarium cum populo dicendi mature praescribant.

2. Committimus adm. rev. pp. provincialibus et prioribus universis, ut divini officii curam habeant, quatenus ea, quae de ritu ss. constitutionum, rubricarum, breviarii aliaque ad Dei laudem spectantia sunt, religioso zelo atque devotione in omnibus conventibus persolvantur.

3. Committimus eidem rev. p. magistro ordinis, ut in sua visitatione provinciae utriusque Lombardiae videat, an domus s. Mariae de Susano et de Fontanellato sint denuo in prioratus vel vicariatus erigendae.

4. Committimus similiter magistro ordinis, ut, quamprimum poterit, in beneficium et consolationem fratrum iubeat constitutiones nostras a patribus iussu capituli revisas praelo subiicere.

5. Committimus denique dicto magistro ordinis, ut in visitatione provinciarum florentissimi Galliarum regni pro sua prudentia et provincias ordinet et cuilibet suos conventus designando limites praescribat, quemadmodum etiam regularem observantiam et disciplinam in congregationibus nostris Gallicana et Britannica studeat augere.

## Admonitiones.

1. Cum experiamur in ordine conventus nostros passim fratrum simultatibus scindi, ac proinde non raro eligi inidoneos et passionum partis vincentis asseclas, ex quo omnis observantia constitutionum temeratur, hortamur in visceribus Christi patres provinciales, ut soliciti sint, hanc e provincia sua pestem eliminare et pacem inquietatis ambitione conventibus restituere, accurando, ut etiam aliorum conventuum filii in priores talium conventuum eligantur, qui ibidem noverint sua dexteritate tranquillitatem manutenere; ad id ipsum in visceribus Iesu Christi omnes vocales in Domino hortamur, ut suae et confratrum suorum saluti con-

sulendo studeant ambitiosorum hominum et dominatum in clero appetentium temeritatem et petulantiam proscribere. Volumus autem, quod in conventibus, quos maiores vocant, scilicet qui ad minus triginta fratres alunt, vel sunt pro novitiatu provinciae destinati, vel tandem in quibus generale vel formale studium viget, eligi non possint in priores, nisi qui in aliis conventibus fuerint priores, aut per aliquot annos sacram theologiam legerint, vel demum sint praedicatores generales, servata consuetudine provinciae Tolosanae ad eiusdem petitionem et provinciae s. Ludovici regis et exceptis conventibus pro rigorosa observantia determinatis, in quibus, si in maiorum numero fuerint, non poterunt eligi in priores, nisi praeter unam ex iam dictis qualitatibus monstrent se esse etiam singulares observantiae cultores.

2. Cum inter potissimas ordinis praerogativas sit sanctae praedicationis officium, quo animae christianae evangelicis doctrinis imbuuntur atque oves perditae ad unicum Christi ovile reducuntur, admonemus adm. rev. pp. provinciales, quatenus in suis provinciis viros doctos et graves ac zelum animarum habentes in missionarios destinent ad Dei verbum praedicandum doctrinamque christianam rudibus tradendam; ipsi autem ad id muneris destinati toto conatu satagant apostolico hoc officio suo nonnisi cum magno zelo et charitate perfungi, memores, se in eo sanctissimi patris nostri vestigia sequi, quem s. mater ecclesia magnum animarum oeconomum appellat. Unde et eosdem in Domino adhortamur, ut sic de suorum superiorum cum illustrissimorum ordinariorum consensu missi gratis haec spiritualia pietatis officia praestent, sintque ab omni temporalis quaestus aut lucri specie penitus alieni.

3. Admonemus adm. rev. pp. provinciales et priores, ut ecclesiae decorem totis viribus promovere satagant et curent, quod omnes sacerdotes legitime non impediti missas suas quotidie celebrent; negligentes autem in iis celebrandis a celebratione missarum suspendant.

4. Admonemus praeterea adm. rev. pp. provinciales et priores, ut omnino invigilent, quod in diversis capitulis generalibus nempe Mediolani 1505, Romae 1629 determinatum est, ne scilicet fratres nostri sub habitu suo alterius coloris vestes quam albi portent, sub poena privationis utriusque vocis eisdem infligenda.

5. Admonemus omnes rev. pp. provinciales nostrarum provinciarum, ut satagant omni honoris, obsequii et humanitatis impendio rev. patres scholarum piarum, tanquam de ordine nostro et doctrina doctoris angelici optime meritos, praevenire eorumque zelum in populis commendare.

**Concessiones.**

1. Concedit rev. pater magister ordinis omnibus et singulis patribus ac fratribus suae curae subiectis, quod semel eligere possint aliquem pa-

trem sacerdotem, in ordine ad audientiam confessionum expositum, cui suam plenariam delegat auctoritatem absolvendi fratres sibi sacramentaliter confitentes, pro una vice tantum, ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum evulgationem contractis, a quibus ipsemet rev. magister ordinis eos posset absolvere, si eidem coram confiterentur. Idem absolutionis beneficium ex eiusdem concessione monialibus conferre poterunt earum ordinarii confessarii.

2. Concedit idem rev. ordinis magister omnibus rev. pp. provincialibus et diffinitoribus praesentis capituli generalis, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia, ad poenas gravioris culpae ante celebrationem huius capituli generalis damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen sua humilitate, resipiscentia et melioris vitae exemplo huiusmodi favore se dignum ostendit.

## Pro provincia Hispaniae.

1. Concedimus ad provinciae petitionem, quod numero senario praesentatorum titulo praedicationis, quo dicta provincia hactenus gavisa est, duae aliae praesentaturae numerariae eodem titulo addantur.

2. Concedimus, quod conventus Legionensis et Taurensis inter generalia ordinis et provinciae studia deinceps annumerentur, eo quod in iis tam artium quam s. theologiae studium vigeat.

3. Confirmamus ordinationem factam in capitulo provinciali intermedio in conventu Benaventano die 13. maii 1685 habito, qua statuebatur, quod fratres ex aliena provincia ad hanc provinciam Hispaniae seu studiorum causa seu alio quovis titulo accedentes, completis studiis aut titulo cessante, ad suas originarias provincias revertantur; quod si ex qualibet causa etiam praetextu assignationis in dicta provincia remanserint, voce activa et passiva carere volumus.

## Pro provincia Franciae.

1. Confirmamus ad expressam provinciae instantiam affiliationes rev. pp. fr. Ambrosii Kennedi et fr. Iacobi Bellion ad conventum nostrum Pictaviensem, fr. Dominici Brutinel ad conventum Gratianopolitanum, sicut etiam fr. Hyacinthi du Iardin et fr. Antonini du Plessi ad conventum Belnensem.

2. Confirmamus sententiam adm. rev. p. mag. provincialis super nullitate affiliationis rev. p. fr. Mauritii Vincent pro conventu Angeliacensi latam, declarantes, illum conventus Andegavensis filium esse.

3. Renovamus censuras contra illos merito latas, qui vel suos superiores vel alios religiosos aut sanctimoniales ordinis apud maiestatem regiam aut regios ministros verbo vel scripto diffamant, volentes, absolutionem a tam enormi crimine etiam in conscientiae foro solis dumtaxat conventuum superioribus reservari.

4. Studium theologicum a multis ab hinc annis in conventu nostro Lingonensi fundatum omnino volumus continuatum et excultum; praecipimus proinde adm. rev. p. priori et patribus a consilio dicti conventus pro tempore sub poena absolutionis ab officio, privationis paternitatis ac utriusque vocis, ne illud deserere aut quoquomodo eidem contrariari praesumant.

5. Cum ex collegio nostro Gratianopolitano non mediocris decor ordini toti accrescat, ex eo quod ibidem cum singulari animorum fervore studia vigeant, aequitati consentaneum est, quod professoribus de proportionato laborum praemio provideamus. Statuimus proinde, prout in duobus postremis nostris capitulis generalibus Romae celebratis impertitum fuit, quod lectores tam philosophiae quam theologiae in memorato collegio cum laude profitentes idem praemium in ordine mereantur iisdemque plane gaudeant iuribus, ac si in aliquo generali studio praelegissent, exceptis dumtaxat filiis provinciae nostrae Provinciae, quibus ob singularia motiva haec nullo tempore suffragari posse sancimus.

## Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Volumus, ut executioni mandetur omnino textus constit. dist. 2. cap. 1. § 2. secundum capitula generalia anno 1644 et 1647 celebrata temperatus, ut conventus parvi, temporum iniuria depauperati, qui alias duodenarium numerum religiosorum habuerunt, dummodo sex modo alant, in capitulis provincialibus admittantur cum voce; et si oppositum factum fuerit, totum sit irritum et inane.

2. Ordinamus, quod assignati in conventibus ad officium temporaneum confessarii, praedicatoris aut lectoris huiusmodi expleto officio ad tales conventus non amplius pertineant, et nisi a superioribus aliter dispositum fuerit, ad suos conventus originales sint reducendi, quemadmodum pro conventu Bononiensi aliquando ordinaverat rev. mag. ord. fr. Thomas de Roccaberti; derogantes ordinationi cuicumque contra statuenti.

3. Committimus rev. magistro ordinis, ut rev. p. fr. Aloysium Villari de Casali, qui per viginti annos cum summo populorum et principum plausu, ut nobis relatum est, in principalioribus Italiae urbibus munus praedicationis exercuit, pari pro tantis laboribus praemio remunerare velit.

4. Reducimus ad moderamen longiores a studiis vacationes, ita ut a festo s. Ioannis Baptistae usque ad festum s. patris Dominici saltem de mane exercitia scholastica durent, deinceps autem usque ad festum s. Crucis examina et repetitiones fiant; caeteris anni temporibus sine ulla vacatione, excepta die aristotelica, durent scholastica exercitia; quibus fideliter peractis, si indulgeatur ex speciali gratia uni ex lectoribus theologiae in conventibus, ubi duo sunt lectores, ut tempore quadragesimae

possit ire ad praedicandum, tali conditione censeatur indultum, quod alter lectorum sui collegae lectiones et functiones scholasticas suppleat, ut hac ratione studentium discipulorum indemnitati opportune provideatur.

5. Praeterea studentes in conventibus, in quibus viget studium, sive sint materiales vel formales, voce in electionibus priorum aut sociorum euntium ad capitula provincialia non gaudere decernimus.

6. Renovamus praeceptum et excommunicationem pro conventu et studio Bononiensi a rev. mag. Turco latam contra moderatores promoventes indignos, etiamsi addatur conditio « dummodo non legerint », quam ut iniustam et nulli favorabilem abolemus, uti supra sancitum est.

7. Declaramus, quod biblicus et metaphysicus Bononiae lectores non gaudeant voto decisivo in examinibus, sed sint contenti solum voto consultivo, iuxta institutionem rev. magistri Thomae Turci, excepto casu, quo suppleant deficientiam quinti moderatoris.

8. Declaramus adm. rev. p. magistrum fr. Thomam Luccionum (1) in numerarium magistrum provinciae utriusque Lombardiae cum loco et voce acceptatum fuisse; quam acceptationem simul cum affiliatione sua ad conventum nostrum sanctae Mariae de Castello Ianuae a conventu s. Eustorgii de Mediolano confirmamus.

9. Declaramus denique acceptatos in magistros cum voce et loco rev. pp. fr. Michaelem Thavenardi inquisitorem Taurini, fr. Pium Felicem Capasanta inquisitorem Faventiae, fr. Dominicum Cichetti de Fabriano et Dominicum Thomam Manelli de Aexio, hos pro magistris numerariis approbamus.

**Pro provincia Romana.**

1. Committimus rev. magistro ordinis, ut pro sua prudentia studio nostro generali Perusino de idoneis et doctis regente ac magistro studentium suo tempore provideat.

2. Ad provinciae petitionem confirmamus et ratificamus affiliationem p. lect. fr. Leonardi Buteri ad conventum nostrum s. Dominici Trebii, dispensantes, quoad opus est, super quocumque defectu, qui potuisset irrepsisse.

3. Cooptamus in numerum magistrorum cum voce et loco rev. p. fr. Dominicum Dallium (2), habentem omnia, quae ad memoratum honoris gradum obtinendum vigore sacrarum constitutionum et statutorum pontificiorum requiruntur.

4. Approbamus lecturas pro forma et gradu magisterii in collegio nostro s. Thomae de Urbe exercitas rev. pp. fr. Petri Tacca, qui ibidem

(1) De fr. Thoma Lucciono cf. SSOP. II, 777.
(2) De fr. Dominico Dallio cf. l. c. pag. 623.

munus regentis cum laude obiit, fr. Dominici Servitiati et fr. Vincentii Iustiniani, qui baccalaureatum ordinarium in dicto collegio fructuose et gloriose compleverunt, committentes reverendissimo, ut satagat a sanctissimo impetrare, ut dicti patres possint effectu praemii sibi in ordine concessi in sua provincia frui.

**Pro provincia Regni.**

1. Instituimus in magistros numerarios provinciae pro locis actu vacantibus rev. pp. fr. Gregorium Tartaglione de Neapoli et fr. Danielem de s. Marco; cumque hoc generale capitulum ad expressam provinciae petitionem auxerit numerum magistrorum usque ad octodecim, instituimus pariter in magistros cum loco et voce rev. pp. fr. Albertum Capelli, fr. Vincentium Cioffo, fr. Onuphrium Fiore, fr. Vincentium Scotti de Prochida et fr. Gregorium Angelone, qui omnia munera pro dicto gradu magisterii requisita cum laude exercuerunt, declarantes, hanc nominationem nulli quoad locum aut praecedentiam de iure sibi competentem praeiudicare.

2. Ad consulendum iustitiae in iudiciis examinum ordinamus, quod deinceps iudices deputati in concursibus lectionum philosophiae et theologiae teneantur ferre vota sua secundum concurrentium merita, neque possint suspendere suffragium, sive sit affirmativum vel negativum, secus factum irritum nullumque decernimus et iudicem non suffragantem seu votantem ipso facto suo munere imposterum privamus.

3. Concedimus huic provinciae ad eius petitionem, quod ob multitudinem conversorum a praesentium data per biennium nulli ad habitum conversorum vel tertiariorum admittantur, et hoc tempore elapso tam recipiendi quam illi, qui actualiter habitum tertiarii gestare reperiuntur, ad solemnem professionem nullatenus admittantur, nisi post sexennium quacumque gratia in antecessum facta non obstante; utque tertiarii imposterum melius educentur et mores religiosos addiscant, volumus absolute, quod nonnisi in conventibus Salernitano et Suessano deinceps ad habitum recipiantur, ibique per triennium ad minus permaneant, imo hoc postremum cum illis tertiariis, qui in conventibus Neapolitanis actu degunt, quamprimum exequendum declaramus.

4. Permittimus p. provinciali pro tempore cum diffinitorio capituli provincialis, quod duos tresve missionarios nominare possint, qui intra sequens biennium munus illud apostolicum cum fidelium fructu obire possint, non ob temperale aliquod lucrum, sed cum sola spe aeternae retributionis.

5. Cellae defunctorum fratrum deinceps secundum p. prioris pro tempore beneplacitum conferantur, nulla habita ratione antiquitatis, sed solius aequitatis.

6. Committimus rev. p. generali, ut viso moderni p. procuratoris ordinis adm. rev. p. mag. fr. Leonardi Hansen et ill. ac rev. domini archiepiscopi Barensis iudicio super brevi magisterii rev. p. Thomae Sersale, huius generalis capituli diffinitoris, determinet etiam sanctissimo consulto, si expediens existimaverit, an virtute dicti brevis inter immediate a sede apostolica promotos connumerandus sit.

7. Acceptamus lecturas in publica Neapolitana universitate cum ordinis honore exercitas rev. p. fr. Thomae de Francia pro gradu baccalaureatus, et rev. magistro ordinis committimus, ut eidem tempus assignet ad ibidem legendum pro forma et gradu magisterii.

8. Approbamus, quantum in nobis est, affiliationes factas ab ill. et rev. archiepiscopo Compostellano rev. p. mag. fr. Archangeli Maria Canale et rev. p. lect. fr. Dominici Maria Mondelli ad collegium nostrum s. Thomae de Neapoli, utpote a ss. d. n. confirmatas, cum omnibus iuribus, gratiis, praerogativis, loco et voce, quibus in originariis provinciis fruebantur.

## Pro provincia Teutoniae.

1. Confirmamus et approbamus facultatem pp. provincialibus auctoritate apostolica concessam et in capitulo generali Romano 1629 declaratam pro rehabilitatione priorum et priorissarum ad idem officium, si iis videbitur expedire, servatis tamen sequentibus conditionibus: primo, ut tribus mensibus, antequam priores et priorissae suis respective officiis defungantur, adm. rev. p. provinciali plenam, claram ac a patribus sive matribus a consilio debite subscriptam suae administrationis qua in spiritualibus qua in temporalibus informationem transmittant. Secundo, ut authentice doceant, se in conventibus, quibus praesunt, communitatem perfectam introduxisse vel promovisse. Tertio, quod potiori tempore anni in conventu morati fuerint, choro et refectorio astiterint; quod si harum conditionum una in aliquo vel aliqua defuerit, rehabilitari posse prohibemus; iisdem autem fideliter observatis, post primam electionem duabus vicibus tantum rehabilitari posse concedimus, ut sic perpetuitas in officiis vitetur.

2. Confirmamus ordinationem in capitulo generali 1644 factam de praedicatoribus actu praedicantibus, quod nullam praetendere possint exemptionem a choro nisi iuxta antiquum huius provinciae morem, nempe ut illi, qui ante prandium concionantur, pridie solum liberi sint a matutino et prima; relinquentes discretioni adm. rev. p. provincialis pro tempore, quod aliquibus in officio praedicationis excellentioribus ampliorem aliquam a choro exemptionem possit indulgere.

3. Approbamus magisteria tempore regiminis ill. et rev. d. archiepiscopi Compostellani ad constitutionum merita collata adm. rev. pp.

fr. Alberto Wein, fr. Ludovico Lanio, fr. Leonardo Messen, huius capituli diffinitori, fr. Ludovico Lenz, fr. Ambrosio Angerer, fr. Candido Schreittmiller, fr. Alexandro Brachel, fr. Antonino Trarich et fr. Hyacintho Traxel.

4. Cumque in provincia unum magisterium vacet, conferimus illud rev. p. fr. Adriano Schön, qui illud tum scholasticis tum vel maxime concionatoriis functionibus diu meritus est.

5. Vacantibus autem etiam in provincia duabus praesentaturis, instituimus in s. theol. praesentatos rev. pp. fr. Leonardum Tebetman et fr. Christophorum Brachel, qui omnia ad hunc gradum requisita habent.

6. Instituimus in praedicatores generales rev. pp. fr. Dominicum Frank, fr. Thomam Meidinger, fr. Ambrosium Capello, fr. Thomam Hamreitter, fr. Hyacinthum Gabelhoven, fr. Wilhelmum Freilinch, fr. Hilarium Edenstein, fr. Sebastianum Schmid, fr. Bernardum Bierman, fr. Constantinum Schulz, fr. Theophilum Botterich, fr. Wernerum Floosdorff, fr. Dominicum Lechner et fr. Ioannem Stiler; quibus singulis ab adm. rev. p. provinciali determinati conventus assignabuntur.

7. Decernimus patres lectores primarios in studiis formalibus Augustano, Landishutano et Osnabrugensi in ordine ad gradus aequales habendos patribus baccalaureis ordinariis studiorum generalium, eo quod pares subeant labores.

8. Committitur p. provinciali Teutoniae peremptoria decisio litis inter conventum Viennensem et Sabariensem, concernentis summam quatuor millium florenorum.

9. Confirmamus et, in quantum opus est, de novo instituimus in procuratorem provinciae ad agendas causas in aula Caesarea rev. p. fr. Matthiam Lechner, ad petitionem eiusdem provinciae.

**Pro provincia Poloniae.**

1. Inhaerendo concordiae factae in nostra provincia Poloniae iuxta declarationem capituli provincialis Varsaviae habiti anno 1655, ordinamus, quod in dicta provincia praedicatores generales plures esse non possint quam triginta; viginti videlicet ex filiis conventuum provinciae, decem vero pro rata conventus Cracoviensis; committentes proinde futuro capituli provincialis diffinitorio et patribus provinciae, ut generales praedicatores ad praememoratum numerum reducantur, cassando amovendoque eos, qui qualitates non habent pro tali munere a legibus nostris requisitas.

2. Pro maiori tum studentium tum lectorum profectu confirmamus, quod rev. ac ill. nunc archiepiscopus Compostellanus huic provinciae concessit, nempe quod in conventibus s. Dominici Posnaniae, s. Stanislai Lubini et s. Hyacinthi Varsaviae sit studium formale, in quo legatur pro

forma et gradu magisterii, dummodo post praelectum integrum cursum philosophicum quinque continui anni in s. theologiae scholasticae lectura ibidem compleantur.

3. Confirmamus pariformiter ordinationem congregationis intermediae in conventu nostro Opatovicensi celebratae anno 1685, qua sancitur pro iustitiae distributivae indemnitate et ad resumendam antiquam provinciae praxim, ut deinceps pro gradibus vacaturis nulli reverendissimo praesententur, nisi qui per secreta patrum provinciae vota fuerint approbati et digniores caeteris reputati; si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane, et aliter graduatum in graduatorum numerum nullatenus admittendum declaramus.

4. Instituimus in regentem studii nostri generalis Cracoviensis rev. p. praesentatum fr. Bernardum Handel, et in praesentatos ad petitionem provinciae rev. pp. lectores fr. Thomam Zuan, fr. Antoninum Mdzewski, fr. Nicolaum Lanski, fr. Dominicum Krzevinski, fr. Thomam Mdzewski, fr. Vincentium Kuletza, fr. Ludovicum Lulkowski et fr. Damascenum Lubiniecki pro rata filiorum provinciae, pro rata vero Cracoviensi rev. pp. fr. Silvestrum Czechnic, fr. Valerianum Orlowski, fr. Ioannem Nazarium Enguer et fr. Dominicum Frydryckowicz.

## Pro provincia Aragoniae.

1. Statuimus et innovamus, quod in diversis capitulis generalibus Romae 1571 admonit. 2., Barcinonae 1574 admon. ult., item Romae 1601 ord. 3. et Vallisoleti 1605 admon. 1. statutum est, ut devotio ss. Rosarii, quam haereditariam a sanctissimo patre nostro suscepimus, omni zelo atque fervore propagetur, mandantes adm. rev. pp. provincialibus, ut in conventibus huius nostrae provinciae Aragoniae instituant patres, pietate ac devotione praeditos, qui singulis saltem dominicis breviuncula exhortatione proponendo huius piissimae devotionis utilitates, promulgando indulgentias et narrando miracula atque exempla, in quibus magna vis est animas attrahendi, populum ad hoc devotionis genus accendere conentur.

2. Ordinamus, quod studentes actuales dictae provinciae bis in anno examinentur, videlicet in recreationibus ante adventum et immediate post festum s. Ioannis Baptistae, atque eorum sufficientia per vota secreta approbetur, et si qui inhabiles defectu capacitatis reperti fuerint, a p. provinciali ad alia ministeria destinentur; qui vero ex desidia minus facientes inventi fuerint, dispensationibus consuetis priventur, prout etiam in diversis capitulis Romae 1629, Bononiae 1615 et Parisiis 1611 ordinatum fuit.

3. Statuimus, quod lectio, quae instituta fuit sacrae scripturae, sit imposterum textus angelici praeceptoris, ut antiquitus erat in praefata provincia.

4. Statuimus pariter, quod deinceps patres lectores omnibus annis, expleto cursu novem mensium, probent tempus peractae lecturae suae, accepta fide in scriptis a rev. p. priore, regente caeterisque lectoribus et scholasticis, praestito iuramento ipsorum de integritate vel defectibus, prout illo anno evenerint, atque annotando dies, quibus huiusmodi lectores lectionibus defuerunt, et non exhibita hoc modo attestatione in postulatione graduum nullatenus admittantur.

5. Ordinamus autem, ut lectores non postulentur ad magisterii gradum, nisi prius per quatuor annos legerint pro eodem gradu et forma in studiis generalibus, videlicet in principatu Cataloniae in conventibus Barcinonensi, Gerundensi et Terraconensi; in regno Aragoniae in conventibus Caesaraugustano, Calataiud et Oscensi; in regno Valentino in conventu Valentino, Satadensi et Luchintino; in regno Mayoricae in conventu regali eiusdem insulae et in omnibus collegiis approbatis.

6. Prohibemus, ne ex publico conventuum archivio extrahantur litterae, testimonia vel quodcumque aliud scriptum reddituum ipsorum ad processum vel causam aliquam agendam in tribunalibus nisi ex urgentissima ratione, notato prius die, mense et anno, relictoque in scriptis ad aliquem librum testimonio super tali extractione, insuper expressa illius extractionis causa.

7. Concedimus conventui nostro s. Mariae de la Guerra villae de Magalon titulum et effectum prioratus cum omnibus iuribus, gratiis et privilegiis, quibus alii conventus et prioratus gaudere solent, cum et ipse de facto duodecim fratres alat caeteraque omnia requisita pro prioratu habeat.

## Pro provincia Bohemiae.

1. Ordinamus, ut officia professorum in studio generali conventus Pragensis deinceps post elapsum terminum amplius non prolongentur, sed ordine successivo novi professores instituantur, nisi magistro generali ordinis aliter expedire visum fuerit.

2. Confirmamus concessionem pro hac provincia factam in capitulo generali Romae 1629, quod ex ea cum reverendissimi consensu et notitia mitti possint idonei fratres ad alias provincias studiorum causa, qui et benevole in his provinciis atque conventibus suscipiantur et ingenuis moribus ac litteris imbuantur.

3. Instituimus in regentem generalis studii Pragensis rev. p. fr. Thomam Tranquillo, sicut et in baccalaureum eiusdem studii rev. p. fr. Antoninum Pfrenger, quos ambos pro scholasticorum laborum suorum praemio praesentaturae gradu pariter insignimus.

4. Instituimus in s. theol. magistros titulo quidem scholastici muneris rev. p. praesentatum fr. Ambrosium Peretium, praedicationis autem titulo rev. p. fr. Adrianum Bamer, quorum merita sufficientia esse recognovimus.

5. In praedicatores generales dictae provinciae instituimus rev. pp. fr. Wenceslaum Kerzinger et fr. Ioannem Kutzera, quibus adm. r. p. provincialis determinatos conventus designabit.

**Pro provincia Provinciae.**

Approbamus et acceptamus in magistros numerarios provinciae cum voce et loco rev. pp. baccalaureos fr. Nicolaum Begou et fr. Iosephum Martin, qui omnes actus scholasticae regentiae in studio generali Aquensi perfecerunt, et loco illorum in baccalaureos instituimus rev. pp. fr. Ioannem Paulum Andreae et fr. Ioannem Rebaud, s. theol. lectores.

**Pro provincia Dalmatiae.**

1. Confirmamus ordinationem capituli Traguriensis, qua mandatur, ut in conventu nostro sanctae Mariae de Bolo nulli fratrum ad inhabitandum concedatur camera, quae pro recipiendo ill. et rev. d. episcopo Pharensi, dum ad visitandam ecclesiam nostram parochialem accedit, deputata est; poterit tamen pater provincialis tempore suae visitationis eandem inhabitare.

2. Committimus rev. magistro ordinis, ut revisis et examinatis huius provinciae actis de regimine illius et petitionibus disponat, sicut sibi videbitur in domino consultum.

**Pro provincia Trinacriae.**

1. In deficientia trigesimi numeri magistrorum provinciae Trinacriae, ad eiusdem petitionem instituimus in s. theol. magistros adm. rev. pp. fr. Ludovicum Vita, huius nostri capituli diffinitorem, fr. Ioannem de Ambroseo, fr. Reginaldum de Giorgio, fr. Vincentium Maria Mattiolo, fr. Vincentium Maria Oliveri, fr. Gregorium Rusco, fr. Paulum Rosa, fr. Paulum Muscat, fr. Vincentium Pistone et fr. Alexandrum Isiogrego, cum hi merita omnia requisita habeant.

2. Similiter pensatis meritis pro locis actu vacantibus instituimus in praedicatores generales rev. pp. fr. Antoninum Alberti, fr. Ludovicum Patti, fr. Iosephum Sollima, fr. Ioseph Rusco, fr. Hyacinthum Pascale, fr. Thomam Carbone, fr. Hyacinthum Campolo (1), pro conventibus designandis ab adm. rev. p. provinciali seu vicario provinciae.

3. Ordinamus, quod publicis philosophiae et theologiae lectoribus, quos conventus s. Ioseph Iacis. ex annua universitatis ibidem contributione centum quinquaginta aureorum alere debet, lectiones computentur, ac si fratribus legissent secundum nostrarum constitutionum formam; idque de facto etiam concedimus rev. p. lect. fr. Thomae Aliotta, qui per quinquennium tale munus in universitate ibidem exercuit, sicut lectoribus artium Melitae concessum fuit in capitulo praecedente Romae 1670 celebrato.

---

(1) De fr. Hyacintho Campolo cf. SSOP. II, 771.

4. Specialiter item concedimus rev. p. lect. fr. Nicolao Gennaro, quod, etiamsi tempore belli in provincia Siciliae nonnisi secularibus praelegerit, nihilominus cum caeteris possit pro obtinenda in ordine lectione theologica concurrere, ac si fratribus nostris praelegisset.

5. Erigimus in prioratus cum omnibus iuribus et privilegiis conventus ss. Rosarii Adernionis, s. Thomae Aquinatis Paternionis, ss. Rosarii Chusae et s. Antonii abbatis terrae sancti Angeli, cum de facto in sufficientem frugem exercuerint, et committimus rev. magistro ordinis, ut pro prima vice in dictis conventibus ex eorumdem alumnis sua auctoritate priores instituat.

6. Ordinamus, ut deinceps in quolibet diffinitorio provinciali huius provinciae tres missionarii iuxta vallium alternativam destinentur, qui illo triennio tale munus exerceant.

7. Ordinamus pro insula Melitae, quod numerus filiorum trium conventuum eiusdem sit taxandus a diffinitorio proxime futuri capituli provincialis dictae provinciae; quem numerum deinceps praefati conventus nunquam excedere possint.

### Pro provincia Portugalliae.

1. Instituimus in magistros numerarios provinciae cum loco et voce rev. pp. praesentatos fr. Antonium Pacheco, regentem actualem collegii nostri s. Thomae Conimbricensis, et fr. Gundisalvum de Cratto pro locis actu vacantibus per obitum adm. rev. pp. magistrorum fr. Georgii de Castro et fr. Bartholomaei Ferreira, cum iuxta apostolicas et ordinis sanctiones omnia ad gradum magisterii requisita habeant.

2. In praesentatos in loco assumptorum ad dictum magisterii gradum rev. pp. fr. Emanuelem a s. Augustino, lectorem vesperarium collegii s. Thomae Conimbricensis, et fr. Emanuelem a Resurrectione, pariter lectorem vesperarium conventus Eborensis, cum similiter omnia necessario requisita habeant.

3. Approbamus et acceptamus praesentaturam rev. p. fr. Thomae a s. Ioseph, lectoris vesperarii regalis conventus s. Dominici Ulyssiponensis. Praeterea acceptamus praedicaturas generales rev. pp. fr. Emanuelis de Madureria, fr. Emanuelis de Araujo et fr. Ioannis a Sacramento, quibus alias pro locis actu vacantibus missae fuerunt a magistro ordinis litterae patentes.

4. Cum iuxta laudabilem provinciae consuetudinem non soleant deputari in generalium studiorum regentes, penes quos, sine onere docendi, est omnis studiorum et studentium directio, nisi s. theol. magistri, quorum excellens virtus et morum gravitas longo annorum tractu comprobata est, removentes et remotum esse ac fore decernentes ab officio regentis in studio nostro generali Ulyssipponensi rev. p. praesentatum fr.

Emanuelem ab Ascensione, instituimus pro dicto studio in regentem adm. rev. p. fr. Augustinum a s. Thoma s. theol. magistrum.

5. Declaramus, patribus provincialibus huius provinciae pro tempore competere officiales ad officia conventuum deputare et determinare ac posse, dum expediens fuerit, illos etiam a patribus prioribus de patrum consilio constitutos a suis muneribus et officiis amovere.

6. Declaramus, in potestate diffinitorum capituli provincialis intermedii nullatenus esse suum provincialem ab officio suspendere; poterunt tamen, si casus exigeret, secretum scrutinium iudicio magistri ordinis submittendum super eius amotione vel retentione secundum ordinis morem instituere.

7. Declaramus ad patrum provincialis et diffinitoris huius capituli instantiam, visitatores et commissarios generales alicuius provinciae a magistro ordinis rite institutos durante tempore visitationis sibi in patentibus assignato, mortuo vel amoto magistro ordinis instituente, suis officiis nullatenus defungi.

8. Declaramus demum, aliarum provinciarum filios sicut etiam congregationis Indiarum Orientalium non a magistro ordinis, sed tantummodo a provincialibus assignatos, sub quocumque praetextu in provincia commorentur, voce activa et passiva in priorum electionibus carere.

### Pro provincia Bethicae.

1. In memoriam revocamus ordinationem capituli generalis Romae 1629 pro hac provincia, quod ad capitula provincialia seu intermedias congregationes non accedant illi, ad quos non spectat, sub poenis inhabilitatis iam statutis; insuper praelatis sub poena privationis a suis officiis praecipientes, ne ullatenus consentire praesumant.

2. Confirmamus ordinationem seu revocationem capituli provincialis dictae provinciae 1685 circa illos, qui tres artium et totidem theologiae cursus annuales compleverunt, ut mittantur ad minores conventus nec ad maiores redeant, usquedum attingant trigesimum quintum aetatis suae annum, idoneis ad lectiones dumtaxat exceptis et officialibus ad inserviendum conventibus; nomine autem officialium intelligi volumus cantores et vicarios solummodo.

3. Cum pluries ordinatum fuerit, quod nullus simul sit praesentatus et praedicator generalis, volumus, quod, qui modo tales existunt, dicto munere, scilicet praedicatoris generalis, sint privati, sicut eos de facto privamus; mandantes, ut praesentaturae gradus sint contenti.

4. Concedimus ad provinciae petitionem instantiamque utriusque senatus simul cum episcopo civitatis Pacensis, Hispanice dictae Badajoz, erectionem studii generalis et novitiatus, aggravantes superiorum conscientias, quod invigilent, ut ibidem promoveatur observantia regularis;

et quia pro parte provinciae repraesentatur, quod haec observantia vigeat in conventu ss. Rosarii et s. Dominici de Cadiz, etiam huic conventui novitiatum concedimus.

5. Committimus provinciali et diffinitoribus in capitulo provinciali vel intermedio congregandis, quod faciant novam designationem conventuum pro praedicatoribus generalibus secundum alternativam inter provinciam et conventus regales s. Pauli Cordubensis et Hispalensis cum hac dispositione, quod pro rata illorum conventuum designentur conventus vicini et propinquiores, ut, quod de residentia praedicatorum generalium in suis conventibus decretum est, facilius adimpleatur.

6. Instituimus in magistros procinciae cum voce et loco ad eiusdem petitionem pro rata filiorum dictae provinciae adm. rr. pp. fr. Ferdinandum de Soto Maior loco p. fr. Thomae de Espinosa numerarii defuncti, fr. Thomam Ruiz loco p. fr. Emanuelis de la Bella numerarii defuncti, fr. Franciscum Pardo loco p. fr. Ludovici Baptistae numerarii defuncti; pro rata autem filiorum regalis conventus Cordubensis s. Pauli fr. Ioannem de la Cruz, huius capituli generalis electorem, loco p. fr. Martini de Aillon numerarii defuncti.

7. Instituimus pro rata provinciae in s. theol. praesentatos titulo lecturae rr. pp. fr. Didacum de Navarette loco numerarii p. fr. Thomae Ruiz ad magisterium promoti, fr. Hyacinthum de Pedrosa loco numerarii p. fr. Francisci Pardo ad magisterium promoti, fr. Ioannem Martinez loco p. fr. Ferdinandi de Soto Maior numerarii ad magisterium promoti et fr. Hieronymum Tolon pro rata filiorum s. Pauli Cordubensis loco p. fr. Ioannis de la Cruz numerarii ad magisterium promoti.

8. Titulo autem praedicationis instituimus in praesentatos pro rata provinciae rr. pp. fr. Franciscum Posadas pro loco vacante fr. Francisci de Leon praesentati numerarii defuncti, fr. Andream Garzia pro loco vacante fr. Bartholomaei Bermudo praesentati numerarii defuncti, fr. Bartholomaeum de Lerma pro loco vacante fr. Ioannis de Castaneda defuncti, fr. Iosephum de Ponze de Leon pro loco vacante fr. Nicolai Paes praesentati numerarii defuncti, fr. Ambrosium de Ochoa pro loco fr. Martini de Moia praesentati numerarii defuncti, fr. Petrum Mudarra pro loco fr. Ioannis Guerrero praesentati numerarii defuncti, fr. Bernardum Diaz loco fr. Pauli del Valle praesentati numerarii defuncti, fr. Ioannem de Padial loco fr. Ioannis de Caia praesentati numerarii defuncti, pro rata autem s. Pauli Hispalensis fr. Philippum de Escobar loco fr. Ioannis de Morales praesentati numerarii defuncti.

9. Pro rata provinciae instituimus praedicatores generales rr. pp. fr. Rochum Dominguez loco fr. Bernardi Diaz ad praesentaturam promoti pro conventu de Cadiz, fr. Franciscum Gilipraet loco fr. Bartholo-

maei de Lerma ad praesentaturam promoti pro conventu regali Malacitano, fr. Franciscum Zarza Cardero loco fr. Iosephi Ponze de Leon ad praesentaturam promoti pro conventu regio de Xerez, fr. Salvatorem de Gongora loco fr. Francisci Zarza ad praesentaturam promoti ad conventum Xiriciensem pro conventu de Alcala de Gazules, fr. Antonium de Soto loco fr. Ioannis de Padial ad praesentaturam promoti pro conventu s. Andreae de Ubedae, pro rata autem conventus s. Pauli Hispalensis fr. Iosephum Vaides loco fr. Philippi de Escobar ad praesentaturam assumpti pro conventu s. Dominici del Campo.

10. Et quia in hoc capitulo generali sunt divisae praesentaturae a praedicaturis generalibus, instituimus praedicatores generales sequentes: pro filiis provinciae rr. pp. fr. Franciscum Paton pro conventu regali s. Catharinae Giennensis, fr. Nicolaum Fernandez pro conventu del Rosario de Almagro, fr. Ioannem Murciano pro conventu s. Dominici de Alcaraz, fr. Franciscum de Sanabria pro conventu s. Petri Martyris de Marchena, fr. Petrum Ortiz pro conventu Incarnationis de la Mina de Zafra; pro rata regalis conventus s. Pauli Cordubensis fr. Martinum de Linares pro conventu rosarii et s. Dominici de Cadiz, fr. Ildephonsum del Rio pro conventu s. Hyacinthi de Triana Hispalensis; pro rata conventus regalis s. Pauli Hispalensis fr. Didacum de Porras pro eodem conventu s. Pauli, fr. Antonium Badillo pro conventu de Lep, fr. Didacum de Nieba pro conventu de Archidona, fr. Antonium Calbo pro conventu de Scala Caeli civitatis Cordubensis, fr. Didacum de Orbaneia pro conventu s. Dominici de Nieba.

### Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Ad huius provinciae instantiam committimus magistro ordinis, ut iura eius antiqua circa postulationes et acceptationes graduandorum accurate et mature perponderando revideat, et si ex his aliquid ad dictam provinciam spectare pro sua prudentia cognoverit, ex nunc concedimus, ut his praerogativis fruatur.

2. Ad petitionem eiusdem provinciae declaratur, ordinationem capituli generalis 1650, qua statuitur, praelatos non posse ponere praecepta formalia sine consilio patrum, non intelligendam de praeceptis formalibus subinde a prioribus provincialibus ponendis in actis suarum visitationum vel in actuali eorum visitatione.

3. Quandoquidem ex separatione conventuum provinciae s. Rosae ab hac provincia numerus studentium tam philosophiae quam theologiae non parum diminutus sit, ut studiis generalibus huius provinciae de competenti studentium numero imposterum provideatur, omnia particularia studia tam philosophiae quam theologiae a quocumque provinciae conventu amovemus ac cassamus et post hac erigi de novo prohi-

bemus taliter, ut omnes studentes deinceps mittendi sint ad studia generalia Lovaniense et Antverpiense vel ad studium morale Brugense, pro iis qui ad studia speculativa minus habiles reperientur; volentes, ut in studio Lovaniensi observentur ordinationes rev. p. generalis Turci in sua visitatione pro dicto studio relictae; ne autem ex ea amotione ac cassatione studiorum particularium principaliores aliqui conventus fratrum clericorum necessario obsequio careant, nec conventus novitiatuum a provincia vel ab ordine deputatorum seu concessorum sufficienti fratrum novitiorum numero defraudentur, dum videlicet plerique ad unum dumtaxat novitiatum mittuntur, imposterum taliter ac hoc modo novitiatus eiusdem provinciae ordinentur, ut videlicet novitii conventuum Gandensis, Brugensis, Antverpiensis, Mechliniensis et Lyrani instruantur in novitiatu Gandavensi, novitii conventuum Lovaniensis, Bruxellensis, Montensis, Braniensis, Namurcensis, Vilvordiensis in Bruxellensi, ad Mosae Traiectensem autem mittantur novitii conventuum Calcariensis, Zittardiensis et Tongrensis.

4. Quia vero experientia longa comprobatum fuit, quod provincia Germaniae inferioris in maxima ac tranquilla pace usque modo constiterit propter ternativam provincialium, diffinitorum et electorum magistri ordinis, conformiter ad declarationem in ea parte factam ab ill. d. archiepiscopo Compostellano, tunc magistro ordinis, paci eidem consulendo decernimus, ut eadem ternativa in suo vigore permaneat, non obstante diminutione conventuum erectorum in provinciam s. Rosae, et ex consequenti habeatur etiam eadem ratio nationis Gallo-Belgicae et Flandricae in ordine ad promotiones scholasticas in studiis generalibus, nullique liceat ad istius ternativae divisionem quoquomodo allaborare sub poenis alias in hac parte statutis.

5. Innovando confirmamus per hoc capitulum generale declarationem rev. patris generalis nuper factam circa patres missionarios et eorum socios missos aut mittendos in confoederatas provincias Belgii ac districte observari mandamus, quod videlicet iidem patres missionarii sint ac censeantur subiecti suo provinciali; et ideo iuxta iudicium sui provincialis revocari possint ad suos conventus, accedente vel maxime assensu vicarii apostolici pro iisdem provinciis deputati et praefecti missionis pro tempore; neque de pecuniis aut aliis quibuscumque rebus ab iisdem acquisitis disponere possint sive in vita sive in morte, sed toties quoties a suo provinciali requisiti fuerint, sincerum et accuratum computum de receptis et expensis tradere, similiter ei obedire, mandata eius et ordinationes executioni mandare teneantur quod ea, quae vocationis eorum sunt ac votorum, praesertim obedientiae ac paupertatis. Si vero ad conventum et habitum ordinis revocati redire recusaverint et post spiritualia

ordinis adminicula adhibita in missionis functionibus vel in confoederatis provinciis manere praesumpserint, suffragiis ordinis tam in vita quam in morte privati existant; utque ferventiori modo suae et proximorum saluti per recollectionem conscientiarum suarum consulere possint, et se ipsos non negligant, dum alios curant, ad minus singulis bienniis in aliquo conventu provinciae, a patre provinciali pro tempore existente designando, exercitia decem dierum diligenter exequi teneantur.

6. Quandoquidem vicariatus noster Lyranus in capitulo generali 1650 in conventum erectus fuerit, erectio tamen illa usque modo sine effectu remanserit, desiderio magistratus ac votis Lyranae civitatis satisfacere volentes, eundem vicariatum denuo in conventum erigimus cum omnibus iuribus ac privilegiis ordinariis aliorum conventuum eiusdem provinciae. Similiter etiam vicariatum Vilvordiensem, alias etiam in eodem capitulo in conventum erectum, ut ea ratione provideamus diminutioni eiusdem provinciae seu eam aliqualiter resarciamus. Committimus autem nominationem seu institutionem patrum priorum eorumdem respective conventuum adm. r. p. magistro provinciali eiusdem provinciae, ad minus intra tres menses a suo in provinciam reditu exequendam.

7. In praedicatores vero generales instituimus conventus quidem Lyrani p. fr. Hieronymum Verschuren, hic modo praesentem, conventus vero Vilvordiensis p. fr. Vincentium Marchant, conventus Bruxellensis seniorem ac iubilarium.

8. In receptione novitiorum ad habitum clericalem observari volumus formam tam in congregatione Bruxellensi quam in ultimo capitulo provinciali Gandavensi praescriptam, quam proinde harum serie confirmamus.

9. In regentem secundarium studii nostri generalis Antverpiensis instituimus modernum magistrum studentium p. fr. Henricum Hedichuysen.

10. Ad gradum baccalaureatus pro rata nationis Flandricae promovemus in locum p. fr. Francisci Ioyeux (1) p. fr. Thomam du Iardin (2) in universitate Lovaniensi s. theol. licentiatum; pro locis autem aliis duobus actu vacantibus p. fr. Bernardum de Keyser et p. fr. Dominicum Pluvier.

11. Approbamus et acceptamus promotiones ad gradus et praedicaturas generales a tempore ultimi capituli generalis pro hac provincia factas a rev. p. generali fr. Antonio de Monroy, nunc ill. archiepiscopo Compostellano.

---

(1) De fr. Francisco Ioyeux cf. SSOP. II, 771.
(2) De fr. Thoma du Iardin cf. l. c. pag. 813.

**Pro provincia Apuliae.**

1. Concedimus, ut in conventu nostro imperiali de Tarento possit erigi tertius provinciae novitiatus, dummodo primitus in eodem vigeat perfecta communitas, et omnia ea observentur cum effectu, quae observanda vigore constitutionum apostolicarum et lege ordinis statuuntur in domibus illis, in quibus novitii educandi sunt.

2. Pro commodiori comitiorum provincialium celebratione indulgemus, quod deinceps celebrentur vel Tarenti vel Monopoli vel Licii.

3. Instituimus in magistrum provinciae cum loco et voce adm. r. p. fr. Vincentium Messapia priorem provincialem, cum habeat stricta requisita et locus vacet.

4. Promovemus similiter ad magisterii lauream cum voce et loco rr. pp. fr. Vincentium Nicolas, fr. Dominicum Spada, fr. Ioannem Donatum Nonna, fr. Benedictum Iove, fr. Iustum Manesi de Licio, fr. Thomam Morciani, fr. Thomam Montanum, cum loca actualiter sint vacantia et requisita iuxta sanctiones apostolicas non desint.

5. Instituimus in praedicatores generales pro locis vacantibus rr. pp. lectores fr. Ambrosium a Ferrandina pro eodem conventu, fr. Gulielmum a Cupertino pro conventu s. Mariae de Raccomandatis de Neritono, fr. Pium Portio de Meduneo pro conventu s. Dominici de Bitunto, pro conventu s. Thomae Tranensi p. fr. Thomam Bernardum Villagomes, fr. Thomam Resta de Messapia pro eodem conventu s. Thomae, fr. Thomam Asprelli pro conventu s. Dominici de Matera, fr. Augustinum Resta pro conventu s. Mariae Magdalenae de Brundusio, fr. Vincentium Solito pro conventu ss. Annuntiatae de Castellaneta, fr. Bernardum de Tricasio pro eodem conventu, fr. Ioannem Baptistam de Tarento pro conventu s. Mariae Gratiarum de Uria et fr. Hyacinthum de Dominicis pro conventu s. Dominici de Milficto, qui omnes cum particulari honore munera praedicationis secundum legum dispositionem obierunt.

6. Transferimus praedicaturam generalem fr. Vincentii Scarpina a conventu ss. Petri et Pauli de Tricasio ad conventum s. Annuntiationis de Gallipoli.

7. Erigimus in prioratus vicariatus nostros s. Annuntiationis de s. Vito, s. Ioannis de Liliis, s. Dominici de Rutiliano et s. Dominici de Mola, conventibus autem ss. Rosarii de Casalnovo, s. Dominici de Vigiliis et s. Dominici de Parabita vocem damus in electionibus provincialium, siquidem per plurimos annos cum studio duodecim fratres aluerunt.

8. Concedimus conventui nostro de Messapia, quod eius pro tempore vocales possint sibi actuales aliorum conventuum minorum priores in suos praelatos eligendo assumere, et conventui s. Annuntiationis de

Licio, quod quorumcumque etiam maiorum conventuum priores sibi praeficere possit.

**Pro provincia Calabriae.**

1. Instituimus in magistros cum loco et voce rr. pp. fr. Thomam Nepita, fr. Dominicum de Ierocarne et fr. Dominicum Petronio, cum omnia habeant requisita, et loca vacent in numero trigesimo a capitulis generalibus anno 1564, 1569, 1629 et 1644 huic provinciae concesso, quem confirmamus.

2. Damus in praedicatores generales rr. pp. fr. Ludovicum a Cassano pro conventu Altimontis, fr. Angelum Ferrao pro Cosentino, fr. Dominicum a Neocastro pro Neocastrensi, fr. Franciscum Calabrese pro conventu Tabernarum, fr. Vincentium a Mesoraca pro conventu Zagaresii, fr. Angelum a Cimigliano pro conventu Tirioli, fr. Hyacinthum Pyro pro conventu Rubbani, fr. Hyacinthum Iovino pro conventu Serrarum, fr. Dominicum Lauro pro conventu Celici, fr. Albertum Cassano pro conventu Cerisani, fr. Ioannem Baptistam Tedesco pro conventu Montisalti, fr. Antonium Gaudiosum pro conventu Bisiniani, fr. Hyacinthum a Murano pro conventu Amigdolariae, fr. Dominicum a sancto Onuphrio pro conventu Montisleonis, fr. Ioannem Baptistam Casida pro conventu Briatici, fr. Reginaldum a Filogasio pro conventu Filogasii, fr. Thomam Aleni pro conventu Castriveteris, fr. Hyacinthum Piromalli pro conventu Agrottareae, fr. Ioannem Baptistam a Siderno pro conventu Siderni, fr. Pium Tropiano pro conventu Placanicae, fr. Thomam Leo pro conventu Radicenae, fr. Clementem Rosarno pro conventu Rosarni, fr. Iosephum Amato pro conventu Catanzarii, fr. Dominicum Panetta pro conventu Russani et fr. Dominicum a Polistina pro conventu Balneariae.

3. Confirmamus et approbamus magisteria rr. pp. fr. Alberti a sancto Benedicto, fr. Antonii Amato, fr. Antonini a Castrovilla, fr. Thomae Pirro, fr. Antonini Condomitti (1), fr. Hyacinthi Gesi, fr. Gregorii a Stallati, fr. Francisci Scilla, fr. Thomae Lauro et fr. Hyacinthi Filipponi.

4. Cum in hac provincia sit orta difficultas inter praedicatores generales et magistros novitiorum simplicium, quinam prius debeant sufferre suffragium, declaramus primas ex iure praedicatoribus generalibus deberi, si caetera paria sint.

5. Declaramus, emanasse breve in favorem conventus nostri s. Mariae Salutis de Neapoli ss. d. n. Innocentii XI, die 15. martii 1680, quo instituuntur filii in illo conventu secundum formam, sicut et decretum confirmativum sac. congregationis episcoporum et regularium die 10. iulii anni 1685.

---

(1) De fr. Antonino Condomitti cf. SSOP. II, 769.

6. Confirmamus ordinationes rev. et ill. d. archiepiscopi Compostellani concernentes hospites accedentes ad praedictum conventum.

7. Admonemus priores conventus nostri s. Dominici in Suriano, ut cum omni aequitate et iustitia seculares subditos studeant gubernare, vetamusque, ne ullum indigenam audeant in illo conventu ad habitum suscipere.

8. Ordinamus, quod tertiarii semel ab uno provinciali tunica spoliati non possint sine expressa magistri ordinis licentia et dispensatione denuo a successoribus ad habitum recipi.

9. Erigimus in prioratus vicariatus nostros s. Mariae de Iesu, Stili et s. Dominici de Badolato, cum duodecim fratres alant.

10. Instituimus in regentem collegii nostri Rheghini r. p. fr. Alanum de Murano et in magistrum studii eiusdem collegii r. p. fr. Albertum de Moromanno; baccalaurei munere in studio nostro generali Consentino fungentur illi secundum suae professionis ordinem, qui ibidem magistri studentium officium cum fructu et laude perfecerunt.

11. Servatis de iure servandis affiliamus r. p. fr. Hyacinthum a Sidernio conventui Siderni a conventu Condoianni, fr. Vincentium Vito conventui Mesuracae de conventu Bellicastri, fr. Dominicum Speciale conventui Cirifalci a conventu Tropeae, fr. Iosephum a Staleti conventui Saracenae a conventu Tabernarum, fr. Matthaeum de Dasa conventui Rosarum a conventu Castrimonardi, fr. Ioannem Baptistam de Misignadii conventui Laureanae a conventu Rosarni, fr. Vincentium de s. Georgio conventui Rhegino a conventu Rosarni, fr. Marcum a Bisiniano conventui Acri ex conventu Filogasii et fr. Iosephum de Badolato conventui Badolati ex conventu Agrottareae.

### Pro provincia s. Crucis Indiarum.

1. Confirmamus omnes et singulas ordinationes pro felici gubernio huius provinciae ab ill. et rev. d. archiepiscopo Compostellano emanatas.

2. Ad praecavenda quamplurima inconvenientia, quae in provincialium electionibus occurrere solent propter conventuum distantiam, concedimus ad petitionem provinciae, ut omnes deinceps electiones fiant in conventu s. Hyacinthi de Caracas.

3. Ordinamus, quod provinciales, quando mittunt fratres de uno in alium conventum, curent solvere expensas pro navigationibus faciendis et nullo modo permittant, quod fratres transeant de una insula in aliam nisi in securioribus navigiis, tum ne fratres veniant in captivitatem per manus piratarum, tum ne periclitentur in mari, ut frequentissime accidit.

4. Ordinamus, ut illa quae ill. archiepiscopus Compostellanus praecepit circa constructionem infirmariae in conventibus de la Habana et de Caracas, quamprimum executioni mandantur.

5. Instituimus in s. theol. praesentatos rr. pp. fr. Didacum de la Masa in loco actu vacante ob assumptionem ad magisterium fr. Ioannis de Olivera et fr. Franciscum de Myres pro loco actu vacante ob assumptionem ad magisterium fr. Francisci de Sylva; in praedicatores autem generales instituimus fr. Iosephum de los Cobos et fr. Matthaeum de s. Thoma, dummodo singuli omnia habeant requisita et loca actu vacent.

**Pro provincia Hiberniae.**

1. Acceptamus concessionem factam ab ill. archiepiscopo Compostellano, qua conventum s. Sixti cum sibi annexo conventu s. Clementis incorporavit provinciae Hiberniae pro bona educatione religiosorum iuvenum Hibernorum ad missionem peragendam.

2. Praecipimus et mandamus, quod deinceps in dictis conventibus ss. Sixti et Clementis in Urbe studentes, lectores et praelati indiscriminatim, non habito respectu ad diversitatem nationum, sed spectatis tantum meritis et idoneitate personarum, assumantur.

3. Prohibemus, ne quis de caetero alternationem aut divisionem in dicta provincia inducere attentet, prout hoc ipsum prohibitum est in capitulo generali Romae sub rev. magistro de Marinis celebrato.

**Pro provincia Mexicana.**

1. Confirmamus designationem a tribus capitulis provincialibus in provincia Mexicana factam, ut in conventu extra muros Mexici, cuius titulus est « Nostra domina de Pietate » stricta regularis observantia introducatur; quoscumque autem contravenientes voce activa passivaque privamus; quam poenam eosdem incurrisse r. patres dicti conventus pro tempore prior poterit declarare.

2. Districte mandamus adm. rr. pp. provincialibus, ut accurate observent omnia et singula, quae circa assignationes fratrum pro huiusmodi conventibus observantiae statuta sunt a pluribus capitulis generalibus, maxime Vallisoleti 1605 ord. 5.

3. Ad providendum nonnullis conventibus de sufficientia fratrum concedimus, quod in praedicto conventu « Dominae nostrae de Pietate » vestiantur fratres, qui affiliari possint cuilibet conventui et domui totius provinciae, Mexicano et collegiis exceptis.

4. Mandamus pariter, quod praedicto conventui quilibet conventus et vicaria pro alendis suis novitiis contribuat secundum proportionem oneris.

5. Prohibemus autem, ne patres provinciales pro tempore a communi domo novitiorum extrahant fratres ante expletum ad minus in novitiatu triennium, etiamsi sint sacerdotes vel doctores, ne quidem sub titulo eosdem ad collegia mittendi.

6. Ordinamus, quod numerus fratrum in conventu Mexicano non debeat excedere centenarium, quatenus ita tantisper relevetur ab ingenti debitorum summa, quam annuatim exsolvere tenetur.

7. Utque haec ordinatio pro revelando conventu dicto infallibiliter observetur, praecipimus adm. rr. pp. provincialibus et prioribus pro tempore, ut nullum eximant ab officio hebdomadarii, etiamsi sit praedicator generalis, exceptis syndico, sacrista et quatuor confessariis, quos debebunt designare de baccalaureis, ne sit necessitas dispensandi alios de iure non exemptos.

8. Ad procurandum studiorum profectum, qui ex occurrentium tot festorum tum de praecepto tum ordinis nostri non modice in dicta provincia impeditur, statuimus ad petitionem nobis factam, ut tempore augusti pro vacationibus annuis nonnisi viginti dies habeantur, et aboleatur consuetudo cessandi a studiis in festis ordinis nostri.

9. Insuper statuimus, ut magistri studentium continuent circulos quotidianos etiam in quadragesima et diebus veneris totius anni cum horis vespertinis suppetat tempus, quod mane praedicatione impeditur.

10. Ordinamus praeterea, quod imposterum ultimum examen, antequam studentes a suis studiis absolvantur, non fiat per puncta ante 24 horas eisdem assignata, sed de omnibus materiis, quas tempore studiorum audierunt, teneanturque easdem bene scriptas examinatoribus praesentare, secus a studiis non absolvendi, etiamsi terminum eorumdem attigerint.

11. Ordinamus, quod priores de Guadalaxara et Zacatecas, qui ad minus non habuerint duodecim fratres clericos et duos conversos, non gaudeant voce in capitulis provincialibus, cum huiusmodi conventus habeant sufficientes redditus et eleemosynas ad debitum fratrum numerum sustentandum.

12. Specialiter declaramus, omnes et singulas ordinationes ab ill. archiepiscopo Compostellano pro hac provincia factae in suo robore permanere.

13. Prohibemus, ne provinciales impediant priores, quominus mittant studentes ad assistendum funeribus defunctorum, neque in eo rectores collegiorum contradicant, praeterquam in casibus exceptis ab ill. archiepiscopo Compostellano.

14. Statuimus, quod ordinatio super triplici examine confessariorum de triennio in triennium faciendo extendatur etiam in dicta provincia ad ministros sacramentorum inter Indos, qui proinde similiter ante trinum examen non censeantur simpliciter approbati.

15. Ad tollendas e medio lites districte praecipimus, quod in hac provincia in omnibus capitulis provincialibus instituantur novi vicarii pro

omnibus et singulis domibus provinciae, declarantes, nullum immediate assumi vel institui posse ad eandem vel aliam vicariam administrandam, imo si quispiam in demortui locum pro aliquo tempore fuerit substitutus a p. provinciali vel ab iis, ad quos de consuetudine provinciae spectat, eundem similiter volumus nec in illa vicaria posse continuari aut in alia a proxime sequenti suae substitutionis tempore in capitulo provinciali institui.

16. Approbamus magisteria rr. pp. fr. Antonii Suazo et fr. Andreae de Monroy pro locis actu in provincia vacantibus per obitum rr. pp. mag. fr. Ioannis Alvarez et fr. Francisci Muños de Molina, quos proinde loco et voce gaudere declaramus.

17. Cassamus et annullamus quodcumque privilegium vel consuetudinem, virtute quorum conventus nostri de Guadalaxara et Zacatecas praetendunt et titulum et praerogativam studii generalis, neque deinceps quidquam eorum praetensioni suffragari volumus.

## Pro provincia s. Vincentii de Chiappa.

1. Instituimus in studium generale collegium nostrum Civitatis Regalis cum omnibus gratiis, privilegiis et praerogativis aliis studiis generalibus in ordine quomodolibet competentibus.

2. Confirmamus, quae circa designationes conventuum pro praedicatoribus generalibus ab ill. et rev. archiepiscopo Compostellano ordinata et a diffinitorio capituli provincialis anno 1685 die 10. ianuarii statuta fuerunt.

3. Concedimus huic provinciae, quod illi, qui per decem annos continuos lectioni artium et theologiae scholasticae laudabiliter et cum fructu insudarunt, possint ad gradum magisterii postulari et promoveri.

4. Confirmamus patentes patri procuratori huius provinciae ab ill. et rev. archiepiscopo Compostellano concessas, ad missionarios in provinciam ex Hispaniis deducendos.

5. Serio monemus, ne deinceps diffinitorium capituli exponere praesumat fratres ad Indorum confessiones audiendas, etiamsi perfectissime linguam illorum calleant, cum privilegium seu consuetudo quaedam exponendi fratres ad audientiam confessionum in Indiis sit a sancta sede apostolica abrogatum et declaratum, omnino standum esse determinationi concilii Tridentini.

## Pro provincia Occitania.

Committimus magistro ordinis, ut de gradibus in hac provincia vacantibus iuxta distributivae iustitiae normam huius capituli generalis auctoritate et sua prudentia disponat, dummodo in candidatis merita adsint; idem intelligimus, quod videlicet disponat de omnibus aliis, quae in eadem ad regularem disciplinam et religiosam observantiam promo-

vendam expedire videbuntur. Reverendissimus autem pro locis actu vacantibus nominavit ad magisterium adm. rr. pp. fr. Hyacinthum de Fontvielle et fr. Carolum Descars, quorum magisteria acceptando approbamus.

## Pro provincia s. Catharinae martyris de Quito.

1. Committimus rev. magistro ordinis, ut examinatis ordinationibus pro bono huius provinciae regimine ab ill. et rev. d. archiepiscopo Compostellano stabilitis anno 1681 statuat, quod pro sua prudentia illi provinciae magis expedire iudicaverit; hoc etenim peracto iudicio, omnia et singula exactissime observari mandamus.

2. Confirmamus erectionem et fundationem regalis collegii b. Ferdinandi regis catholici, studiumque generale et universitatem sub patrocinio s. Thomae Aquinatis in eo erectam fuisse a ss. d. n. Innocentio XI. per breve sub datum die 11. aprilis 1681 denuntiamus.

3. Pro commoda huius collegii manutentione applicamus eidem omnia et singula bona adm. r. p. mag. fr. Ignatio de Quessada, huius capituli diffinitori, ad usum concessa et imposterum concedenda, sicut etiam omnia illa, quae ill. et rev. d. archiepiscopus Compostellanus eidem collegio ex bonis conventus attribuenda censuit, uti patet ex scripturis hanc attributionem concernentibus.

4. Declaramus, magistrorum numerum in hac provincia duodecim fuisse, decem scilicet titulo lectionis et duos titulo praedicationis; praesentatorum sexdecim, decem titulo lectionis ac reliquos titulo praedicationis; modo autem ad provinciae instantiam duo magisteria et duas praesentaturas titulo lectionis adiungendas decernimus atque in his illos, qui in universitate ac collegio regali b. Ferdinandi graviter laborarint, caeteris praelatos volumus.

5. Ad eiusdem provinciae instantiam concedimus septem praedicaturarum generalium loca illis dumtaxat conferenda, qui per sexennium fructuose et laudabiliter praedicaverint inter fideles, titulo linguae Indorum; pro illis autem, qui inter infideles verbum Dei disseminaverint, triennium sufficere et aliis praeferendos declaramus.

6. Instituimus in praesentatum et praedicatorem generalem cum loco et voce r. p. fr. Petrum de la Barera, qui per triginta annos cum maxima provinciae utilitate munus procuratoris obiit, imo fixum hoc praemium pro illis, qui imposterum in hoc laborioso officio tria lustra cum laude perfecerint, stabilimus.

7. Approbamus magisterium adm. r. p. m. fr. Ignatii de Quessada, huius capituli generalis diffinitoris, pro loco actu vacante per obitum p. mag. fr. Francisci de la Torre, sicut etiam omnium aliorum gradus, qui ab ultimo capitulo generali usque modo promoti fuerunt.

8. Instituimus in magistros titulo lectionis rr. pp. praesentatos fr. Iosephum de Valderama et fr. Iosephum de Ariola, qui omnia requisita habent, et loca vacantia sunt ob mortem rr. pp. mag. fr. Bartholomaei Nunez et fr. Hieronymi Savallos; titulo vero praedicationis magistrum creamus r. p. praes. fr. Ferdinandum de Lomas in locum vacantem per obitum r. p. mag. fr. Francisci a s. Michaele; item titulo lectionis conferimus praesentaturas actu vacantes rr. pp. lectoribus fr. Gabrieli de Lolano et fr. Didaco de Romano, titulo praedicationis autem concedimus praesentaturae gradum rr. pp. praedicatoribus generalibus fr. Michaeli de Quintero loco r. p. fr. Ferdinandi de Lomas ad magisterium assumpti, fr. Hyacintho de Villaforte loco r. p. fr. Didaci Vaca de Orteja ad magisterium assumpti, et fr. Iosepho a s. Thoma loco p. fr. Martini Mexia cum retentione suarum praedicaturarum generalium.

9. Instituimus in praedicatores generales rr. pp. fr. Balthasarem de Esparsa et fr. Ioannem de Valentia pro locis vacantibus r. p. fr. Ferdinandi Lomas ad magisterium assumpti et r. p. fr. Ioannis de Ribadiniera defuncti.

10. Denique titulo linguae Indorum instituimus in praedicatores generales pro locis supra constitutis rr. pp. fr. Emanuelem de Tobar, fr. Florentium de Escobar, fr. Michaelem de Villalta, fr. Franciscum de Araujo Tabuada, fr. Thomam de Morales, fr. Franciscum Fernandez et fr. Gundisalvum Rodriguez.

**Pro provincia sanctissimi Rosarii Philippinarum.**

1. Confirmamus ad petitionem provinciae omnes et singulas ordinationes, quas pro bono illius regimine ill. et rev. d. archiepiscopus Compostellanus sancivit.

2. Confirmamus patentes ab eodem ill. et rev. concessas r. p. lect. fr. Ildelphonso Santin, procuratori eiusdem provinciae, quarum vigore missionarios ex Hispaniis conducere potest.

**Pro provincia s. Petri Martyris.**

1. Declaramus, quod omnes affiliationes concedendae, si a provincia reiectae et non acceptatae fuerint, imposterum nullae, irritae et inanes censeantur.

2. Declaramus, quod publici universitatis Taurinensis professores, cum nullum exercitium scholasticum in nostro illius communitatis conventu habeant et alias non sint in eodem assignati, ad conventus, quorum respective sunt filii vel assignati, pertineant; unde conventum nostrum Taurinensem nec ad medicinalia nec ad vestiarium illis tribuendum obligari decernimus.

3. Declaramus, praedicatores annuales diebus, quibus non praedicant, ad chori diurni et nocturni sequelam teneri.

4. Confirmamus denuntiationem capituli provincialis Mediolani ad s. Eustorgium anno 1685 celebrati, qua enuntiatur, ill. et rev. d. archiepiscopum Compostellanum omnia probasse, quae pro foelici manutentione et incremento communis bibliothecae a patribus a consilio dicti conventus nostri admissa, statuta et stabilita fuere, et, quatenus opus est, singulare firmitatis robur nostra auctoritate adiicimus.

**Pro provincia s. Catharinae Senensis.**

1. Erigimus in conventus formales, dummodo duodecim fratres alant vicariatum s. Dominici de Planella et s. Annuntiationis Castrisanguinis, atque in huius primum priorem damus r. p. fr. Andream de Amicis, illius vero r. p. fr. Innocentium Conte.

2. Damus in regentem generalis studii nostri s. Mariae ab Arcu r. p. bac. ordinarium fr. Clementem Fioretti et regalis collegii Aquilani r. p. bac. fr. Antonium Melonem.

**Pro provincia Russiae.**

1. Instituimus in regentem studii nostri generalis Leopoliensis adm. r. p. mag. fr. Lactantium Rutha.

2. Approbamus provisionem adm. r. p. mag. fr. Hyacinthi Moiecki nunc actualiter legentis in baccalaureum eiusdem studii generalis, et post terminatum illius officium ex nunc instituimus r. p. praes. fr. Thomam Nargelewicz, qui ambo post cursum philosophicum munus magistri studentium perfecerunt.

3. Approbamus similiter institutionem r. p. lect. fr. Michaelis Garnukowski in magistrum studentium et post eum damus pro hoc officio r. p. lect. fr. Pium Swirski.

4. Ordinamus, quod deinceps nullus ad legendum philosophiam in studio generali Leopoliensi memorato assumatur, qui non prius in alio provinciae studio totum artium cursum praelegerit; quod si secus factum fuerit, ad magisterium studii obeundum nullatenus admittatur.

5. Acceptamus loca noviter ordini oblata, dummodo secundum sacros canones et statuta ordinis provisa sint ad alendum duodecim fratres, domos videlicet Klecensem ab ill. d. duce Radizivilio, supremo magnis ducatus Lithuaniae mariscalco, Holowczynensem ab ill. d. Andrea Potochi, castellano Cracoviensi, et Samuel Polensem a perillustri d. Samuele Casimiro de Ciechanowiecki, succamerario Micislaviensi.

6. Erigimus in conventum formalem vicariatum nostrum Klecensem, cum eius redditus sufficientes sint ad duodenarium numerum fratrum alendum et habeat omnia alia requisita, ac in primum eius priorem instituimus r. p. mag. fr. Innocentium Czeski, huius capituli diffinitorem, quemadmodum in primum praedicatorem generalem r. p. fr. Albinum Zuchalski.

7. Serio commendamus p. provinciali, ut omnibus viribus satagat fabricam novitiatus generalis ad s. Mariam Magdalenam continuari, ad quem effectum omnium fratrum morientium deposita et cappellanorum campestrium salaria huic fabricae ex nunc addicimus, usquedum perfecta sit.

8. Confirmamus reclusionem nostrarum tertiariarum in lapidea Rabiczkowska volumusque, ut una commorentur et simul ad ecclesiam veniant; caetera denique provinciae iura in suo robore permanere decernimus.

9. Indulgemus p. Dominico Hyacintho Malinowiski et p. Vladislao Sklarski, ut possint ad suam originariam provinciam reverti.

10. Instituimus in praedicatores generales pro conventu ss. Rosarii r. p. fr. Petrum Konarzewski et pro conventu Brodensi r. p. fr. Leopoldum Balczewski.

11. Transferimus affiliationem adm. r. p. mag. fr. Hyacinthi Slawinski a conventu Iesupoliensi ad Leopoliensem Corporis Christi et r. p. praed. gen. fr. Dionysii Przylucki a conventu Kiioviensi ad conventum s. Mariae Magdalenae.

12. Instituimus in lectorem artium pro primo cursu in studio nostro generali Leopoliensi fr. Henricum Woytkowski, qui coram reverendissimo cum laude conclusiones defendit, et hoc iure etiam specialem gratiam meretur.

### Pro provincia Parisiensi.

1. Confirmamus novitiatus simplicium novitiorum ex praescripto capituli provincialis erigendos in conventibus nostris Lugdunensi et Cenomanensi, dummodo in illis praevie ad alicuius novitii simplicis solemnem acceptationem vigeat cum perfecta communitate exactissima constitutionum nostrarum observantia, et hac unica conditione non adimpleta, tam capituli determinationem quam hanc nostram confirmationem nullam declaramus.

2. Confirmamus ordinationes adm. r. p. mag. fr. Nicolai Gaultier de Brullon, provincialis Parisiensis, pro bono conventus nostri s. Iacobi Parisiis regimine de 10. februarii huius anni relictas et iussu diffinitorii revisas et examinatas, unde easdem inviolabiliter observari mandamus.

### Pro provincia Lithuaniae.

1. Confirmamus ad petitionem nobis factam huic provinciae gratias concessas in capitulo Valentino 1647 et Romae 1650, volentes, quod etiam imposterum adm. r. p. provincialis cum patribus provinciae possit nova loca recipere et in conventus erigere, monito tamen reverendissimo magistro ordinis.

2. Relinquimus dictae provinciae prioribus provincialibus, quod sua potestate conferre possint officium magistri studentium in studio generali.

3. Similiter concedimus provinciali huius provinciae facultatem designandi atque mittendi missionarios specialiter ad loca inter haereticos sita, et ubi se offert occasio ad fundationem conventuum in ducatu Curlandiae.

4. Acceptamus atque ad petitionem eiusdem confirmamus fundationem munificentissimam Hutini in dioecesi Vilnensi factam ab illustrissimo d. Christophoro Iurewiz Stabrowski, capitaneo Surasensi, et eiusdem consorte illustrissima d. Ciechanowiecka Stabrowsha etc., sicut etiam fundationem sub titulo s. Mariae super Arenam in Piaski illustrissimi et excellentissimi Casimiri Sapieha, palatini Vilnensis, generalissimi ducis exercituum magni ducatus Lithuaniae.

5. Instituimus in s. theol. magistrum pro loco actu vacante adm. rev. p. fr. Stanislaum Hinz, cuius scholastica merita et religiosam vitam habemus comprobatam.

6. Concedimus rev. p. praesentato fr. Eustachio Lodziata, ut ex congregatione b. Iacobi Salomonii ad suam Lithuaniae provinciam revertatur; quem insuper expleto regentatu adm. rev. p. mag. fr. Francisci Iwaszkiewicz in generalis studii nostri regentem praeficimus, atque intuitu laborum tum intra tum extra nativam provinciam suam laudabiliter praestitorum tenore praesentium instituimus s. theol. magistrum pro loco actu vacante.

7. Pariter instituimus in s. theol. magistrum expleto sui baccalaureatus munere et pro loco actu vacante rev. p. praesentatum fr. Bonaventuram Szymkun, cum non careat aliis meritis requisitis.

8. Promovemus etiam ad gradum baccalaureatus seu praesentaturae in locum actu vacantem rev. p. lect. fr. Damascenum Sokolowski ob diversa tam scholasticae lectionis quam praedicationis insignia merita.

9. Decernimus, quod huius provinciae lectores, qui post expletum philosophiae cursum in studiis formalibus per tempus notabile theologiam legerint, possint, ac si Vilnae legissent, ad promotionem concurrere.

10. Decernimus item, quod lectores, qui post expletum cursum philosophiae in ecclesiis conventuum Vilnensis et Rosinensis munus concionatorum zelose obierint et de caetero habiles ad functiones scholasticas inventi fuerint, simili modo cum caeteris lectoribus in graduum postulatione nominari possint.

11. Ordinamus autem, ut nullus lectorum aut moderatorum actualiter praelegentium simul obire possit officium priorale, etiam in conventu Vilnensi.

12. Erigimus in conventu Poporcensi studium formale, illudque quod in conventu Derecensi erectum est confirmamus, declarantes, quod, qui in dictorum conventuum studiis cursum philosophicum et theologi-

cum legerint, possint ad gradus praesentari atque a patribus provinciae commendari.

13. Denique finem litibus imponentes locum Vercoviensem prope Vilnam, qui pro Lithuaniae provincia ab ill. p. mem. Biallozzor episcopo Vilnensi oblatus atque ab ill. Sapieha eiusdem successore pro dicta provincia confirmatus et in praecedente generali capitulo 1667 iam semel eidem adiudicatus est, rursum adiudicamus memoratae provinciae Lithuaniae, mandantes omnibus, comprimis iis, qui quavis emulatione hactenus resistentes, dictum locum possidere conati sunt, ut eundem quantocius praefatis provinciae Lithuaniae patribus cedant neque deinceps ullatenus sive per se sive per alios, maxime seculares, eosdem in capienda et stabilienda possessione perturbent.

## Pro provincia s. Mariae de Candelaria.

1. Cum numerus fratrum ultra conventuum vires excreverit, sub poena absolutionis ab officio provincialibus districte inhibemus, ne audeant ullum religiosum, vel clericum vel conversum, ad habitum ordinis admittere, usquedum in principalioribus conventibus numerus fratrum usque ad vigintiquinque, et in minoribus conventibus secundum redditaum suorum proportionem reducatur.

2. Laudando confirmamus consuetudinem, quae in hac provincia invaluit iuxta ordinationem capituli provincialis 1683 celebrati, scilicet quod quolibet die ter, mane, meridie et vesperi, rosarium a religioso deputato cum secularibus recitetur, et quod omni sabatho et festivis diebus vesperi concio de rosario habeatur.

3. Concedimus huic provinciae, quod in suis capitulis provincialibus possit deputare duos missionarios, viros maturos et discretos, quorum unica cura sit, devotionem erga b. virginem singularem ordinis protectricem promovere.

4. Monemus omnes praelatos et conventuum superiores, ut ad insulas de Casarrole et Fuerteventura, in quibus conventum non habemus, non mittant religiosos ad conquirendas eleemosynas, nisi sint vitae probatae et exemplaris.

5. Item p. provincialem monemus, ut magistros omnes non occupatos in studiis vel praedicationibus in suis conventibus, quorum sunt filii, commorari constringat.

6. Volumus, quod in insula de la Palma dicta, quia prae caeteris magis populata est, semper esse debeat assignatus aliquis magister in theologia vel praesentatus titulo scholae, qui idoneus sit ad consilia danda et casus resolvendos.

7. Innovamus, quod in multis generalibus capitulis ordinatum fuit, nempe quod casuum lectores quotidie, tam hyemali quam aestivo tem-

pore, conferentias communes habere, quibus omnes, cuiuscumque sint conditionis, nisi legitime impediti, interesse tenebuntur; pro cuius ordinationis observantia superiorum conscientias in diem domini aggravamus.

8. Mandamus, ut laudabilis consuetudo, quae dudum in provinciis Hispaniarum viguit et etiamnum viget, quod regens studiorum actu non legat, sed sit vel magister antiquior vel certe praesentatus, qui totum lectionum tempus complevit, omnino observetur.

9. Praecipimus insuper prioribus, quod, dum in aliquo conventu fuerint electi, quantocius teneantur certiorem facere p. provincialem de deposito, de censibus, de augumento vel diminutione bonorum, denique de statu totius conventus, ut sic a successore facilius cognoscatur, quale praecedentium priorum fuerit temporalium gubernium.

10. Denique praecipimus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto, nec non sub poena privationis utriusque vocis, quod inter sex mensium spatium ab harum notitia teneantur in conventibus, in quibus novitii educantur, cameras aut cellulas separatas construxisse aut construi fecisse.

**Pro provincia s. Rosae.**

1. Declaramus, rite erectos fuisse in provinciam ab ill. ac rev. archiepiscopo Compostellano, tunc ordinis magistro, aliquos conventus ditionis regis christianissimi partim in Gallo Belgio, partim in Flandria sitos, videlicet conventus Insulensem, ambos Duacenos, Audomarensem, Valencensem, Iprensem, Bergensem s. Winocii et Reviniensem, quae titulo et nomine s. Rosae Peruuianae insignita fuit.

2. Concedimus huic provinciae, quod eius provincialis, statim ac electus est, in qualitate vicarii generalis provinciam gubernet.

3. Declaramus ad instar provinciae Germaniae inferioris, ius statuendi officiales minores studii generalis Duacensis et postulandi regentes nequaquam omnibus vocalibus competat, sed dumtaxat p. provinciali cum diffinitorio capituli; si autem improvise aliquod horum officiorum vacare contingat extra tempus capituli, poterit provincialis per se officiales minores instituere, regentes autem nonnisi adhibito patrum provinciae maturo consilio postulare.

4. Instituimus in magistrum numerarium cum loco et voce rev. p. licentiatum fr. Michaelem Carmois, cum et locus in provincia vacet, et necessaria merita adsint.

5. Promovemus ad gradum licentiae similiter vacantem rev. p. praesentatum fr. Iosephum de Mayere, et ad gradum praesentaturae rev. p. lectorem fr. Reginaldum Treca, cum in utroque sufficientia sint merita.

6. Instituimus in regentem primarium studii nostri generalis Duaceni rev. p. licentiatum fr. Michaelem Carmois praememoratum, et reliquos eiusdem studii officiales a magistro ordinis institutos confirmamus.

7. Ut in hac novella provincia non passim ad ordinem admittantur inutiles et inidonei, ordinamus et inviolabiliter observari volumus, quod nullus ad habitum recipi aut ad professionem admitti possit, nisi antequam communitati praesentetur, prius a patribus designatis examinatus et a maiori parte patrum a consilio conventus per vòta secreta approbatus fuerit et dignus inventus, qui conventui capitulariter congregato pro effectu receptionis proponatur.

8. Confirmamus omnia et singula, quae ad perfectam communitatem in conventu nostro Audomarensi stabiliendam statuit ill. archiepiscopus Compostellanus, tum magister ordinis, declarantes, in nullius magistro ordinis inferioris potestate esse, aliquid ex ibidem stabilitis mutare, minuere vel relaxare, omnesque ad dictum conventum vel spectantes vel imposterum spectaturos ad omnium et singulorum observantiam exactam teneri.

9. Omnium patrum magistrorum, licentiatorum et baccalaureorum gradus, qui post ultimum capitulum generale promoti sunt, approbamus.

10. Omnes denique ad hanc provinciam pertinentes ad sinceram et sanctam animorum concordiam enixe in domino hortamur, ut sic ex diversis nationibus constans nullis simultatum telis impetita instar vernantis rosae iugiter florescat.

## Pro congregatione s. Mariae Sanitatis.

1. Instituïmus in s. theol. magistrum pro loco actu vacante rev. p. fr. Thomam Ferrari, pro nunc in conventu Bononiensi studiorum regentem, omnibus requisitis meritis praeditum.

2. Pariter in s. theol. magistrum instituimus pro loco actu vacante rev. p. fr. Albertum Cava, qui functus est munere baccalaurei ordinarii in collegio Montis Dei de Neapoli.

3. Insuper declaramus, rev. pp. fr Marcellum Barone, fr. Bernardum Romano, fr. Thomam Margaritta et fr. Renatum Verde sufficientibus et requisitis meritis praeditos esse ad obtinendum magisterii gradum posseque a rev. magistro ordinis pro locis cum tempore vacaturis successive in s. theol. magistros institui.

4. Instituimus in praedicatorem generalem conventus s. Mariae Sanitatis de Neapoli rev. p. Pium Mazza et in magistrum studentium collegii Montis Dei p. fr. Ambrosium de Vivo.

5. Declaramus, acceptatum esse breve emanatum in favorem collegii Montis Dei et confirmationem erectionis eiusdem cum omnibus in dicto brevi contentis.

6. Denique declaramus rev. p. fr. Ildephonsum Parelli s. theol. lect., non obstantibus affiliationibus de persona sua pro diversis conventibus factis, quas ipsius instantia nullas esse, decernimus, affiliatum esse et manere originali conventui suo s. Mariae Sanitatis dictae congregationis nostrae provinciae Regni.

**Pro congregatione Sardiniae.**

1. Statuimus, quod omnia officia et gubernia dictae congregationis, uti hactenus in eadem fieri consuevit, suam durationem habeant, neque quoad eorundem abbreviationem aliquid volumus esse innovandum.

2. Concedimus vicario generali noviter instituto potestatem inquirendi et visitandi super gubernio vicarii praecedentis, qui et eidem rationem reddere teneatur, quoties et de quibus opus fuerit.

**Pro congregatione s. Mariae de Gavottis.**

Committimus adm. rev. p. mag. provinciali Regni, fr. Gregorio de Areilza, ut per se vel per alium examinet ea omnia et singula, quae a rev. et ill. dd. archiepiscopis Valentino et Compostellano pro manutentione observantiae huius congregationis ordinata fuere, dantes eidem auctoritatem, ut per se vel per vicarium tanquam de observantia regulari bene meritum quamprimum hanc congregationem visitet et rev. magistro ordinis referat, quid statuendum vel regulandum expediat.

Damus rev. patri generali totam nostram potestatem circa omnia et singula praemissa, ut ea nomine nostro et capituli generalis declarare possit, quae declaratione indigent, eis addere, demere et immutare, denique omnia facere, quae nos ipsi et capitulum facere posset.

Denique universis et singulis provinciarum et congregationum seu vicariatuum praesidentibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus, ut haec acta quamprimum ad manus pervenerint, iubeant publicari, eorumque observantiam urgeant; volentes, quod exemplaribus impressis manu et sigillo reverendissimi firmatis eadem prorsus fides habeatur, quae originali adhiberetur.

**Suffragia pro vivis.**

Pro ss. d. n. Innocentio XI. et felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro augustissimo imperatore Leopoldo I., augustissima coniuge serenissimisque prolibus q. s. u. m.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XIV., sereniss. delphino et coniuge cum serenissimis prolibus q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Carolo II. et serenissima coniuge ac serenissima regina matre q. s. u. m.

Pro em. et rev. cardinali Alterio, ordinis nostri protectore, et universo sacro collegio em. dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro ill. et rev. dd. archiepiscopis Valentino et Compostellano, alias ordinis nostri generalibus vigilantissimis, q. s. u. m.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque rev. capite totius ordinis nostri magistro generali et sociis assistentibus et collaborantibus q. s. u. m.

**Suffragia pro mortuis.**

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore capituli ultimi generalis Romae celebrati in domino obierunt, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Committimus procuratori generali ordinis, ut collectis omnium fratrum nominibus, qui in diversis provinciis ordinis cum opinione singularis virtutis obierunt, ea patri secretario huius capituli consignet, hisce actis suo loco addenda.

Publicata fuerunt haec acta in aula theologica conventus nostri s. Mariae supra Minervam coram tota communitate et omnibus in curia praesentibus hac die 2. augusti currentis anni 1686.

Sic nos infrascripti testamur.

Ita est fr. Seraphinus Bertolinus mag. et prior conventus Minervae manu propria.

Ita est fr. Dominicus a Brania mag. manu propria.

Ita est fr. Antoninus Alphanius mag. manu propria.

Ita est fr. Hyacinthus Fonseca manu propria.

Fr. Guinandus Winandus mag. et cap. gen. secr.

Fr. Antoninus Cloche mag. ord.

**Fratres et sorores, qui pretiosa in conspectu domini morte obierunt.** (1)

In provincia Hispaniae.

1. In vicariatu sub titulo prioratus s. Mariae de las Caldas, dioecesis Burgensis, inter montes constituto venerabilis est memoria r. p. fr. Ioannis Malfos, conventus s. Pauli Vallisoletani filii, qui totus ad imaginem s. p. Dominici efformatus, verus fuit populorum apostolus, qui inter montes constituti et quasi ignoti lamentabili salutis insitia et torpore gravabantur. Eos ad omnia christianae pietatis opera diuturnis laboribus sic eru-

(1) Sequitur Protestatio patris secretarii ex ordine capituli, eiusdem tenoris ac MOPH XII, 351.

divit et succendit, ut primorum ecclesiae seculorum fervor, simplicitas, innocentia, poenitentiae rigor in his montibus revixisse videretur. In vicariatu, cui ad obitum usque praefuit, primaevum instituti nostri spiritum suscitavit, quotque in eo habuit filios, tot ordini reliquit suae sanctitatis haeredes, qui deinceps pretiosa in conspectu domini morte sublati sunt, utque tales in actis capitulorum provincialium commendati. Horum haec sunt nomina: fr. Ioseph a s. Maria obiit Segobiae, fr. Franciscus a s. Thoma et fr. Dionysius a s. Antonino obierunt Palentiae, fr. Fabianus de Quevedo novitius sacerdos et fr. Laurentius a s. Thoma conversus obierunt in supra laudato vicariatu, ubi pariter obiit p. fr. Michael de la Viguera, qui vitam lethalis criminis immunem duxit; ibidem obiit fr. Ioannes a s. Vincentio. Laborum et operum suorum praemia percepturus moritur tandem ven. Ioannes die 8. ianuarii 1680.

2. Prope eumdem vicariatum s. Mariae de las Caldas ambulavit coram domino et perfecta evasit nobilissima matrona Maria Anna Velarde de las Sierras; ab infantia secum crevit nedum miseratio, sed et rigor et ira in tenerum et insons corpusculum, quod vix quinquenne ieiuniis, ciliciis, disciplinis domabat nondum renitens neque adversus spiritum concupiscens spiritui servire cogebat. Cor in seipsam lapideum, in proximos carneum sic domino dedicavit et praebuit, ut sive matrimonio ex nutu parentum iuncta sive in viduitate inventa fuerit iuxta cor dei faciens omnes voluntates eius. Mater fuit pauperrimi huius vicariatus de las Caldas, nostris abunde ministrans de facultatibus suis; cuius tandem filia esse voluit, tertium s. p. n. Dominici ordinem ingressa. Tria religionis emisit vota plenaque bonis operibus obdormivit in domino 1679.

In provincia Lombardiae.

Celeberrimus verbi divini praeco r. p. fr. Ioseph Carli de Venetiis magno populorum fructu et applausu ibat per civitates et castella praedicans et evangelizans regnum Dei. Illud per multos annos sui ministerii adimplens: « gratis accepistis, gratis date »; verum ne aliis praedicans, ipse reprobus efficeretur, castigabat corpus suum et in servitutem redigebat; unde fractus laboribus, itineribus, vigiliis, abstinentiis et infirmitatibus, meritis cumulatus, Neapoli defunctus est in conventu s. Catharinae apud Formellum, in vita et post mortem ut sanctus habitus a populis.

In provincia Regni.

1. In conventu regali s. Dominici maioris de Neapoli ea sanctitatis fama vixit et obiit ven. p. fr. Andreas a s. Severino, ut de eius canonizatione tractetur, iamque in archiepiscopali curia processus instituatur de eius vita mittendus quam primum ad sedem apostolicam. Obiit 1672. Eius vita italico sermone conscripta omnium admiratione et multorum fructu legitur.

2. In eodem conventu vitae sanctimonia et consummata eruditione fulsit r. p. fr. Ioannes de Altamura, vere lucerna ardens et lucens, virtutum omnium, quibus erat ornatus, odorem spirat et longe lateque diffundit liber vitae eius iam typis editus. Multa scripsit et nobis reliquit praeclarissima ingenii sui et doctrinae monumenta. Moritur prope nonagenarius 1675.

3. In eodem conventu floruit r. p. fr. Iacobus de Caserta, zelo regularis observantiae celebris, quam auctoritate rev. magistri ordinis in varios conventus tam fratrum quam sororum studuit inducere suisque laboribus et exemplis fovere; quindecim annorum gravissimis infirmitatibus patientissime toleratis, in eorum numero et meritis decessit, de quibus legitur: « quasi aurum in fornace probavit electos dominus et quasi holocausta accepit eos in aeternum » (1). Mors eius in 1682 incidit.

4. In eodem conventu pretiosa morte ad deum raptus est ven. p. fr. Ioseph de Balneolo, qui cum regio propheta dicere potuit: « cor meum et caro mea exultaverunt in deum vivum » (2); crebris enim et insolitis motibus corpus eius concutiebatur, quos nequibat comprimere sive in missae sacrificio sive in divinis officiis, in colloquiis spiritualibus aliisque piis operibus, inter quae tandem in ecstasim rapiebatur. Prophetiae dono et miraculis clarus diem clausit extremum 22. martii labentis anni. Eius vita, cuius in curia archiepiscopali fit processus et inquisitio, italico sermone conscripta, adhuc sub praelo, prope diem vulgabitur.

5. In regali conventu s. Petri Martyris de Neapoli claruit r. fr. Stephanus de Capite Saleriis, magnae regularitatis vir et incredibilis abstinentiae; in bona senectute nonagenarius ut aquila renovandus evolavit ad caelestia regna, praemia percepturus observantiae regularis, quam vivens impense coluit quamque in congregatione s. Marci de Gavotis mirifice propagavit.

6. In collegio s. Thomae eiusdem civitatis Neapolitanae pie defunctus est r. p. fr. Dominicus Schetini, filius conventus ss. Rosarii; qui licet infirma semper valetudine, studiis, litterariis exercitationibus, scholasticis contentionibus una et praedicationi verbi Dei ex officio et obedientia incumbens, nihil tamen de rigore constitutionum ad sui solatium remisit, quas ad obitum usque summa regularitate servavit.

7. Neapoli in monasterio monialium sub titulo Praesepis Domini in Bethleem obiit in domino 1668 soror Catharina a s. Bernardo, quae apostolica auctoritate e monasterio s. Catharinae Senensis eiusdem civi-

(1) Sap. III, 6.
(2) Ps. LXXXIII, 3.

tatis, in quo usque ad annum 74. vitae suae vixit cum magna regularitatis laude, ad monasterium istud sanctissimum vocata, ut eius esset prima priorissa, conceptam de se spem nedum implevit, sed adeo superavit, ut pluries in suo ministerio confirmata iverit semper de virtute in virtutem, visura Deum deorum in Sion, miraculis vivens et post mortem clara.

8. In eodem monasterio soror Angela Seraphina ab Incarnatione angelicam vitam ducere visa est potius quam humanam. Eo erat fervore spiritus, his abstinentiis et macerationibus carnem virginitate angelificatam Deo exhibebat hostiam viventem et sanctam, eave aequanimitate et laetitia iniurias et persequutiones asperrimas quasque sustinebat, ut nihil humanae infirmitatis habere videretur, sed tota in angelicam virtutem transformata. Unde ab ipsis angelis eius anima inter ipsorum choros meruit collocari 1669.

9. In eodem monasterio in brevi consumpta explevit tempora multa soror Anna Maria Caecilia a s. Caietano. Anno enim aetatis suae vigesimo adhuc innocens manibus ac mundo corde et corpore per calcatum pergens patrem, per calcatam pergens matrem ad vexillum crucis evolavit; anno aetatis suae 34. plena operibus bonis Christo confixa cruci, variis cruciata doloribus, inter amplexus imaginis crucifixi coelos meruit conscendere anno 1673, ubi gustat aeternum, quod ex assiduis contemplationibus sitiebat internum, et sponsi sui delitiis fruitur in eo silentio, quod Deum decet in Syon; quae in toto vitae decursu ne verbum quidem otiosum protulisse memoratur.

10. In eodem monasterio virtutum omnium heroica dedit exempla ad obitum usque soror Anna Maria a Iesu, quorum suavem notitiam futuris saeculis invidere visa est nimia eius humilitas. Electa enim in priorissam igni comburendum tradidit volumen vitae suae, quod confessarius ipsa conscripserat inscia, et moriens monasterio servandum consignaret. Migravit e vita 1673, vitae suae 46. Eius sanctitatem probant tum innumera, quae vivens et mortua edidit miracula, tum incorruptum hactenus eius corpusculum suavissimum spirans odorem et supra latus non sine miraculo iacens, versis et apertis oculis ad altare, tum ea omnia, quae in eius vita typis edita referuntur.

11. In eodem monasterio innocentiam baptismalem ad obitum usque servavit soror Maria Thomassa a ss. Sacramento; oblatam monasterii auctoritate apostolica erigendi de novo praefecturam perpetuam rara humilitate constantissime recusavit; unde anno aetatis suae 27., reparatae salutis 1674, ad regnum sponsi sui praematura meruit sublimari.

12. In eodem monasterio sub humili conversae habitu bonis operibus et meritis ditissima obiit soror Maria Ioseph a s. Theresia 1676; eius corpus hactenus incorruptum cernitur.

In provincia Aragoniae.

1. In monasterio s. Petri Martyris de Benataxxe in odore sanctitatis vixit et diu praefuit soror Francisca de Mendoça, dilecta Deo et hominibus propter exercitia utriusque charitatis, in quibus fervore mirabili ad mortem usque suaviter perseveravit.

2. Valentiae in conventu s. Catharinae Senensis soror Maria Lora Mercader et Cerbellon, filia comitum de Bugñol et Oropessa, spretis mundi illecebris, Christo virginum sponso nupsit. Cui iugi sui corporis maceratione tanto fervore placere studuit, ut neque infirmitatibus oppressa neque luminibus biennio ante mortem orba a sequela chori tam de die quam de nocte aliisque vitae regularis piis operibus deduci potuerit.

3. In conventu Corporis Christi de Carcaxens soror Martina a s. Nicolao in metu et tremore salutem operata est; lachrymas enim assidue fundens ex consideratione poenarum inferni et turpitudinis peccatorum, quae tamen sicut a facie colubri semper fugit; continuis afflicta doloribus, daemonum apparitionibus per multos annos vexata, ei tandem laeta et innocens meruit praesentari moriens, quocum ut esset, pluries optarat dissolvi.

4. In villa de Magalon regni Aragoniae soror Maria de Peralta iugum domini portavit ab adolescentia sua; emisso enim adhuc puella virginitatis voto, lilium tam pretiosum inter spinas intemeratum sibi servandum proposuit; inde tantus mortificationum ardor et sitis tanta, ut vita eius continua fuerit crux et martyrium. Anno aetatis 30. ad ordinem sororum de Poenitentia s. p. n. Dominici aggregata, pietatis operibus sic dedita fuit, ut quae infans iam ab omnibus sancta vocabatur, in isto perfectionis proposito et progressu matris pauperum et afflictorum nomen merito consequuta fuerit. Moritur die 13. novembris 1684.

In provincia Trinacriae.

Messanae in conventu s. Dominici habitu s. patris nostri indutus est r. p. fr. Vincentius Calogere aetatis anno 21., qui ad annum nonum supra octuagesimum Deo hac via placere studuit et religiosae perfectionis incrementa percurrere, quasi quodlibet momentum initium esset sui fervoris et ultimum laboris et exilii. Unde omnium virtutum meritis ditatus, spiritum infirmitatis et annorum victorem Deo reddidit 12. martii 1677, miraculis post mortem clarus; vix post triduum humo tradi potuit eius corpus prae multitudine populi, cuius devotionem probare et augere visae sunt urbis ecclesiae, quae insolitis campanarum omnium pulsationibus funus servi Dei decorarunt.

In congregatione s. Mariae Sanitatis.

1. In conventu s. Mariae Sanitatis non obscura sanctitatis indicia dedit, quoad vixit, r. p. fr. Ioannes a s. Petro, mirabilis innocentiae et

poenitentiae incredibilis vir. Eligens abiectus esse in domo Dei, relicto seculo, ne nomen quidem familiae suae nobilissimae, religionem ingressus, voluit retinere. Ne vero ex laude recusati humiliter magisterii aut alterius gradus magnus apud suos haberetur, munia lectoris, quibus erat peraptus, neglexit et fugit; Christum sequutus, qui duxit illum in solitudinem, ut loqueretur ad cor eius; ibi suavissima et iugi ferme contemplationi immersus post aliquot annos animarum lucris aptus evasit, quarum sitientissimus erat; sed ne magnitudine revelationum et charismatum extolleretur, variis calumniis probatus est; quas hilari semper vultu audiebat, invicta sustinebat patientia, in his verbis immobiliter et placide conquiescens: « fiat voluntas tua ». Ad novitiorum educationem vocatus, specimen veri religiosi seipsum alumnis legendum exhibuit. Omnibus tandem oneris sibi iniuncti per multos annos perfunctus muneribus, praenuntiata sui obitus die defunctus est 13. iulii 1656, cum multo prius anima eius sanctissima ad caelum debuisset evolare ob ruptam sui corporis venam; sed nondum maturus caelo, et suis adhuc necessarius in terra, vulnus, quod disciplinarum rigor intulerat, sanavit herba, quam instinctu mirabili sibi prius ignotam invenit.

2. In eodem conventu s. Mariae Sanitatis diem clausit extremum 7. iulii 1667 r. p. Raymundus Germanus, totus ad animarum salutem compositus, in confutandis haereticis strenuus, paternarum traditionum et constitutionum fervidus aemulator.

3. In eodem conventu sancto fine quievit ven. fr. Raymundus conversus, in quo nihil videtur desiderari potuisse eorum, quae ad perfectionem sui status pertinere dignoscuntur. Verus in vita pater pauperum in morte populi confluxu et acclamationibus ut sanctus honoratus est. (1)

---

(1) Sequitur Protestatio patris secretarii ex ordine capituli, eiusdem tenoris ac MOPH. XII, 372.

# ACTA CAPITULI GENERALIS PROVINCIALIUM ROMAE IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM DIE XXVIII. MAII MDCXCIV.

Sub reverendissimo patre fr. Antonino Cloche, sacrae theologiae professore eiusdemque ordinis magistro generali.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, nec non beatae Mariae semper virginis, beati patris nostri Dominici omniumque sanctorum.

Diffinientibus reverendis admodum patribus:

fr. Petro Moisset provinciali Tholosano,
fr. Vincentio Rathier magistro provinciali Franciae,
fr. Ioanne Baptista Spada magistro provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Hyacintho Fonseca magistro provinciali Romano,
fr. Gregorio Angeloni magistro provinciali Regni,
fr. Vincentio Dempflem magistro provinciali Teutoniae,
fr. Thoma Whise de Albiis magistro provinciali Angliae,
fr. Thoma Medreovski magistro provinciali Poloniae,
fr. Iordano Dominico Spityel magistro provinciali Bohemiae,
fr. Vincentio Martin magistro prov. provinciae Provinciae,
fr. Vincentio Maria Oliveri magistro provinciali Siciliae,
fr. Martino Harney mag. provinciali Germaniae inferioris,
fr. Petro Martyre Ceramelli magistro provinciali s. Thomae de Apulia,
fr. Gregorio Romano magistro provinciali Calabriae,
fr. Hyacintho de Fonvielle magistro provinciali Occitaniae,
fr. Petro de Blanchis magistro provinciali s. Dominici Venetiarum,
fr. Petro Martyre Rubeo magistro provinciali s. Petri Martyris,
fr. Clemente Fioretti mag. provinciali s. Catharinae Senensis,
fr. Antonio Pons magistro pro provinciali Aragoniae,
fr. Ioanne Baptista Turcono bacc. pro provinciali Dalmatiae,
fr. Salvatore Ascanio (1) magistro et socio rev. pro provinciali Bethicae,
fr. Feliciano Veldriavzanski pro provinciali Russiae,
fr. Ioanne Malone magistro pro prov. provinciae Parisiensis,

(1) De fr. Salvatore Ascanio cf. SSOP. II, 768.

fr. Dominico Podehocinski pro provinciali Lituaniae,
fr. Vincentio le Feubure pro prov. provinciae s. Ludovici regis,
fr. Michaele Carmois magistro prov. s. Rosae Peruanae in Gallo-Belgio,

Ex speciali indulto:
fr. Didaco a s. Ioseph lectore pro provinciali Portugalliae,
fr. Ambrosio Macadermet lectore pro prov. Hiberniae,
fr. Ildephonso Manrique (1) praesentato pro provinciali provinciae s. Ioannis Baptistae del Perù.

Fr. Hyacintho Serri magistro et secretario capituli gen.

Universis totius ordinis fratrum praedicatorum fratribus ac sororibus
fr. Antoninus Cloche, sacrae theologiae professor
ac eiusdem ordinis humilis magister generalis et servus,
salutem et legum observantiam.

Iam dudum in animo erat generalis capituli superiori anno Romae celebrati acta typis edita in provincias mittere, ut fructum, qui ex his generalibus comitiis expectabatur, universus ordo perciperet. Verum eam editionem in alterum tempus plures ob causas differre compulsi fuimus; potissimum vero quod, cum in aliis capitulis, ut varia temporum ratio ferebat, quaedam ordinata ac statuta fuerint, quae parum inter se convenire, nec immerito existimari poterat, unde et plura in provinciis dissidia saepius oriri etiam capituli generalis viri sapientissimi observarunt. Haec inter se se componere necesse fuit, et quae a primis religionis legibus minus aberant, inter haec diversa sibi contraria seligere. At vero ea res, ut erat gravis momenti, non perfunctorie agi debuerat, sed maiori otio, longa meditatione adhibitoque eorum consilio, quos diuturnus rerum religionis nostrae usus peritiores effecit. Nunc vero cum omnia, quantum quidem summa cura et solicitudine assequi licuit, constituta fuerint, sublatis dubiis, quae suspensos interdum detinebant, ea capituli generalis acta ad communem omnium usum et provinciarum quietem mittimus, ut, si quando eaedem controversiae recurrant, ex his, quae modo diffinita sunt, tanquam certis regulis resolvantur. Caeterum nec ea solum in acta generalis capituli referenda fuerant. Plura necesse fuit, quae ad prima religionis principia pertinent, in memoriam revocare, ne sicubi praetermissa aut neglecta sint, veluti praescriptione quadam in dissuetudinem abiisse existimentur. Felix religio esset, si iuxta pristinos suae adolescentiae annos, quando splendebat lucerna super caput eius et universum orbem in sui admirationem pertrahebat, huius omnes alumni

(1) De fr. Idelphonso Manrique cf. SSOP. II, 774.

virtuti colendae ac promovendis studiis incumberent nec suis legibus mores dissentirent. Verum plurima, quae non sine gravi doloris sensu recolimus, et temporum iniuria et nimia superiorum indulgentia et pravitate naturae ad malum proclivis inducta sunt, quibus mutatus est color optimus, et quae longe ab his felicibus exordiis recedunt. Quare et perpetuo enitendum est, ut, qua parte fieri poterit, felicia tempora redeant, et coniunctus cum legum observantia religionis splendor. Atque in eum finem plurima in his generalis capituli actis, quae mittimus, recensita sunt iterumque constituta, ut non aliam consuetudinem, quam consuetudinem legis, ut ea evangelii verba usurpemus, approbatam fuisse omnes agnoscant, ad quam unicam omnes suae professionis memores componere vitam suam teneantur. Summum malum esse sapiens censuit, cum error pro lege custoditus est, et licitum esse putatur, quod publicum factum est ac in mores transiit; sed necesse est, omnes intelligant, si quae unquam maioris mali metu tolerentur, non minus tamen omnes sua professione teneri; cuius formulam consulere saepius debeant, ut, qua ratione se victuros esse professi sunt, animadverterent. Haec nostri muneris est, fratres dilectissimi, vobis ob oculos ponere, haec votorum omnium nostrorum summa, ut omnium vestrum vita concordet cum nomine, et professio sentiatur in opere, illudque sapientis saepius in mentem recurrat, legem esse viam vitae, a qua sine salutis discrimine recedere liceat. Valete.

## Denuntiationes.

1. Denuntiamus unanimi provincialium assensu capitulum proximum generale, quod erit diffinitorium primum, celebrandum fore in conventu nostro Tholosano anno 1697, nisi ss. d. n. libuerit ad sexennium prorogare. Unde in actuali diffinitorio huius capituli generalis perpensis mature expensis, quae pro celebratione capituli generalis fieri solent, commissum est magistro ordinis, ut humillime a sanctissimo postulet, quatenus ordinationem factam a s. m. Innocentio XI., quod de triennio in triennium celebrationem capituli generalis demandat, extendere velit ad sexennium.

2. Denuntiamus, ss. d. n. Innocentium XII. pro sua in ordinem singulari benevolentia fratribus nostris, qui ad pedum oscula processionali ritu accesserunt, indulgentias concessisse, rev. adm. pp. provincialibus quidem mille, caeteris vero sacerdotibus quingentas, trecentas clericis, laicis vero ducentas.

3. Denuntiamus, prodiisse decretum a sacra rituum congregatione die 20. decembris 1692, quo breviaria nostra cum suis additionibus, mutationibus, correctionibus approbantur sic, ut nemini liceat inductum ac praescriptum in iis ritum immutare.

4. Denuntiamus, a s. m. Innocentio XI. per constitutionem, quae in principio missalis typis edita est ac in parvo etiam breviario recenter Romae edito, inhibitum fuisse sub poena excommunicationis, ne ea, quae ad recitationem divini officii secundum ritum ordinis nostri pertinent, typis edere quis praesumat. Quare eidem constitutioni inhaerentes prohibemus omnibus et singulis fratribus ordinis nostri, cuiuscumque conditionis et qualitatis, ne ullo tempore appendices ad breviaria ordinis typis edere praesumant, inhibentes in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto omnibus ad ordinem nostrum quomodocumque spectantibus, ne eas appendices vendant aut emant aut iis utantur.

5. Denuntiamus, quod in sacra rituum congregatione dictum est, posse concedi tam pro toto regno Lusitaniae quam pro toto ordine fratrum praedicatorum, ut recitetur officium et missa de una virgine non martyre in honorem b. Ioannae, Alphonsi serenissimi regis Lusitaniae filiae, si sanctissimo placuerit. Annuit sanctissimus, ut ex brevi, quod incipit « Omnibus innotescet »; dies autem eius festivitatis erit dies 12. maii, et lectiones cum a sacra rituum congregatione approbatae fuerint, ad omnes provincias transmittentur.

6. Denuntiamus, cum in praecedenti capitulo generali commissum fuisset magistro ordinis, ut constitutiones ordinis typis edere curaret, eas Romae typis editas esse; quas quidem constitutiones approbamus et acceptamus, iniungentes patribus provincialibus, ut satagant, quod conventus omnes, etiam parvi, unum aut duo exemplaria habeant.

7. Denuntiamus, Urbanum VIII. constitutione incipiente « Exponi nobis » 3. decembris 1635 constit. 205. approbasse et confirmasse excommunicationem latae sententiae reservatam magistro ordinis vel eius vicario generali latam in capitulo generali Romae 1612 adm. 3. et Bononiae 1615 conf. 3. contra fratres ordinis nostri, qui per se vel per alium in curia Romana negotium aliquod, inconsulto procuratore generali ordinis, tractare audent; praelatis vero imponitur poena absolutionis a suis officiis ipso facto incurrenda. Unde admonemus omnes fratres totius ordinis iis subesse poenis, si causas aliquas in Romana curia tractare praesumpserint absque licentia procuratoris generalis, aut saltem ipso inscio, nec saeculares procuratores in hac curia eligere possint uti causarum patronos, nisi quem procurator ordinis elegerit, cum causis et litibus, quae in hac curia agitantur, vix unquam alias occurri possit.

### Confirmationes.

1. Confirmamus, quae in ultimo capitulo Romano anno 1686 ord. 6. sancita sunt circa amovibilitatem fratrum, cuiuscumque gradus sint, conditionis et dignitatis et quorumcumque conventuum sint filii, illiusque

ordinationi inhaerentes, statuimus, quod nullus de caetero recipiatur ea conditione, ut uni dumtaxat conventui inserviat inamovibiliter, et si alicubi hactenus concessa fuisset haec inamovibilitatis conditio, eam nullam dicimus; declarantes eiusmodi fratres, sicuti et caeteros per superiores ordinis provinciarum et congregationum amoveri posse; et si qui priores in futurum cum ea conditione uni conventui inamovibiliter inserviendi aliquem fratrem receperint, ab officiis suis per rev. patres provinciales aut congregationum vicarios a suis officiis absolvantur et per triennium ad similia officia inhabiles declarentur.

2. Confirmamus declarationem 9. capituli generalis Romae 1670 circa electionem scrutatoris loco alterius, qui officium illud obire nollet, in qua sic dicitur: « Declaramus in casu, quo ad electiones canonicas antiquiores in ordine, quibus de iure competit munus scrutandi, ob aliquod impedimentum accedere non possint aut nolint, in locum eorum alios esse eligendos per vota publica, eo prorsus modo, quo iuxta decretum capituli generalis Romae 1629 decl. 16. quartus scrutator eligi debet; at si talia vota aequalia fuerint, antiquiori a professione in ordine pro electione ad scrutandi officium suffragabuntur ». Eidem tamen ordinationi addimus, quod, si scrutator, cui de iure competit scrutari, non tantum scrutationi, sed et voci activae ad electionem renuntiaverit, tunc antiquior ex electoribus post eum, qui renuntiavit voci suae, ex ipso iure ad scrutandum succedet; nam ille, qui voci activae renuntiat et electioni adesse non vult, ipse pro absente omnino haberi debet, et eo casu antiquior succedet ad scrutandum.

3. Confirmamus, quae toties in capitulis generalibus sancita sunt, maxime Romae 1601 conf. 16. et Vallisoleti 1605 conf. 11., quibus demandatur, ut omnes libri fratris demortui communi conventus bibliothecae applicentur et incorporentur, nulla habita ratione contrarii usus in aliquibus provinciis aut conventibus perperam introducti, quemque uti abusum omnino abolemus; ac inhaerentes textui constitutionum nostrarum dist. 2. cap. 14. text. 10. et glossae ipsius sub lit. T. et antiquis ordinationibus capitulorum generalium, inhibemus, ne libri ordinis vel fratrum vendantur, nisi pretium eorum in alios convertatur libros pro communi bibliotheca, et servatis de iure servandis; si quis vero libros eiusmodi vendiderit vel donaverit, ad restitutionem teneatur, sicut et fratres, qui eos receperunt, alias per rr. patres provinciales furti iudicio condemnentur.

4. Confirmamus et, in quantum opus est, innovamus ord. 11. capituli Valentini 1647, qua in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub formali praecepto nec non sub poena excommunicationis latae sententiae hac una pro trina canonica monitione praemissa iniungitur

conventuum superioribus, ut, dum aliquis ex fratribus nostris scientia et doctrina clarus obierit, omni diligentia satagant, etiam per censuras, illius scripta colligere et in communi deposito reponere, admonito statim magistro ordinis, ut, si quid dignum publica luce fuerit, praelo demandetur; committentes rr. patribus provincialibus et congregationum vicariis, ut in visitatione conventuum sedulo inquirant, an superiores ac caeteri fratres huic ordinationi exacte paruerint, et quos defecisse repererint, aut per suspensionem ab officiis aut per inhabilitatem ad ipsa severe puniant, et si manuscripta retineant, etiam ad restitutionem per censuras et poenas privativas et positivas compellant.

5. Confirmamus ac etiam innovamus ord. 12. eiusdem capituli generalis Valentini, qua omnibus fratribus ordinis nostri in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto iniunctum est, ut, cum aliena vel propria scripta praelo demandaverint, impressione terminata, unum exemplar in principaliori provinciae conventu reponant et alterum ad magistrum ordinis transmittant; et si qui negligentes fuerint, poenis in fratres ordinis nostri latis, qui absque debita licentia magistri ordinis opus aliquod edere praesumpserint, subiicimus.

6. Confirmamus, quae toties ab initio ordinis constituta sunt, inspecto nostri instituti fine, quod in conventibus, in quibus nondum superiorum incuria bibliotheca communis erecta est, post horum actorum publicationem intra duos menses pars aliqua conventus, quae commodior erit, destinetur pro communi bibliotheca, in qua omnes libri reponantur; in iis vero conventibus, in quibus deo benedicente bibliothecae erectae sunt, satagant superiores ea aedificia, cum opus fuerit, reparare, ne labantur, eaque exornare, uti decet bibliothecam, in eaque fideliter libri custodiantur nec extrahi possint ex quibuscumque bibliothecis ordinis, uti denuntiatum est, sed in omnibus conventibus, in quibus bibliothecarii instituti non sunt, post horum actorum notitiam ex gravioribus patribus instituatur saltem unus vel a rr. patribus a consiliis vel a rev. patre provinciali, quique claves penes se habeat et sedulo libros custodiat et occlusam, nisi certis horis, bibliothecam teneat; et si negligens fuerit in custodiendis libris, alius, nulla habita personarum acceptione, instituatur in bibliothecarium. Iniungentes superioribus in visitatione conventuum, ut, omni sollicitudine adhibita, observantiae huius statuti invigilent; nihil quippe decentius est ordini nostro, quam quod fratres nostri deo famulentur et studia in bibliothecis colant. Quare inhibemus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto nec non sub poena privationis officii tam rev. patribus prioribus aut conventuum superioribus quam lectoribus, ne lectiones aut acta scholastica aut quaecumque alia, quae concursum saecularium aut religiosorum etiam

nostri ordinis advocare possunt, in bibliothecis faciant aut habeant; et si qui contra hoc statutum quidquam facere praesumpserint, ultra poenas iam latas, etiam ad similia officia ad triennium inhabiles declaramus; quodque officium bibliothecarii ultra triennium durare inhibemus, nisi per rr. patres a consiliis una cum assensu r. patris provincialis aut vicarii congregationis ad aliud triennium eligantur.

7. Confirmamus, quod toties ab exordio ordinis constitutum est et ultimo Vallisoleti 1605 in fine confirmationis 11., qua sancitum est, ut singulis annis pro communi bibliotheca libri emantur. At quia compertum est, superiores conventuum maxime negligentes esse ad librorum emptionem, statuimus, ut singulis annis conventuum superiores sub poena privationis ab officiis et inhabilitatis ad ipsa ad triennium applicent pro communi bibliotheca ad libros emendos id, quod uni ex fratribus pro vestiario subministratur et in communi deposito singulis annis servetur, donec collecta summa de consilio patrum et admonito r. patre provinciali emantur libri pro communi bibliotheca; in iis vero conventibus, in quibus est annuus census pro libris emendis, praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto nec non sub poena privationis officiorum et inhabilitatis ad ipsa et utriusque vocis omnibus superioribus et fratribus, qui horum reddituum curam gerunt, ne in alios usus quam pro emptione librorum, quacumque urgente necessitate aut quovis praetextu, eiusmodi census divertere praesumant, eosque exacte singulis annis in communi deposito reponant, alias poenam praedictam incurrant; mandantes, ut quolibet anno coram omnibus patribus a consiliis et ulterius in qualibet visitatione patris provincialis aut vicarii congregationis rationem eorum reddant; quibus omnibus iniungimus, ut sedulo invigilent, quod huiusmodi redditus recte administrentur, et quod libri necessarii, ut sunt sancti patres, sacrae scsipturae interpretes, historiae ecclesiasticae et theologiae etiam moralis et philosophiae auctores emantur.

8. Confirmamus et admonendo denuntiamus, quod uti in capitulo generali Tholosae 1628 denuntiatum est, s. m. Urbanum VIII. inhibuisse omnibus sub poena excommunicationis, ne libros ex bibliothecis nostris, quinterna, folia sive impressa sive manuscripta sive donata sive in posterum donanda ex iisdem bibliothecis sub quovis praetextu extrahere, aut ut extrahantur permittere aut consentire. Quare iniungimus superioribus sub poena suspensionis ab officiis ad sex menses, ut hoc breve in ingressu bibliothecae apponere faciant.

9. Confirmamus conf. 5. capituli generalis Romae 1686, quaeque ord. 4. capituli Valentini anni 1647 confirmatur, in qua statuitur, ut, qui in posterum approbandi erunt ad audiendas confessiones tam fratrum

quam saecularium et monialium, nisi alias sint graduati vel in studio generali praedicatores vel lectores instituti, semel de triennio in triennium in aliquo conventu, ubi viget studium theologiae, examinentur, et tunc simpliciter approbati censeantur, cum tertium examen subierint; quantum vero ad formam et locum examinis annuimus, quod servetur usus provinciarum; onerantes conscientiam provincialium et cuiuscumque congregationis vicariorum, si in visitatione conventuum non invigilaverint, an qui ad confessiones audiendas approbati, idonei et sufficientes sint ad sanctissimum illud ministerium, ex quo perfectio et salus animarum pendet.

10. Confirmamus declar. 33. capituli generalis anni 1656, qua conformiter ad decretum Clementis VIII. die 29. iunii 1599 et rescriptum s. congregationis interpretis concilii Tridentini statutum fuit, ut fratres conversi mittantur ad conventus strictioris observantiae, in quibus novitii clerici simplices educantur, ut ad minus per annum integrum, antequam emittant professionem solemnem, probentur; alias professionem eorum nullam declaramus, et priores, qui eos ad professionem admiserint, a suis officiis absolvantur et per tres annos priventur voce activa et passiva; declarantes, quod in iis conventibus habitare non debent in domo novitiorum clericorum, et eo sensu loquitur capitulum generale anno 1629 declar. 4.

11. Confirmamus et, in quantum opus est, innovamus, quae toties per tot varia capitula generalia et per encyclicas epistolas magistrorum ordinis, praesertim moderni, ordinata, constituta et confirmata sunt, ut gravissimum malum, quod dira pestis nuncupatur, ab ordine nostro eliminari possit, quodque nondum post sanctas inhibitiones, summorum pontificum decreta et constitutiones et capitulorum generalium sanctiones eradicari potuit, in diemque magis ac magis pullulat, totiusque religionis regimen enervat et domus dei decorem denigrat, scilicet dirum illud et grave malum, quo fratres suae vocationis et sanctarum legum immemores ad extraneorum favores, ut gratias ordinis, munia, officia, dignitates, gradus et lecturas obtineant, recursum habent; quod malum ut omnino poenarum et censurarum terrore eliminare possimus, quae in conf. 8. capituli generalis Romae 1650 celebrati statuta sunt, quaeque etiam magister ordinis in epistola transmissa ad omnes fratres totius ordinis sub die 28. augusti 1691 statuit, mandavit et innovavit, confirmamus et innovamus, ac si de verbo ad verbum his actis capitularibus inserta essent quoad poenas et censuras quomodocumque latas, etiam excommunicationis; declarantes quotiescumque ex commendatione extraneorum sive a superioribus provinciarum aut congregationum vel conventuum sive a magistro ordinis gratiae aliquae conceduntur, non ideo exemptos esse eos fratres, quibus conceduntur, a poenis, censuris et excommunicatione

et aliis, quae a summis pontificibus Gregorio XIII. et Clemente VIII. et capitulis generalibus imponuntur, sed eas omnino incurrere indeque ipsos haberi debere uti ordinis destructores et totius religionis publicos hostes.

12. Confirmamus statuta, quae uti sanctissima et omnino necessaria in glossa constitutionum dist. 2. cap. 8. text. 9. lit. I. inserta sunt variisque in capitulis generalibus sancita, quibus stricte prohibetur, ne fratres nostri saecularibus et extra obedientiam nostri ordinis constitutis revelare praesumant secreta ordinis et conventus et fratrum defectus, unde vel fratri vel ordini infamia aut damnum accidere possit, eosque uti ordinis destructores haberi volumus poenisque gravioris culpae, secundum quod in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 18. text. 5. constitutum est, subiicimus, ita ut ab his poenis eximi non possint nisi per magistrum ordinis vel capitulum generale.

13. Confirmamus et, si opus esset, innovamus ord. 10. capituli generalis 1629 secundum illius tenorem, eamque inviolabiliter observari demandamus, quaeque in eadem ordinatione constituta sunt tum circa ea, quae ad depositum ordinis hic Romae ab eodem tempore praefati capituli generalis erectum spectant, ut negotiis ordinis et aliis in eadem ordinatione expressis subveniri possit, tum quoad ea, quae attinent ad depositum provinciarum pro necessitatibus communibus earumdem provinciarum sublevandis; onerantes conscientiam omnium superiorum tam provinciarum quam conventuum, si quidquid contra ordinationem praenominati capituli sub quovis praetextu aut quaesito colore attentare praesumpserint.

14. Confirmamus, quae toties ordinata sunt in capitulis generalibus circa commune depositum cuiuscumque conventus, etiam parvi, ut inviolabiliter stabiliatur, in quo omnes pecuniae undequaque advenientes omnino reponantur; in quo communi deposito constituatur arca, quae tribus seris claudatur, sintque tres claves distinctae, quarum prior aut praesidens conventus unam habeat, alias duas duo patres depositarii, moribus et fidelitate probati, uti toties ordinatum est in capitulis generalibus; inhibentes officialibus conventuum, ne pecunias quocumque praetextu expendant, nisi prius in communi deposito fuerint repositae; iniungentes prioribus sub poena absolutionis ab officio, ut inviolabiliter observari faciant, quae de communi deposito constituta sunt; onerantes conscientiam superiorum, si in visitatione conventuum sedulo non invigilent circa observantiam legum depositi communis, cum satis compertum sit, ex earum inobservantia conventus nostros in diem dilapidari.

15. Confirmamus capituli generalis Vallisoletani 1605 ord. 24., qua constitutum est sub praecepto formali omnibus fratribus, quascumque

ut eleemosynarum pecunias ad missas celebrandas receperint, eas intra spatium 24 horarum patri sacristae consignent; quod si non fecerint, superiores conventuum furti iudicio eos condemnent; si vero sint eleemosynae sine onere missarum conventui aut ecclesiae erogatae, eas omnino ad patrem priorem aut conventus praesidentem et depositarios deferant intra idem spatium temporis; si secus fecerint, eodem furti iudicio damnentur.

16. Confirmamus conf. 1. nuperrimi capituli generalis, qua quod in antecedenti capitulo Romae 1677 celebrato virtute rescripti s. congregationis demandatur, nempe ut in omnibus conventibus vita communis et perfecta communitas introducatur. Unde hortamur omnes tam provinciarum quam congregationum et conventuum superiores, ut perfectam communitatem in omnibus conventibus satagant introducere; quod si ob tenuitatem reddituum conventuum in omnibus bonum illud commune introducere non possint, saltem in maioribus conventibus, in quibus sunt novitiatus et studia, eam instituant, ut ea perfecta communitate stabilita fratres nostri liberi a curis et sollicitudinibus eorum, quae ipsis necessaria sunt, religiosius secundum suae vocationis normam vota sua reddant altissimo; quod si nondum sit ea perfecta communitas in omnibus conventibus introducta, in iis tamen conventibus, in quibus benedicente deo iam stabilita est, ut omnino foveatur et manuteneatur, praecipimus; inhibentes omnibus superioribus, ne in ea dispensare quocumque praetextu aut in ea aliquid relaxare praesumant; quod si fecerint, ipso facto a suis officiis absolvantur, eosque inhabiles ad similia officia in perpetuum dicimus; et sub eadem poena demandamus eorum successoribus, ut immediate perfectam communitatem introducant nec permittant, ut quidquam irrepat, quod laudabilem et exactissimam rerum communitatem vel in minimo relaxare possit.

17. Confirmamus, quae toties statuta sunt circa deposita fratrum in iis conventibus, in quibus nondum perfecta communitas introducta est, et statuimus iterum, quod deposita fratrum in communi deposito conventus serventur, sed iuxta leges in praecedenti capitulo generali statutas conf. 1., nempe quod deposita cuiuscumque fratris sint in moderata quantitate et, si excessiva sint, conventui applicentur; secundo quod sint ad usum determinatum superiori notum; tertio quod sit ad breve tempus; iniungentes superioribus conventuum, ut etiam in communi deposito reponere faciant in scriptis mobilia, quae fratres ad sui usum habent; et si priores negligentes fuerint, per suspensionem ab officiis ad sex menses per provinciarum aut congregationum superiores puniantur. Innovantes praeceptum ea in confirmatione factum, quo in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae nec non sub formali praecepto omnibus et sin-

gulis patribus depositariis seu curam depositorum habentibus praecipitur, ne saecularibus audeant pecunias in communi deposito repositas revelare et, si secus fecerint, praeter grave peccatum, quod incurrunt, ab officio depositarii deponantur et ad idem in perpetuum inhabiles declarentur.

18. Confirmamus, quae in praecedenti capitulo conf. 3. quaeque fere in omnibus capitulis generalibus statuta sunt ad coercendos vagos frequentesque fratrum discursus absque superiorum licentia, et quae in constitutionibus nostris dist. 2. cap. 13. text. 2. et in glossa ipsius lit. C., ne fratres absque licentia provincialis intra limites suae provinciae vagari praesumant; et si aliquando intra limites regni ob gravia negotia ire alicui fratri necesse sit, urgente gravi causa, poterit provincialis licentiam ipsis concedere, sed raro id faciat; studentes vero poterunt etiam rr. patres provinciales ad studia mittere, ad quae provinciae ius mittendi habent; alias nullo modo licentiam dare e provincia exeundi licebit provincialibus. Innovantes admon. 1. capituli generalis Tholosae 1628, qua admonentur rr. pp. provinciales, ne studentes mittant ad studia Italiae, nisi pro rata suae provinciae; Romam autem accedere nulli liceat, uti toties ordinatum est, nisi cum licentia magistri ordinis. Quod si aliqui incedant absque literis testimonialibus, cum in aliquem pervenerint conventum, carceri mancipentur, imposita etiam ipsis poenitentia coram toto conventu, nempe disciplinae et sessionis in terra cum pane et aqua per tres dies; qua peracta, aut detineantur in carcere, quoadusque magister ordinis aliter disposuerit, vel remittantur ad suam provinciam; et eo sensu intelligenda est praefata confirmatio capituli praecedentis. Inhibentes omnibus superioribus ordinis nostri sub poena suspensionis ab officiis per tres menses, ne quocumque praetextu aut quaesito colore permittant fratribus nostris, qui incedunt absque literis testimonialibus suorum superiorum, missam aut in conventibus aut extra conventus in civitate celebrare; qui enim sic incedunt absque literis testimonialibus suorum superiorum, ipso facto suspensos a divinis dicimus, donec a patre provinciali illius provinciae, cuius sunt filii, vel a magistro ordinis reintegrati et restituti fuerint; eos autem, qui ita e provinciis suis recedunt, ad tres annos voce activa et passiva privatos dicimus, et ad quatuor menses in carceribus detineri demandamus; qui vero Romam accesserint, ea etiam poena plectendos esse decernimus et in carceribus conventus s. Xisti de Urbe detinendos esse declaramus, expensis suorum conventuum; supplicantes magistro ordinis, ne in his poenis ullo modo dispensare velit, cum fratrum discursus, ex quibus tot damna et scandala ordini eveniunt, nisi poenarum rigore coerceri non possint. Quare mandamus superioribus conventuum, quod itinerantium testimoniales litteras indispensabiliter legant, ut iuxta conditionem uniuscuiusque fratris eos ad hospitalitatis officia suscipiant.

19. Confirmamus conf. 7. capituli Romani 1650 et conf. 2. praecedentis capituli, attendentes, quod non parva relaxatio in quibusdam provinciis irrepsit, ex eo quod novitii professi non maneant in novitiatu usque ad sacerdotium. Quare statuimus, ut in multis capitulis generalibus ordinatum est, quod novitii post emissam professionem maneant in domo novitiorum usque ad sacerdotium, neque etiam si sacerdotes fuerint, ante quatuor annos completos post emissam professionem e novitiatu exeant, sed semper sint sub cura magistri novitiorum. Inhibentes superioribus, ne novitios post emissam professionem mittant in conventus, in quibus non sunt domus novitiorum, ne cito spiritum regularis observantiae, in qua in anno probationis instructi sunt, amittant; onerantes conscientiam superiorum, si secus facere praesumpserint; adhortamur omnes provinciarum et conventuum superiores patresque a consiliis, ut satagant, quod in magistros novitiorum eligantur patres graves et prudentes, zelum religionis et observantiae habentes, et ne eorum labores absque praemio remaneant, innovamus, quae in eadem confirmatione nuperrimi capituli generalis et in praecedentibus capitulis generalibus in eorum mercedem concessa sunt, exceptis provinciis Tholosana et s. Ludovici regis, quas in proprio usu et praxi remanere volumus.

20. Confirmamus declar. 10. capituli Romani 1656, qua statuitur, quod in obitu sive magistri ordinis sive procuratoris generalis, relicta eorum supellectilia nullo modo dividantur cum eorum conventu originali, sed integre maneant ac serventur successori, neque etiam registra, indices, scripturae librique omnes, cuiuscumque generis sint, amoveantur aut distribuantur, sed ea omnia incorporata et unita ordini nostro pro camera magistri ordinis et procuratoris generalis dicimus eaque respective incorporamus et unimus.

## Declarationes.

1. Declaramus, quod, cum universam disciplinae monasticae religionem funditus everti necesse sit, si inferiores a praestanda superiorum praeceptis obedientia solutos se variis rationibus arbitrentur, nec satis aliquando possint superiores ob grassantis mali generalitatem patrum consilium advocare, ex quorum deliberatione praecepta subditis imponant, idcirco declarationem primam capituli generalis 1670, qua superioribus sive provinciarum sive conventuum cautum est, ne sine praevio patrum consilio praecepta imponant censurasve ferant, quae totam communitatem ad peccatum mortale obligent, intelligendam esse de praeceptis, ut canonistae vocant directivis, quae legis instar totam communitatem ad alicuius rei observantiam permanenter adstringant, nequaquam vero intelligendam esse de praeceptis iudicialibus, quibus vel ad extorquendam a reis aut testibus veritatem vel ad sanciendam iustitiam subditis impo-

nuntur, quae licet a praelatis raro et urgenti de causa ac rebus omnibus mature perpensis dumtaxat ferri velimus, ipsa tamen praecepta iam dicta sine praevio patrum consilio imponi posse decernimus, ita tamen ut in eiusmodi praeceptis imponendis serventur, quae in prologo constitutionum nostrarum text. 5. statuta sunt.

2. Declaramus, quandoquidem specialis in ordine nostro ritus est divinum officium recitandi ab apostolica sede confirmatus, nemini privato ex fratribus nostris licere festa aut officia recens instituta aut ex speciali quorundam devotione fieri solita celebrare, usurpare atque amplecti posse quantum ad officii recitationem, nisi ex capituli generalis vel magistri ordinis mandato recitandum atque usurpandum fuerit; mandantes, ut, quae in rubricis novi breviarii et encyclica epistola a magistro ordinis ad totum ordinem transmissa constituta sunt, religiose et inviolabiliter serventur.

3. Declaramus, quod, si contigerit conventum novitiatus iudicare novitium sibi ad probationem commissum esse incapacem ad emittendam professionem, non illico ab ordine eiiciatur inscio conventu, pro quo iuvenis habitu ordinis indutus est. Quod si conventus reclamet, ut non ab ordine expellatur, tunc recurrendum erit ad r. p. provincialem, qui cum consilio gravium patrum diffiniat, quid hoc casu agendum sit, vel an parendum sit iudicio conventus, in quo iuvenis annum probationis peregit, vel conventui reclamanti, pro quo habitu indutus est, prout latius in encyclicis epistolis magistri ordinis constitutum est, salva tamen consuetudine provinciae Tholosanae et s. Ludovici regis aut aliarum provinciarum, si quae sint, ubi ex vi ipsius iudicii patrum novitiatus, in quo annum probationis peregit, de insufficientia lati ipso facto et absque nova provincialis consultatione iuvenis ille censetur legitime eiectus.

4. Declaramus, quod, si post receptionem ad habitum factam in conventu affiliationis contingeret, quod peracto anno probationis iuvenis in novitiatu ad emittendam professionem admitteretur, et tamen conventus affiliationis iuvenem approbatum in novitiatu renueret recipere et approbare, tunc eo casu provincialis, adhibito gravium patrum consilio, exquirat de momentis et motivis, ob quae conventus affiliationis iuvenem sic approbatum renuit acceptare; quod si illa motiva et momenta, audito etiam conventu novitiatus, nulla esse iudicabit, iuvenem posse professionem emittere, ultimo et diffinitive declarabit, ita ut filius illius conventus sit, pro quo habitu ordinis indutus est, si professionem emittat.

5. Declaramus, quod, uti Barcinone 1574 declar. 13. et Romae 1580 conf. 23. statutum est, si contingat, quod conventus, in quo iuvenis aliquis annum probationis peragit uti filius alterius conventus, pro quo habitu ordinis fuerit indutus, inducat eundem iuvenem ad deserendum conventum affiliationis, ut in eo conventu, in quo novitiatum peragit,

professionem emittat uti filius illius conventus novitiatus sine prioris conventus assensu, translatio illius affiliationis hoc modo facta nulla erit, etiamsi assensus provincialis accesserit; unde statuimus, sicuti in praenominatis capitulis generalibus statutum est, iuvenem illum emissa professione hoc modo esse filium illius conventus, pro quo suscepit habitum, etiamsi faciat professionem in conventu novitiatus, non requisito illo conventu, pro quo habitum suscepit; sicque intelligendam esse ordinationem 9. capituli generalis Bononiae celebrati 1302, etiamsi conventus novitiatus esset studium generale.

6. Declaramus, quod quicumque receptus fuerit ad habitum ordinis absque alicuius conventus determinatione, ipse erit filius illius conventus, in quo habitum ordinis suscepit; declarantes probationis annum fratrum clericorum computandum esse ab ipso ingressu in novitiatum, quem quidem annum expleri necesse est in novitiatu, ut professionem solemnem emittere possit, ita ut nec occasione aut praetextu recreationis in granciis, ut vocant, aut parvis conventibus aut villis conventuum pernoctare novitiis simplicibus fas sit; abolentes hanc consuetudinem, si in aliquibus provinciis introducta esset, quam perniciosum abusum dicimus; et si priores aut magistri novitiorum has in posterum laxitates permiserint, ut novitii simplices in granciis aut villis conventuum pernoctent, omnino a suis officiis absolvantur et ad triennium ad eadem per rr. pp. provinciales aut congregationum vicarios inhabiles declarentur.

7. Declaramus statuendo, quod in posterum nullus ad habitum nostri ordinis recipi possit, qui ex quacumque altera religione, etiam ante professionem solemnem emissam, expulsus fuerit, uti ordinatum fuit Valentiae 1596. Inhibentes superioribus sub poena absolutionis ab officiis ipso facto incurrenda et patribus ac fratribus sub poena privationis vocis activae et passivae ad triennium, ne eiectum ex quocumque ordine regulari, etiam ante professionem emissam in ea religione, a qua eiectus est, vel eam sua sponte deseruerit, ad habitum ordinis nostri recipiant; et si receptus fuerit, inhibemus etiam, ne ad professionem in ordine nostro admitti possit, sed per rr. pp. provinciales compellantur superiores conventuum sub poenis iam latis eos ab ordine expellere et in hoc sensu declarationem 6. capituli 1629 temperandam duximus.

8. Declaramus et inhaerendo ordinationi 6. capituli Valentini 1647 inhibemus, ne iuvenis, non admissus ad habitus nostri receptionem in uno conventu, possit in alio conventu admitti et recipi; similiter et qui eiectus est ab uno conventu, in alio nullo modo recipiatur, irritam et inanem professionem cuiuscumque decernentes; et si secus factum fuerit, etiamsi accedat assensus provincialis, sed omnino requiritur licentia magistri ordinis, ut qui eiectus est ab uno conventu, in alio recipi possit.

9. Declaramus, quod, si contingat aliquem conventum non habere filios, cum in eo aliqui professi ex aliis conventibus affiliantur, nullo modo requiritur assensus patrum eo in conventu assignatorum, sed penes magistrum ordinis erit eidem conventui, qui nullos filios habet, de filiis providere iuxta morem et consuetudinem uniuscuiusque provinciae.

10. Declaramus, nullum superiorem aut fratres cuiuscumque conventus posse aliquam partem conventus ipsius aut bonorum earumdem domorum, hortorum, terrarum aliorumque huiusmodi alienare aut quomodolibet alienationi consentire sub poena excommunicationis ipso facto incurrenda a sacris canonibus saepius indicta nec non privatione officiorum, vocis activae et passivae ipso facto absque nova declaratione, nec posse rehabilitari nisi praevia absolutione ab excommunicatione, quin etiam declaramus, non posse magistros generales pro tempore cedere regimini conventuum sibi commissorum et illius immediatae curae subiectorum, neque aliis iuribus officii sui, nec bona camerae magistri generalis alienare, nec bonis mobilibus spoliari, etiam in casu mortis aut amotionis eiusdem; et si quae sit cessio facta regiminis domorum aut conventuum, pro tempore sui generalatus ad summum fieri posse dicimus; nihil enim in praeiudicium successorum facere possunt; sicque quaecumque cessio facta per ipsos intelligenda erit.

11. Declaramus, suppriorem, qui officium consummaturus esset ante capitulum provinciale, in socium prioris ad idem capitulum provinciale eligi posse, dummodo officium sui supprioratus terminet propria constituti temporis consummatione, possitque aliunde alter supprior eligi et institui, seque praesentem sistere in conventu, antequam prior ad capitulum provinciale se conferat, et cum iis circumstantiis ordinationem, qua prohibetur, ne supprior in socium prioris ad capitulum provinciale eligi possit, temperamus et intelligendam esse dicimus.

12. Declaramus, quod electionis canonicae scrutinio subscribere tantum possunt et debent, qui vere scrutatores votorum sunt, non qui aut provinciae aut capitulo praesunt, cum revera scrutatores non sint, immo scrutatorem in priorem electum posse ac debere scrutinio subscribere, tametsi electionis decretum formare non debeat, si primi scrutatoris officio fungatur, etiamsi essent quatuor scrutatores; si vero in aliqua electione prioris aut alia electione canonica ad confirmatorem mittenda essent tantum tres vocales, omnes ad scrutatoris officium admitti deberent sub poena nullitatis electionis, nisi quis iuri suo sponte cederet aut canonicum impedimentum ad id munus pateretur.

13. Declaramus, praedicaturam generalem non esse assignationem simpliciter, sed omnes ad officium et munus praedicatoris generalis promotos debere patentes litteras assignationis obtinere pro ipsismet conven-

tibus, pro quibus praedicatores sunt instituti, alias iis in conventibus iuribus assignatorum non gaudent.

14. Declaramus inhaerendo glossae constitutionum dist. 1. cap. 13. text. 1. lit. A., quod numerus patrum a consiliis in nullo conventu, excepto Parisiensi, duodenarium numerum excedat, priore eo in numero non computato, nec ullus minor quadraginta annis admittatur, exceptis iis, quibus de iure consiliis adesse competit. Unde iniungimus patribus prioribus sub poena absolutionis ab officiis, ne aliquem ultra hunc numerum ad consilium vocent, annullantes et cassantes praesenti decreto quoscumque institutos, qui aetatem quadraginta annorum non attigerint.

15. Declaramus, cum in dies nova litigia suboriri soleant ob praecedentiam patrum a consiliis, dum consiliis intersunt, hunc ordinem in posterum observandum esse, declarando tum declar. 8. capituli generalis Neapoli celebrati anno 1600, tum declar. 7. capituli Romani 1650, quod primum locum obtinebit in absentia r. p. provincialis prior actualis conventus, postea inquisitores vel magistri in theologia acceptati pro more cuiuscumque provinciae, postmodum qui fuere provinciales illius vel alterius provinciae, nisi alias ipsi magistri ante provincialatum fuissent, tunc enim ordinem et locum occupabunt a constitutione praefixum, deinceps licentiati s. theol. in provinciis Franciae, Germaniae inferioris, Parisiensi et s. Rosae et aliis, in quibus fratres eo gradu potiuntur; post illos supprior conventus, baccalaurei seu praesentati et lectores primarii studiorum generalium, quibus semel hoc ordine constitutis, deinde praedicator generalis conventus, magister novitiorum, lector primarius aliorum studiorum sedeant in consilio et loquantur iuxta antiquitatem professionis; qui vero in eodem conventu priores, lectores primi fuerunt, in consilium admittentur pro antiquitate ad invicem professionis uniuscuiusque, et eo sensu accipienda ac interpretanda decernimus quaecumque in prioribus capitulis generalibus hac in re fuere constituta.

Si autem ob numerum magistrorum contigerit eos, qui constitutum numerum excedunt, a consilio amovendos esse, in primis excludantur, qui ex gratia patres a consiliis facti sunt, incipiendo ab iis, qui sunt professione inferiores, non attendendo ad litteras patentes, quibus instituti sunt patres a consiliis. Secundo excludantur a consilio, qui fuere lectores aut priores in eodem conventu secundum inferioritatem professionis, et consecutive excludantur ii, qui de iure sunt, semper ab inferioribus incipiendo, ita tamen ut, si in consilio agatur de novitiis, magister novitiorum eidem consilio adsit; si de studentibus, lector primarius aderit, etiam excluso uno, qui de iure consilio adesse debet.

Si vero omnibus computatis constitutus numerus patrum a consiliis non sit expletus, aliique ea de causa sint advocandi, advocentur prius

praedicatores generales aliorum conventuum, qui ibi cum legitima dispensatione sunt assignati et qui priores in aliis conventibus extiterunt, servato inter illos ordine antiquitatis professionis iuxta dispositionem declar. 7. capituli 1650; salvis nihilominus usibus provinciarum illarum, ubi seniores aliis titulis praeferuntur, ac maxime Tholosae ac s. Ludovici regis, ubi, qui lectores primarii extitere, nullo eiusmodi privilegio potiuntur.

16. Ad intelligentiam 2. declarationis capituli Romani 1629, qua declarantur textus et glos. lit. B. dist. 2. cap. 4. et maiorem explicationem declarationis quartae capituli Valentini 1647 et declarationis secundae capituli Romani 1677 declarando statuimus, quod in omni capitulo provinciali vel in capitulo intermedio in iis provinciis, in quibus adinstar capituli provincialis eliguntur diffinitores, semper eligatur diffinitor capituli generalis in anno, in quo capitulum generale est diffinitorum, et eligatur servata forma praescripta in constitutionibus; cui etiam assignabitur socius a r. p. priore provinciali vel vicario provinciae et diffinitoribus capituli provincialis, ita tamen ut iuxta declarationem capituli generalis Romae 1677 et text. praefatae constitutionis, si contingeret futuram esse electionem magistri ordinis in proximo capitulo generali, tunc, si suppetat tempus, possit congregari provincia ad novam electionem diffinitoris et electoris generalis, non tamen pro arbitrio p. provincialis, sed de consilio maioris partis graviorum patrum seu magistrorum provinciae simul adunatorum et per vota secreta.

17. In anno vero, in quo capitulum generale erit capitulum provincialium, similiter assignetur socius ipsi provinciali eo modo quo supra de socio diffinitoris dictum est, et insuper in eodem capitulo provinciali eligatur elector magistri ordinis, etiamsi vacantia non sit, ut, si contingeret, elector in eo capitulo iuxta formam praescriptam in constitutionibus electus esset diffinitor capituli generalis futurae electionis; advertendo, quod non possit eligi in electorem, qui in capitulo generali immediate praecedenti diffinierit, cum in duobus capitulis generalibus immediatis non possit idem diffinire.

18. Verum inhaerentes textui et glossae praecitatis statuimus, quod si diffinitor, elector et socius electi in capitulo provinciali non possent aut nollent accedere ad capitulum generale, vel aliquem ex eis mori contingeret, tunc sive capitulum sit provincialium sive diffinitorum, et non suppetat tempus convocandi capitulum provinciale ut supra, diffinitores capituli provincialis immediate praecedentis, qui primitus habitum ordinis susceperunt, servata pro more et praxi cuiuscumque provinciae alternativa, ad electionem magistri ordinis admittantur, et antiquior in ordine sit capituli generalis diffinitor.

19. Declaramus, quod, cum constitutiones nostrae constituant in cap. 5. dist. 2. text. 6. et in glos. sub lit. E., quod, qui in praecedenti capitulo electus fuerit ad idem officium, reeligi non valet in anno diffinitorum immediate subsequente, sic esse intelligendum, ut, cum diffinitor, elector vel socius functi sunt suo munere in capitulo generali, nullo modo possit reeligi ad idem officium pro capitulo generali immediate subsequente, sed si suis officiis functi et potiti non fuerint, poterunt in capitulo provinciali iterum ad idem officium diffinitoris, electoris et socii reeligi.

20. Declaramus atque inpraetermisse in omnibus provinciis observare iubemus declarationem 3. capituli Romani 1644, qua statutum est, quod priores conventuales eorum conventuum, qui absque sua culpa numerum duodenarium sustentare non possunt, nihilominus in possessione suffragii pro capitulo provinciali maneant, dummodo sex fratres alant; excipimus tamen provincias, in quibus contrarius usus existit, et provinciarum desolatarum conventus, qui temporum et bellorum clade aut furore haereticorum ita destructi et dilapidati sunt, ut vix tres fratres sustinere possint.

21. Declaramus insuper ad maiorem tum praedictae 3. declarationis tum 5. capituli Valentini 1647, quod in eo numero senario comprehenditur prior ipsemet; verum statuimus, quod, ut ipse conventus ius habeat eligendi socium prioris ad capitulum provinciale, necesse est omnino, quod alat quinque fratres praeter priorem, qui nedum sint capitulares, sed qui de iure habeant vocem activam ad electionem prioris et socii.

22. Declaramus, quod, cum in toto ordine nostro retro saeculis statutum sit, ne amplius eligatur in conventibus nostris elector prioris provincialis alius a socio prioris conventualis ad capitulum provinciale, inhibemus omnibus conventuum prioribus sub poena nullitatis electionis et privationis utriusque vocis ad triennium, ne se immisceant electioni socii eo praetextu, quod electorem prioris provincialis et non socium prioris conventualis dumtaxat intendunt eligere, cum iam in ordine nostro sit antiquata electio electoris prioris provincialis, et in conventibus remanet solum ius eligendi socium prioris ad capitulum provinciale, quique revera est elector prioris provincialis, et huius socii electioni se immiscere non debet prior, uti in constitutionibus nostris sancitum est dist. 2. cap. 3.

### Admonitiones.

1. Admonemus iuxta tenorem constitutionum dist. 2. cap. 12. text. 3. et glos. ibidem lit. A., et uti in multis capitulis generalibus posterioribus statutum est, maxime in capitulo Romae 1656 admon. 1., provinciarum et congregationum superiores ac conventuum priores, ut quam

diligentissime attendant in diligendis et mittendis praedicatoribus, quod ii bonis moribus et litteris praediti et ornati sint, ne, dum aliis praedicaverint, ipsis scandalo sint. Indeque statuimus, ut quae in glossa eiusdem textus ex variis capitulorum generalium ordinationibus et ex praecedentis capituli generalis conf. 9. constituta sunt, religiose et exacte serventur, praesertim ut neminem ad praedicandum mittant, qui saltem per triennium theologiam non audierit, quique a quinque deputatis examinatoribus post severum examen idoneus repertus non fuerit; declarantes, non sufficere, quod concionantem audierint, sed eum ulterius severe examinare debent; et si qui superiores sint, qui uti constitutum est, exacte non servaverint, censuris ibidem latis et praecepto formali ipso facto subiiciantur. Mandantes etiam, ut nemini ex fratribus nostris titulus praedicatoris concedatur, nisi prius a quinque examinatoribus vel studii moderatoribus fuerit severe examinatus et ultra hoc coram toto conventu concionem habuerit.

2. Admonemus omnes fratres nostros, quos aliquando fertur excedere, ne praesumant absque speciali licentia episcoporum aut ordinariorum nominatim ipsis concessa conciones ad populum habere tempore adventus vel quadragesimae; si qui praesumpserint, non obtenta debita licentia, praedicare, ab officio praedicationis ad triennium omnino suspendimus et poenae gravioris culpae per annum subiicimus, sicut et quemcumque ex nostris, qui ementito vel usurpato alterius religiosi nostri ordinis nomine praedicare praesumpserit; mandantes superioribus conventuum, in quorum districtu praedicant, et rr. pp. provincialibus intra limites suae provinciae, ut serio invigilent, si qui sint, qui in eiusmodi excessus inciderint, eosque carceribus omnino mancipari satagant et poenas praefatas incurrisse declarent.

3. Admonemus omnes ordinis nostri fratres, cuiuscumque sint dignitatis, officii et gradus, ut ea, qua par est reverentia, illustrissimos ecclesiae praelatos, sicut nostrae constitutiones in praelaudato loco adm. 1. et capitula generalia praecipiunt, revereantur, nec praesumant aliquid in eos aut dicere aut scribere, quod eorum laedat aut denigret dignitatem, famam aut personam; et si qui essent ita praesumptuosi, ut hanc admonitionem transgredi ausi fuerint, omnibus officiis, gradibus, voce activa et passiva privatos declaramus, nec ad ea restitui posse nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale. Quod si ab aliquo ill. ac rev. episcopo propter pravos mores ab audiendis confessionibus vel habendis concionibus aliquis ex fratribus nostris suspensus fuerit, statuimus, quod rr. pp. provinciales eidem inhibeant, ne in aliis dioecesibus iisdem muniis fungantur, quousque de ipsius emendatione constiterit.

4. Admonemus insistentes admonitioni 4. capituli Romani 1670 et proxime praeteriti capituli generalis admonitioni 2., quod, cum in ali-

quibus provinciis compertum sit, quantum ordini nostro honoris et splendoris et fidelibus utilitatis attulerit in diemque afferat, cum aliqui in capitulis provincialibus patres zelo, religione, doctrina et dono praedicationis praestantes pro missionibus obeundis eliguntur, ut, cum vocati fuerint ab iis, ad quos spectat, pium illud munus exercere possint, ideo iniungimus omnibus rr. pp. provincialibus, ut ante celebrationem capituli provincialis eiusmodi viros doctos et graves et zelo praeditos in missionarios deputent, unum inter ipsos instituendo, qui veluti caput et superior aliorum missionem, dum vocati fuerint, spiritu unitatis manutenere possit; quibus aliquando non deerit laborum merces et remuneratio, quippe in promotione ad gradus aliis praeferentur.

5. Admonemus rr. pp. provinciales, ut in visitatione conventuum sedulo inquirant, an qui ad confessiones saecularium audiendas in aetate matura sint et probatae vitae riteque examinati in ordine nostro et approbati; innovantes, quae in ord. 3. capituli Valentini 1647 statuta fuere, ita ut, quos noverint insufficientes et minus idoneos, a confessionibus audiendis, omni seposito humano respectu, suspendant, conscientiam in diem iudicii eorum onerantes, si ineptos ministros eo in officio sustituerint; ipsisque committimus, ut in visitatione conventuum graduatos et magistros etiam in theologia et alios viros scientia pollentes ad hoc sanctissimum ministerium a Christo in salutem animarum et ut secunda post naufragium tabula institutum compellant.

6. Admonemus omnes rr. pp. provinciales, ut in visitatione conventuum, quos ex fratribus nostris repererint, qui peracto studio cursus theologici, quique alias litteris et moribus idonei sunt, ad confessiones saecularium audiendas se examini exponere recusaverint, eos etiam per privationem vocis activae et passivae ad examen subeundum compellant; alios vero fratres, quos etiam consumato cursu theologiae insufficientes probaverint, in poenam negligentiae ad biennium voce activa et passiva privatos declarent, nisi ante biennium expletum sufficientiam suam in examine probaverint.

7. Admonemus rr. pp. priores conventuum, in quibus sunt novitii, sive simplices sive professi, ut quoties ipsis confessarii extraordinarii concedendi sunt, de consilio patrum deputentur viri aetate graves, observantiae regularis retinentissimi et in rebus spiritualibus instructi et enutriti, quique eos per semitas sanctitatis vocationisque nostrae ducere et instruere valeant.

8. Admonemus rr. pp. provinciales et congregationum vicarios, ut in visitatione cuiuslibet conventus sedulo inquirant et exacte inspiciant et videant in libris sacristiae et tabellis, an superiores soliciti sint realiter et cum effectu satisfacere oneribus missarum; et si quos negligentes aut

desides repererint, eos omnino ab officiis absolvant et inhabiles ad similia declarent, nec rehabilitari possint, nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale.

9. Admonemus fratres nostros, ut religiosos b. Mariae de Monte Carmelo antiquioris instituti, uti de ordine nostro et schola thomistica benemeritos, venerentur omnique benevolentiae officio prosequantur; quod etsi omni retro tempore praestandum fuit, id potissimum praestandum occurrit, ex qua die ardentissimo rev. p. Ioannis Feyxoo de Villalobos eiusdem ordinis praepositi generalis zelo ad suscipiendam docendamque d. Thomae doctrinam adducti sunt, eamque suam in thomisticam scholam venerationem et observantiam speciali ss. d. n. Innocentii XII. constitutione roborari et confirmari voluerit; quibus propterea ut publicae venerationis nostrae mutuum signum conferamus, committimus rev. p. magistro generali nostro, ut coram sancta sede humiliter supplicet pro facultate recitandi per totum ordinem officium commemorationis b. Mariae de Monte Carmelo et b. Angeli Martyris.

10. Admonemus, quod sicut adm. 3. praecedentis capituli statutum est, ut omni honoris ac obsequii impendio satagant fratres nostri rev. patres scholarum piarum, uti de ordine nostro et doctrina doctoris angelici optime meritos, praevenire eorumque nacta quacumque occasione zelum et commendare et iuvare.

11. Admonemus fratres nostros, cuiuscumque sint gradus, ut, cum a conventibus, in quibus sunt assignati vel deputati, per dies aliquos recedunt, claves camerae, quam inhabitant, superiori relinquant vel de consensu eiusdem superioris alteri religioso et nullo modo saeculari cuiquam aut personae extra obedientiam ordinis constitutae aut secum afferant, et hoc sub poena privationis cellae et vocis activae et passivae per annum; nimis enim modus ille retinendi claves claustralium conventualitatem sapit, quae alias tot mala ordini nostro contulit, quamque radicitus eliminare peroptamus.

12. Admonemus omnes fratres nostri ordinis, ne epistolas anonimas ad magistrum ordinis illiusque socios aut provinciales aut superiores aut personas in dignitate constitutas, aut cuiuscumque sint conditionis, scribere praesumant sub poenis iam latis tum in variis capitulis generalibus tum per publicas magistri ordinis epistolas. Iniungentes superioribus tam conventuum quam provinciarum et congregationum, ut, cum ad ipsos huiusmodi epistolae perveniunt vel a magistro ordinis transmittuntur ad ipsos, omni diligentia curent agnoscere, quis fuerit auctor epistolae anonimae, et eos uti ordinis destructores gravissime puniant et poenis praefixis subiiciant. Similiter inhibemus omnibus fratribus nostris, ne litteras inutiliter congerant eadem sociis scribendo, quae ordinis magistro vel

procuratori generali, aut geminando epistolas eadem de re; propriumque nomen et cognomen, una cum titulis, quibus in ordine fruuntur, inscribant locumque seu conventum, in quo commorantur; et si sint conversi aut novitii professi aut sacerdotes et studentes, exprimant, dimissa omni prolixitate verborum, sed simplici stilo, quae postulant, omni brevitate exponant, ut ea facilius magister ordinis et superiores legere possint.

13. Admonemus ex speciali ss. d. n. iussu, ne praedicatores vane, fabulose minusque decenti oratione in publicis concionibus verbum Dei fidelibus exponant, sed oratione gravi, in scripturis ac patribus fundata fideles instruant, ab omni saeculari vanitate neniisque atque ineptiis longe semoti, sed dignus viris apostolicis concionandi modum usurpent; quocirca prioribus provincialibus serio committimus, ut quoscumque ea parte deficientes in visitationibus observarint, post unam alteramque monitionem ab officio praedicationis suspendant.

## Ordinationes pro observantia regulari.

1. Ordinamus, sicut in antiquis capitulis generalibus et constitutionibus nostris, ut in omnibus conventibus in choro divinum recitetur officium cum devotione et pausa seu clare et distincte, horis constitutis pro uniuscuiusque provinciae more et consuetudine, etiam in parvis conventibus et vicariatibus, si sint ad minus tres clerici, priore ipso vel vicario computato, et hoc sub poena privationis ab officiis et vocis activae et passivae, nedum pro priore ipso vel vicario, verum etiam pro aliis sive magistris sive praedicatoribus generalibus, qui in iis assignati aut deputati reperiuntur; quod ut inviolabiliter observetur, tenebuntur superiores ad capitula provincialia testimoniales litteras deferre, quae huiusce rei publicam fidem faciant; quas si non detulerint, eo in capitulo provinciali voce nec activa nec passiva gaudeant.

2. Ordinamus, sicut in constitutionibus nostris expresse ordinatum est et in variis capitulis generalibus, quod omnes, etiam magistri in theologia, assidue adsint choro tam de die quam de nocte, praesertim in diebus et horis, quibus secundum constitutiones nostras choro adesse tenentur; et si qui sint, qui praetextu sui gradus choro adesse recusaverint, per superiores, etiam imposita poenitentia, corrigantur.

3. Ordinamus ad divinum amorem in cordibus fratrum excitandum et fovendum, sicut iam in variis capitulis generalibus ordinatum est, quod oratio mentalis bis fiat in die per mediam horam, etiam in parvis conventibus et vicariatibus ordinis, iniungentes rr. pp. provincialibus, eorum conventuum visitatoribus, ut accurate satagant hanc sanctam consuetudinem in multis provinciis excultam fovere et promovere; et si quos superiores negligentes repererint, eos severe puniant, etiam per suspen-

sionem ab officiis per sex menses; iisdemque superioribus conventuum iniungimus, ut fratres in choro ad meditationem contineant.

4. Ordinamus, sicut ordinatum fuit Valencenis 1259 ord. 10. et Romae 1569 ord. 1. et Valentiae 1596 ord. 6., ut habetur in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 1. in glos. text. 4. lit. N., quod sacerdos divinum missae sacrificium celebraturus, antequam sacras vestes induat, alteri sacerdoti sedenti, praevia diligenti praeparatione, genuflexus in loco decenti sua confiteatur peccata, et cum devotione ac religiosa modestia sacrum celebret; iniungentes rr. pp. provincialibus, congregationum vicariis ac conventuum superioribus, ut eos fratres impraetermisse a divinis suspendant, qui vel celerius vel negligentius, et non servatis ritu et caeremoniis ordinis, missas celebrare praesumunt illosque cum fratribus laicis et clericis communicare cogant cum stola sacerdotis signo, donec discerint, qua pietate, qua devotione quibusve ritu et caeremoniis divinissimum debeant celebrare sacrificium; et sub eadem poena inhibemus omnibus fratribus nostris, ne in posterum absque caputio albo celebrare praesumant, uti statum est in glos. constitutionum nostrarum dist. 1. cap. 10. text. 1. lit. C., rescindentes quamcumque ordinationem cuiuscumque capituli generalis in contrarium et quamcumque consuetudinem cuiuscumque provinciae.

5. Ordinamus consuetudinem et sanctissimam legem in universo ordine nostro per plurima generalia capitula iam inductam perpetuo et inviolabiliter servari debere, qua sancitum est, ut singulis annis, nemine excepto, tam superiores quam subditi per decem dies exercitia spiritualia peragant, quibus a consortio aliorum semoti, nisi in communi refectorio et choro, ubi noctu diuque divinis officiis interesse tenebuntur, solitarii secedentes Deo in secreto famulari discant. Mandantes superioribus et magistris novitiorum sub poena suspensionis ab officiis ipso facto incurrenda ad sex menses, quod nullus ad habitum ordinis aut professionem admitti aut ad ordines sacros promoveri possit, nisi prius decem dierum spatio exercitia spiritualia cum effectu perfecerit.

6. Ordinamus, ne impune in provinciis superiorum incuria aut, quod gravius est, exemplo publicus evadat lineorum usus, quo aliqui ea laxitate vivunt, ut indusia linea deferunt, quod omnes, cuiuscumque sint conditionis, gradus, dignitatis et officii, ab officiis suis, lecturis et studiis, iuribus ac privilegiis, voce activa et passiva priventur, eosque ipso facto et absque ulla alia declaratione privatos esse dicimus, si tunicellas lineas deferant. Declarantes, non licere rr. pp. provincialibus licentiam concedere lineis indusiis utendi, cum textus constitutionis expresse dicat, quod lineis non utantur ad carnes, nec etiam infirmi; derogantes quoad eam partem ordinationi 13. capituli Romani 1644.

7. Ordinamus, uti ordinatum est in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 10. et 15. et in glos. text. ibidem, variisque etiam capitulis generalibus, ut uniformitas in vestibus et religiosa paupertas servetur, quod fratres nostri vestes omnino deferant, quae religiosam deceant paupertatem, nec attonsae sint, vilitasque maxime in cappis, quae sint nigri coloris, servetur; vestitus autem albi coloris sint, etiam interiores vestes, eosque omnes, qui eas alterius coloris quam albi deferre praesumpserint, eo ipso gradibus, officiis, voce activa et passiva, donec resipiscant, privatos dicimus. Mandantes superioribus provinciarum et congregationum et conventuum in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ut, si quos invenerint in vestitu, calceamentis, tonsura excedere, quique tunicas nimis apertas deferant et caputia excedentia contra formam praescriptam in capitulis generalibus, maxime in capitulo Romano 1650, eos poenas omnes latas in ipsos incurrisse declarent, onerantes eorum conscientiam, si desides aut conniventes fuerint.

8. Ordinamus, quod fratres nostri, cum incedunt sive per civitates sive per pagos aliaque loca, religiosam modestiam omnino servent in incessu, habitu et exteriori conversatione, ita ut in plateis contracta veste non appareant, nec cum mulieribus ad fores ecclesiae conversentur nec in locis, in quibus sunt conventus ordinis nostri per civitates aut oppida incedant, aut domos saecularium vel regularium adeant cum pallio, sed cum cappa et integro vestitu per eadem loca incedant; iniungentes omnibus superioribus, ut quos repererint deficientes, eos etiam per amotionem e conventu aut privationem utriusque vocis impraetermisse puniant.

9. Ordinamus, ne iterum serpat claustralium pestis, quae olim maximam observantiae regulari iacturam fecit, et quae vigilantia maiorum nostrorum in capitulis generalibus ex mandato b. Pii V. summi pontificis foelici successu eliminata est, quod fratres nostri in communi dormitorio habitent, nec cellae formam religiosam excedant; et si qui sint, qui extra dormitorium habitent, nullis graduum vel officiorum iuribus aut privilegiis potiantur, donec in communi resideant dormitorio; omnes vero cellae, quae extra dormitorium sunt, ad communem usum sive pro infirmis sive pro hospitibus omnino deputentur; circa eos vero, qui in dormitoriis plures occupant cellas cum maximo religiosorum detrimento, iniungimus superioribus conventuum, ut eas ad religiosam formam et fratrum usum reducant; et quos renuentes repererint, eos per privationem gradus, officii et vocis activae et passivae parere compellant; vanamque cellarum supellectilem, minus religiosam paupertatem decentem, omnino amoveant, eamque conventui ex nunc incorporamus et incorporatam dicimus et sub iisdem poenis caminos in cellis fratrum prohibemus.

10. Ordinamus ad extirpandum poenitus vitium proprietatis et cuiuscumque negotiationis umbram, ne fratres nostri, cuiuscumque sint conditionis aut gradus, equos quocumque praetextu alant nisi ad usum communem conventus, nec pecora aut alia animalia, quae omnia uti et fructus, ex eis quomodocumque obvenientes, communitati incorporata et unita dicimus, quacumque non obstante licentia obtenta a superioribus provinciarum aut conventuum vel magistro ordinis, quam hac ordinatione revocamus et revocatam esse declaramus.

11. Ordinamus, ut abstinentia a carnibus ieiuniorumque rigor secundum constitutiones nostras inviolabilter servetur, quod superiores cum toto conventu aut in communi refectorio dispensare non praesumant, et si secus fecerint, in poenam laxitatis eorum, ut in variis capitulis generalibus statutum est, ab officiis absolvantur.

12. Ordinamus, quod, cum ex nostris constitutionibus ad abstinentiam a carnibus teneamur, si quando in aliquibus conventibus parvis, in quibus ob tenuitatem domus illiusque paupertatem et exiguum fratrum numerum carnium esus dissimuletur, nusquam tamen superiores praesumant feria 2. et feria 4. aut in adventu in carnium esu et ieiunio dispensare sub poena absolutionis ab officio per rr. pp. provinciales et congregationum vicarios infligenda.

13. Ordinamus, uti sancte ordinatum est in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 3. text. 2. et variis in capitulis generalibus, quod nulli ex fratribus nostris sive priori sive inquisitoribus sive magistris in theologia quidquam in mensa ministretur, quam quod caeteris fratribus ministrari solet, sub poena suspensionis in priores aut conventuum praesidentes ex iudicio r. p. provincialis ferenda, et privationis utriusque vocis activae et passivae ipso facto incurrendae in eos, qui sibi ministrari voluerint praeter ea, quae toti communitati ministrantur, nisi sint infirmi.

14. Ordinamus ad penitus eliminandum irreligiosum abusum, qui in aliquibus provinciis maxime Italiae grassatur in maximum conventuum et observantiae regularis detrimentum, ne in posterum aliquis specialis frater conversus ad obsequia cuiquam patri, etiam in theologia magistro aut patri provinciae, singulariter et distincte impendenda deputetur, sed uti caeteri alii fratres conversi publicis officiis sint occupati, ita tamen ut honesta et charitatis officia rr. pp. magistris, patribus provinciae, regentibus ex nutu r. p. prioris impendant; sicque ord. 18. capituli generalis 1670 intelligendam esse dicimus; si qui vero priores aut conventuum praesidentes contra huius capituli ordinationem fecerint, a suis officiis per rr. pp. provinciales aut congregationum vicarios absolvantur.

15. Ordinamus et statuimus conformiter ad ea, quae in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 3. text. 2. et glos. ipsius sub lit. C. et variis

capitulis generalibus sancitum est, ne aliquis ex fratribus nostris, cuiuscumque gradus et conditionis sit, in cella comedere possit, nisi causa infirmitatis, nec in iisdem cellis cum saecularibus convivia facere, sed omnes tam mane quam sero in communi refectorio, infirmaria vel in hospitio cum superioris licentia comedant; iniungentes omnibus superioribus, ut impense exequutioni huius ordinationis invigilent, fratresque compellant ipsi parere, etiam per privationem vocis activae et passivae et omnium iurium et gratiarum ordinis.

16. Ordinamus, quod neque prioribus neque conventuum praesidentibus aut magistris in theologia neque inquisitoribus, si inquisitoribus sit consuetudo dandi vestiarium, detur duplex vestiarium, quacumque non obstante consuetudine, quam omnino eliminamus et abolemus, sed omnibus fratribus aequale detur vestiarium, imo et in omnibus provinciis fratribus etiam conversis vestiarium persolvatur, contrario non obstante usu, cui derogamus et abusum dicimus; quod si superiores conventuum contra hanc ordinationem fecerint, in poenam inobedientiae a suis officiis absolvantur. Innovantes, quae in variis capitulis generalibus circa vestiarium fratrum ut Vallisoleti 1605 ord. 28., Romae 1644 ord. 12. et Valentiae 1647 ord. 14. constituta sunt, et sub iisdem conditionibus, clausulis et poenis ea omnino observari volumus.

17. Ordinamus, sicut alias in variis capitulis generalibus sancitum est, ut Avenione 1561 ord. 4., Bononiae 1564 ord. 8., in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae et sub praecepto formali praecipimus omnibus rr. pp. provincialibus, congregationum vicariis, conventuum superioribus, ne permittant, quod fratres nostri tragedias aut comedias in conventibus nostris habeant, ne iuvenes comicum illum recitandi modum in usum inducant, quem postmodum in recitatione verbi Dei non sine magna fidelium offensione usurpant; et si qui sint, qui huiusmodi tragedias aut comedias facere praesumpserint, officiis, lecturis et studiis omnino priventur nec ad ea reassumi possint, nisi de licentia capituli generalis aut magistri ordinis; ludum etiam taxillorum, cartarum, alearum caeterosque omnes, quibus pecunia committitur, re ipsa interdicimus sub poenis in constitutionibus nostris latis.

18. Ordinamus, quod, cum viri graves ad capitula provincialia convocentur, ut provinciae de pastore et capite provideant, quique regularem observantiam resarcire, promovere et fovere verbo et exemplo valeat, ne in ipsis capitulis provincialibus privata convivia fiant, sed omnes prorsus nemine excepto, eodem plane modo in communi refectorio excipiantur; et si qui sint, qui eiusmodi privatis conviviis interfuerint, in poenam tantae laxitatis utraque voce ipso facto tam excipientes quam convivae puniantur; non enim decet fratres nostros congregatos, ut san-

ctionibus regularem foveant observantiam, tempore celebrationis capituli provincialis conviviis et comessationibus interesse. Similiter inhibemus conventuum superioribus sub poena suspensionis, ne in receptione iuvenum ad habitum aut professionem ulla convivia fiant.

**Ordinationes pro studiis.**

1. Ordinamus ad solidam d. Thomae doctrinam magis ac magis promovendam, ne quis theses publicas typis edat, nisi simul sint approbatae subscriptionibus regentis vel prioris conventus, si sit magister aut professor in s. theologia, et primarii lectoris aut alicuius in s. theologia magistri, qui eo in conventu reperiatur, aut demum alicuius eruditi religiosi a r. p. provinciali in quolibet conventu, ubi viget studium generale, deputandi.

2. Similiter, ne communes ac publicae scholarum nostrarum feriae concedantur nisi a vigilia s. Mariae Magdalenae usque ad festum s. Crucis, etiam in provincia utriusque Lombardiae, non obstante ord. 4. praecedentis capituli generalis pro provincia utriusque Lombardiae, privatae autem nonnisi semel in hebdomada concedantur; et si in aliqua hebdomadae die festum aliquod occurrerit de praecepto vel ex devotione, quod ab universo clero tam saeculari quam regulari solemniter celebretur, illud pro die feriali scholae computabitur, quamquam in feriam 6. vel sabatum inciderit.

3. Ordinamus, ut quibus diebus solemnes apud alios theses habentur, ad quas invitati sunt nostri, nihilominus scholae apud nos sint; publicae vero theses, quantum fieri poterit, illis tantum diebus habeantur, quibus aliunde a scholis vacandum esset. Lectorum demum examina aut confessorum nonnisi ferialibus diebus fieri volumus. Iniungentes rr. pp. prioribus, regentibus et lectoribus, ut praetextu thesium, quae apud exteros habentur, aut quia studentium aut lectorum vel confessorum examen fieri debet, nullo modo exercitia scholastica intermittant.

4. Ordinamus, ut lectores statuto tempore cursum lecturae suae incipiant et peragant; quod si in aliquibus provinciis studiorum rigor maior sit assiduitate et diuturnitate lectionum, omnino servari volumus; unde studentes ad publica studia se conferant ad minus ante festum s. Martini, alioquin annus ille pro studentatu formali non computetur. Dum autem a studiis consummato cursu recessuri sunt, supellectilem ad communitatem spectantem minime distrahant, divendant aut privatis amicis largiantur, alias nullae ipsis litterae testimoniales recedentibus concedantur. Studentes perinde ac lectores extra ferialem scholae diem egredi prohibemus, etiam praetextu invitandi ad theses mensium apud nostros habendas.

5. Ordinamus et inviolabiliter observari demandamus, quod a festo s. Crucis usque ad Pascha diebus, quibus ieiunamus, post refectionem

serotinam omnes studentes, etiam quos vocant formales, pulsato signo silentii, quod in omnibus conventibus pulsari demandamus, secundum quod constitutum est in constitutionibus nostris, in proprias cellas se recipiant, nec ullus cellam alterius ingredi praesumat nec accedere ad ullum moderatorem aut lectorem, sed profundum servetur silentium tam in cellis quam in dormitoriis; et si qui sint, qui huic ordinationi non paruerint, pro prima et secunda vice severe puniantur per superiorem conventus aut magistrum studentium aut moderatores studii, et si ulterius perseveraverint, studiis priventur et in parvis conventibus assignentur.

6. Ordinamus, ut lectores incoepto cursu amoveri non possint et ad alios conventus transmitti; ita ordinatum fuit Romae 1589 adm. 8. nisi ob defectum aut scandalum, quo lectione privari mereantur, non tamen ius lectoribus attribuimus, quo per rr. pp. provinciales amoveri non possint, sed, ut declaratum est in capitulo Romano 1656, inhibemus, ne ex levi causa cum damno discipulorum amoveantur, nec liceat lectoribus abesse e conventu per adventum et quadragesimam ad conciones habendas, iis saltem diebus, quibus lectiones sunt habituri, uti variis in capitulis generalibus sancitum est, maxime Bononiae 1615 conf. 5. Tractatus theologiae tum scholasticae tum moralis ita componant atque distribuant, ut intra sexennium ad minus principaliores quaestiones universae s. Thomae summae in quolibet studio legantur sub poena absolutionis ab officio; sicque intelligi volumus epistolam transmissam ad omnes provincias a rev. magistro ordinis die 12. maii 1687, modo tamen servato, quem praefixit iisdem rev. p. magister generalis epistola sua die 20. octobris 1688; nullos vero lectores theologiae institui volumus, nisi prius cursum philosophicum integrum docuerint; si secus fecerint, lectura theologiae illis nullo modo suffragari poterit sive pro forma et gradu, sive ut privilegiis concessis lectoribus potiri valeant, exceptis lectoribus collegii Parisiensis.

7. Ordinamus, ut, qui s. theologiam legunt, non inutiliter tempus impendant in congerendis quaestionibus inutilibus, sed potissimum studii sui partem ponant in explicandis articulis summae s. Thomae et in pertractandis quaestionibus ad theologiam positivam attinentibus, ita scilicet ut in quolibet tractatu theologico agant maxime de haeresibus, quibus catholicae veritates sunt impugnatae, de conciliis ac patribus, a quibus hae catholicae veritates defensae sunt et assertae, aliasque difficultates attingant ad ecclesiasticam disciplinam spectantes noverintque, eam etiam esse theologiae partem, quae in divinis scripturis sanctorum patrum ac conciliorum monumentis investigandis occupatur, unde fides nutritur, defenditur ac roboratur. Ac ne qui perfunctorie id agant, monemus, et

quidem serio, neminem ad gradus promotum iri, qui theologiam ex methodo non tractaverit seque in huiusmodi controversiis apprime versatum in publicis examinibus non demonstraverit. Iniungentes provincialibus, ut in visitatione conventuum studiorum sedulo invigilent et inquirant, an lectores exacte huic ordinationi paruerint, sin eos officiis suis privatos declarent; memoresque sint lectores, eos in capitulo generali Bononiensi 1615 privatos esse voce activa et passiva et inhabilitatos perpetuo ad omnes gradus, qui in theologicis doctrinam s. Thomae, ut est in littera, expresse non docuerint; quod statutum praedicti capituli innovamus et observari mandamus, ac hortamur omnes tam lectores quam studentes, ut, quantum fieri poterit, etiam textum s. Thomae memoriae commendent eiusque stilo ac verbis assuefiant.

8. Ordinamus, sicut Vallisoleti 1605 ord. 6. statutum fuerat, ut iis in provinciis, in quibus laudabilis iam invaluit consuetudo, quod lectores artium triennio cursum suum perficiant, eam praxim omnino servent nec tertio anno ante festum s. Mariae Magdalenae ferias dare praesumant, sed exercitia scholastica assidue et exacte ad id usque tempus peragant. Ultra triennium cursum artium protrahere omnibus lectoribus omnino inhibemus, derogantes hac in parte statuto capituli generalis Bononiae celebrati 1615 in capite de reformatione studiorum.

9. Ordinamus, ut lectores biblici quaestiones scholasticas loco biblicarum non agitent, sed debita methodo tractent de sacrorum librorum divisionibus, sensibus, canonicitate, antiquitate easque difficultates potissimum agitent, quibus illorum veritas adversus ecclesiae hostes confirmatur, nec alium sensum literalem legant, nisi quem ss. patres approbant et confirmant, uti in constitutionibus nostris constitutum est dist. 2. cap. 14. text. 10., alioquin ad gradus obtinendos eorum lectiones non suffragabuntur. Similiter lectores morales iis in locis, in quibus iam instituti sunt, teneantur ter in hebdomada legere hora debita regulas generales de vitiis et virtutibus, de decalogo etc.; et ulterius ter in hebdomada privatos casus exponant hora competenti. Mandantes, ut in proximo capitulo provinciali cuiuscumque provinciae de consensu patrum provinciae instituantur et deputentur conventus ultra studium generale, in quibus lectores biblici institui debeant, ita ut in aliis conventibus lectores biblici minime institui possint; in aliis vero servetur inviolabiliter ordinatio 10. capituli Valentini 1647, maxime quod in lectores biblicos non instituantur, qui in legendo cursum artium et theologiae non perfecerint.

10. Ordinamus, sicut a principio ordinis ordinatum fuerat in Montepesulano 1265 ord. 7., ut provinciales in visitatione diligenter inquirant, an lectores aliqui tum theologiae tum philosophiae opiniones aliquas docuerint vel in moralibus laxiores vel in aliis materiis a doctrina in or-

dine nostro communiter accepta dissidentes, quas auctoritate d. Thomae fulcire perperam adnituntur; et in illos privatione munerum et officiorum cum omni rigore procedant; inquirant pariter in suis provinciis viros idoneos, qui haebraicas et graecas linguas in collegiis nostris docere valeant, ne studium adeo ecclesiae utile in ordine nostro torpescat; innovantes, quae toties ordinata sunt in variis capitulis generalibus, ut studia linguarum haebraicae et graecae in omnibus provinciis instituantur, maxime in capitulo Tholosano 1628 denuntiatione 3. ex decreto sacrae congregationis de Propaganda Fide, quodque denuntiatum fuerat Parisiis 1611 denuntiatione 3., qua constitutio edita a ss. d. Paulo papa V. pro institutione exercitii linguarum haebraicae et graecae denuntiata est; iis porro omnibus ordinationibus ad studium spectantibus leges aut consuetudines earum provinciarum et conventuum rescindere nolumus, ubi res maiori rigore et observantia peraguntur.

11. Ordinamus, ne quis absque licentia magistri ordinis alicui universitati incorporetur, exceptis provinciis Indiarum, in quibus ob locorum distantiam sufficiet provincialis licentia, ita tamen ut, qui sic incorporati fuerint, magistrum ordinis admonere teneantur, ut incorporationis suae confirmationem et approbationem obtineant; cui conditioni si defuerint, privilegiis in ordine privabuntur. Si qui autem ad magisterium vel baccalaureatum in aliqua universitate absque licentia capituli generalis vel magistri ordinis promoveri praesumpserint, eos omnino subiicimus omnibus poenis privativis et censuris latis in variis capitulis generalibus contra illos, quaeque referuntur in constitutionibus nostris dist. 2. cap. 14. text. 8. in glos. lit. Q.

Sic autem promoti etiam cum licentia magistri ordinis graduum privilegiis et iuribus in ordine nostro consuetis non gaudeant, nisi pro talibus gradibus respective habeant speciales literas patentes magistri ordinis, salvis tamen iuribus et consuetudine legitima et approbata provinciarum.

## Ordinationes pro regimine.

1. Ordinamus, neminem ad ordinem nostrum recipiendum esse, nisi ex legitimo matrimonio procreatus, uti in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 13. text. 4. statutum est, moribusque probatus et in litteris grammaticis sufficienter instructus, ac ex honesta familia natus sit, fiatque diligens horum omnium inquisitio et examen, sicut ex Clemente VIII. demandatur in glos. constitutionum cap. et dist. supradictis text. 2. lit. F. fusius declaratum est. Hoc autem examen in parvis conventibus fieri non posse decernimus, inconsulto priore provinciali, qui examinatores designet cum integro consilio patrum maioris conventus, salvis earum provinciarum legibus, ubi in capitulis provincialibus recipiendorum exami-

natores deputantur, aut ubi in maioribus etiam conventibus provincialis assensus ad receptionem exigitur.

2. Ordinamus ad poenitus eliminandum intolerabilem abusum, qui irrepsit grassaturque in multis provinciis, ne priores a suis conventibus absint ad conciones habendas toto tempore vel adventus vel quadragesimae; eo quippe tempore arctior in conventibus vigere debet observantia; ideo prohibemus omnibus prioribus, sicut in capitulo Valentino 1647 ord. 15. inhibitum est sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, et ad quam declarandam sola notorietas facti legitime probata sufficiat, ne praedictis temporibus respective sub quovis quaesito colore a suis absint conventibus absque licentia magistri ordinis, nisi in provinciis ultramontanis, ubi solius provincialis licentia sufficiat, praefatamque ordinationem ad terminos huius ordinationis reducimus.

3. Ordinamus, ut priores defuncti cameras ingredi non possint absque duobus patribus a consilio deputatis necnon depositariis conventus, qui facta visitatione cameram sigillo munient et inventarium faciant, nec penes eos sit disponere de bonis fratrum, sed secundum constitutiones nostras dist. 2. cap. 14. text. 5. in glos. lit. I. et servatis, quae in capitulis generalibus constituta sunt, et hoc sub poena suspensionis ab officio ad sex menses et reintegrationis bonorum; ea quidem bona omnia conventibus respective incorporata dicimus et unita declaramus.

4. Ordinamus, ut litterae patentes confirmatoriae electionis alicuius prioris a provincialibus non ad electum, sed ad suppriorem vel tertium aliquem dirigantur, qui eas electo coram testibus iuridice significet. Innovantes ord. 22. capituli generalis 1629 eamque inviolabiliter observari demandamus, in qua sic habetur: Ipsi vero priores electi statim ac confirmationem receperint, eam acceptare vel recusare infra spatium trium horarum teneantur, die et hora acceptationis in iisdem litteris patentibus confirmationis propria manu coram duobus testibus subscriptis sub poena suspensionis ab officiis ipso facto incurrenda; et acceptatae legantur coram toto conventu, in quo electus est praesens, et subscribantur ab eodem, qui eas publice legit, designando diem et horam iuxta ord. 12. capituli Vallisoletani 1605 et ab eodem die, quo acceptatae fuerint, incipiat tempus prioratus, sicut fuit ordinatum Romae 1629 ord. 11.

5. Ordinamus, ut, qui fuerint electi in priores alicuius parvi conventus, renuntiare non possint electioni suae, alias in magnis eligi non possint, exceptis magistris in s. theologia et exprovincialibus, qui tamen prioratus in magnis conventibus recusare non possunt. Magistri novitiorum in superiores non eligantur nisi de licentia provincialis, alias eorum electio nulla sit.

6. Ordinamus ad maiorem explicationem eorum, quae in glos. constit. dist. 2. cap. 14. text. 6. lit. K. dicuntur, et ad submovendas omnes frau-

des in electionibus et in aliis conventuum actibus, quod fratrum assignationes publice coram communitate tam in conventu a quo, quam in conventu ad quem legantur, alias enim nullum sortiantur effectum. Inhibentes superioribus conventuum sub poena suspensionis ab officio, ne eos retinere aut suspendere praesumant, et sicut fuit ordinatum in praecedenti capitulo ord. 7., eas quamprimum receperint, legere faciant nec ultra vigintiquatuor horarum spatium protrahere possint.

7. Ordinamus, ut, qui confessarii munus per quatuor annos obierint sive in uno sive in duobus monasteriis, non possint nisi post elapsum biennium in confessores tum eiusdem tum alterius monasterii assumi; accessum autem ad moniales sine debita superiorum licentia fratribus interdicimus sub poena privationis utriusque vocis ad quinquennium; inhibentes etiam rr. pp. provincialibus et superioribus sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda, ne munus confessarii monialium, sive sint nostri ordinis sive alterius cuiuscumque religionis, acceptare et exercere quocumque praetextu praesumant.

8. Ordinamus, ut in conventibus saltem maioribus instituantur sacerdotes sacristae, nec laici ad hoc officium electi aut deputati sufficiant, idque sub poena absolutionis ab officio, qui eo in capite defuerint. Syndici ac depositarii quolibet biennio suum officium terminent, et alii a consilio eligantur, nisi forte obtenta a superioribus facultate, eosdem illos consilium continuare maluerit; hanc porro licentiam a provincialibus ultra montes dumtaxat ad aliud biennium concedendam decernimus, et a magistro ordinis per universas ordinis Italiae provincias, cum expedire iudicaverit; idque sub poena privationis ab officio prioribus omnibus, qui huiusmodi officiales ultra biennium durare permiserint, nulla in oppositum consuetudine repugnante. Priores autem, qui syndicum infra mensem non proposuerint patribus a consiliis aut a superioribus provinciae aut congregationis, si infra mensem electus non fuerit, non postulaverint, ipso facto a suis officiis absolvant.

9. Ordinamus, cum in ordine nostro temporalitas officiorum feliciter stabilita sit, quod nullus sive vicarius provincialis sive vicarius nationum eo in officio ullo modo prorogari possit ultra tempus provincialis, qui eum instituit, et ut iterum ad id officium assumi possit, servari debent interstitia eo modo, quo ad officium provincialis vel vicarii, nullamque dicimus quamcumque institutionem cuiuscumque eiusmodi vicarii, nisi praecesserint interstitia.

10. Ordinamus, ut praedicatores generales a residēntia dispensati censeantur cum hoc onere dispensationem accepisse, ut propriis expensis ex deposito ad eorum usum concesso ad capitulum provinciale pergant, non obstante quacumque in contrarium consuetudine; in consiliis con-

ventuum, in quibus sunt assignati, ius paternitatis habebunt, secundum quod declar. 15. iam statutum est, et in eo sensu declar. 7. capituli generalis 1670 intelligendam esse et limitandam, dicimus et statuimus.

11. Ordinamus, ut, qui scandalum aliquod aut grave delictum perpetravit sive intra sive extra monasterium, non per solam amotionem e conventu puniatur, sed formetur processus in ipsum, et servato iuris ordine per sententiam definitivam secundum constitutiones nostras severe puniatur et ad conventum, in quo magis viget observantia regularis transmittatur, ut ordinatum fuit Romae 1589 ord. 19., nec ad conventum redeat, in quo delictum commisit, ut disponunt nostrae constitutiones dist. 1. cap. 18. text. 6. lit. G.; si vero extra monasterium deliquerit, omnino serventur, quae a sacro concilio Tridentino sancita sunt ses. 6. cap. 3. et ses. 25. cap. 14. et ex Clemente VIII., prout fusius in constitutionibus nostris loco iam laudato refertur; et si qui superiores negligentes fuerint in puniendis eiusmodi fratribus, poenis ibidem latis subiiciantur.

12. Ordinamus, ut, qui assignati fuerint in aliquo conventu nec assignationi paruerint, puniantur privatione vocis activae et passivae, studii, gradus et officiorum; statuentes conformiter ad ord. 9. capituli generalis Bononiae celebrati 1410, ut post notitiam assignationis fratres saltem infra octo dies iter arripiant versus conventum suae assignationis, nisi aliter in ipsis litteris dispositum fuerit.

13. Ordinamus, etsi varia in capitulis generalibus statuta fuerint circa vestes et vestiarium studentium, attenta temporum circumstantia, ad submovenda omnium expostulationum fomenta, quod serventur provinciarum et studiorum generalium consuetudines, ut, si mos fuerit studentibus a conventu studii subministrari vestes uti caeteris fratribus, omnino et inviolabiliter servetur; si vero conventus, cuius sunt filii, ipsis studentibus vestes subministrent, ea praxis et consuetudo etiam inviolabiliter servetur. Committentes rr. pp. conventuum visitatoribus, ut sedulo inquirant, an studentibus provisum fuerit; alias superiores, ad quos spectat, ipsis providere per suspensionem ab officiis irremissibiliter puniant.

14. Ordinamus, ut in qualibet provincia publici comentarii seu registra habeantur, in quibus provinciales omnia notent, quae conventuum commoda, redditus, expensas, ordinationes aliaque omnia ad commune fratrum bonum attinent; quae quidem expleto officio suo successori tradant, quique in visitatione conventuum exacte inquiret, an conventus deteriorati fuerint, aut in quo in meliorem statum redacti; an fratres in moribus, in studiis, in regulari disciplina profecerint; et quos defecisse repererint, eos severe emendent, et cum profecisse noverint, bonum illud observantiae foveant et in diem crescere faciant.

15. Cum hactenus optaverint plurimi nedum ex ordine nostro, sed et alii viri sapientissimi, plurimaque variis in capitulis generalibus statuta fuerint, ut ordinis nostri universalis historia describeretur, quae vota implere tentaverunt plures magistri ordinis, ac tamdiu exoptatum opus retardatum fuit, quod ut ad foelicem tandem perducatur exitum, ordinamus, ut post duos menses a publicatione horum actorum quilibet r. p. provincialis vel congregationis vicarius in quolibet conventu deputet unum ex fratribus, quem sufficientem aut idoneum iudicaverit, qui omnia colligat, quae conventus fundationem attinent, notet omnes viros sanctitate, doctrina et dignitate celebres, qui eo in conventu et quo saeculo fuere, libros authorum ordinis, qui eo in conventu sunt, quo tempore editi fuere, et de quibus tractant et quot tomis distributi, manuscripta si quae sint, eo etiam modo designet. Omnia privilegia a summis pontificibus concessa, quaeque eo in conventu reperiuntur, designatis bullis seu constitutionibus et pontificum nominibus, sicuti omnia collata beneficia ab imperatoribus, regibus, principibus, magistratibus et magnatibus annotari etiam volumus, eaque describi simplici stilo sive latino sive italico sive gallico sive hispanico sermone.

16. Ordinamus ad celeriorem huiusce ordinationis executionem, quod postquam a rr. pp. provincialibus aut vicariis congregationum commissio colligendi haec omnia fratribus demandata fuerit, fratres ipsi intra annum ad r. p. provincialem transmittere teneantur, quicquid collegerint; quique immediate ea ad magistrum ordinis Romam transmittat; auctoritatem facientes rr. pp. provincialibus, ut iis fratribus, quibus haec commissio iniuncta fuerit, possit concedere easdem dispensationes toto illo anno, quibus lectores actu legentes potiuntur et gaudent.

17. Ordinamus et stricte iisdem praenominatis fratribus iniungimus, ut fideliter describant, quae authentice repererint, vitantes inanitates, fabulas aut vanas et fictitias traditiones, sed veritatem in omnibus serio, et ut decet ordinis nostri famam et honorem, inquirant et nihil notent, nisi quae certitudine ad veridicam historiam spectante pollere noverint; adhortantes omnes, qui exiguum saltem tempus pro ordinis gloria augenda vel sustinenda impendere non recusabunt, ut quae magister ordinis in transmissoriis ad omnes provincias epistolis mense maii 1688 et 1. iunii 1693 praescribit pro historia ordinis nostri describenda, impense observent, ipse quippe toti capitulo universoque ordini spopondit, ut quoprimum eas habuerit conventuum notitias, virum ex ordine nostro singulari eruditione ac doctrina spectabilem ac in ecclesiastica historia versatissimum destinabit, quique annales totius ordinis, ex quibus ordinis honor splendet, praelo maturabit.

### Pro regimine monialium.

1. Declaramus, non minus ad moniales et sorores ordinis nostri respective pertinere, quae in capitulis generalibus sunt constituta et quae sororum professioni et statui consona sunt, et ad ea servanda omnino teneri; quare iniungimus rr. pp. provincialibus et monasteriorum visitatoribus, ut quae in his actis capitularibus ordinantur et constituuntur, quaeque fratribus et sororibus communia sunt, ea vulgari idiomate monasteriis omnibus significare faciant.

2. Insuper ordinamus et stricte prohibemus omnibus priorissis et monasteriorum superioribus sub poena absolutionis ab officio, ne ullo tempore sororibus permittant larvas aut vestimenta ad usum virorum quocumque praetextu deferre aut gerere, ea quippe pudorem dedecent virgineum.

3. Ordinamus in sororum monasteriis, in quibus nondum est instituta ieiuniorum exacta observantia aut a carnibus rigida abstinentia secundum nostrarum constitutionum rigorem, si aliquae sint sorores, quae iis dispensationibus frui aut uti nolint, quod priorissae victui eiusmodi necessaria suppeditare teneantur, nec praelatus aut earum confessarius sororibus ipsis impedimento sint nec eas a tam sancto proposito revocare praesumant.

4. Ordinamus et, in quantum opus esset, innovamus, quae toties sancita sunt circa monialium clausuram, iniungentes rr. pp. provincialibus aut monasteriorum visitatoribus sub poena absolutionis ab officio, ut in omnibus monasteriis in actuali visitatione constituant, quae ad perfectam clausuram necessaria compererint, et sororibus omnibus significent, non licere a monasterio egredi nisi in casibus exceptis per sacros canones aut summorum pontificum constitutiones et absque superiorum legitima licentia.

5. Ordinamus, ut, quantum fieri poterit, sorores conversae recipiantur ad exhibenda obsequia sororibus totique monasterio, non vero ancillae saeculares; quod si interdum ancillae permittantur, multo tamen maiori numero sorores conversae sint quam ancillae; quae semel in monasterio admissae, ab eo non egrediantur, ut iterum redeant ad monasterium; quae si religiose non vixerint aut dissensionum et simultatum sint causa, e monasterio priorissae eas expellant, etiamsi opus esset una cum consilio matrum, nec admitti iterum possint.

6. Ordinamus, uti saepius in multis capitulis generalibus ordinatum est, quod sorores nostrae in cellis vanam non habeant supellectilem, sed in ipsis religiosa paupertas maxime reluceat; et si quae sint, quae ad sororum particularium usum, quae paupertatem religiosam non deceant, ea monasterio incorporamus et unimus.

7. Ordinamus, et quae alias saepe variis in capitulis generalibus statuta sunt, confirmamus, ut in monasteriis, ubi puellae instruendae re-

cipiuntur, eae in loco, si fieri poterit, separatae ab aliis maneant, et si locus ipse nondum ob paupertatem monasteriorum destinatus sit, eo primum destinetur, sintque sub una aut duabus sororibus earum magistris, quae eas religiose instruant, nihilque puellis ipsis in cellarum supellectili aut vestibus aut quocumque alio ornatu quidquam permittatur, quae saeculi genium sapiat, sed ad omnem virtutem et modestiam, qualem in monasteriis esse decet et inter virgines, quae aversum a saeculo animum habere debent, instituantur, nunquam tamen grandiores natu foeminae aut viduae in monasteria nisi servatis de iure servandis et cum speciali licentia magistri ordinis admittantur.

## Commissiones.

1. Committimus rev. p. magistro generali, ut per viros eruditos ordinis caeremoniale ordinari curet; qui diligenter intendant, quid ex antiquis ritibus ordinis tenendum, servandum aut moderandum videatur.

2. Committimus eidem reverendissimo, ut coram sanctissimo supplicet pro renovatione decreti Urbani VIII. de libris non extrahendis e publicis ordinis bibliothecis.

3. Committimus, ut attenta plurimorum conventuum extrema necessitate supplicet coram eodem sanctissimo aut sacrae congregationi concilii Tridentini interpreti pro missis ab antiquo fundatis reducendis ad certam eleemosynae quantitatem.

4. Committimus rev. magistro ordinis, ut omni solicitudine causas venerabilium fratrum, quae sunt in congregatione sacrorum Rituum pro eorum beatificatione, canonizatione aut extensione cultus et divini officii satagat ad foelicem finem perducere; nam cum in magno sint numero, iamque processus informativi super eorum virtutibus et miraculis eidem sacrae congregationi remissi fuerint, expedit, ut omni diligentia res tam magni momenti, et ex qua pendet gloria et honor ordinis, peragatur.

5. Committimus rev. magistro ordinis, ut ea, quae spectant ad provincias Indiarum, quaeque variis in capitulis generalibus sparsim constituta sunt et in variis magistrorum ordinis ordinationibus, ea omnia in unum colligere faciat, et quae ad observantiam regularem, ad studiorum provectum sunt constituta, ac ex iis, quae pro sua prudentia et zelo ad earumdem provinciarum pacem, tranquillitatem, exactam observantiam, studiorum incrementum et missionum maius incentivum sunt, ea auctoritate huiusce capituli, quam ipsi specialiter pro illis provinciis committimus, constituat, statuat et ordinet, quae in domino magis expedire iudicaverit.

## Concessiones.

1. Concedit rev. magister ordinis omnibus ac singulis fratribus ac sororibus ordinis nostri toto orbe diffusis eiusque curae subiectis, ut se-

mel aliquem ex ordine nostro approbatum patrem confessarium sibi deligere possint, qui eos in actuali sacramenti poenitentiae administratione ab omnibus peccatis ac censuris ante horum actorum publicationem quomodolibet contractis absolvere valeat, a quibus ipsemet rev. magister ordinis posset absolvere, si eorum respective sacramentalem confessionem exciperet.

2. Concedimus omnibus rr. pp. provincialibus nec non sociis provincialium, qui in hoc capitulo generali diffinierunt, ut quilibet eorum possit unum ex fratribus suae provinciae, poenae gravioris culpae ante huius capituli celebrationem addictum, ad omnes gratias ordinis restituere, dum tamen post correctionem religiosius se gesserit.

## Pro provincia Hispaniae.

1. Innovamus ordinationes, etiam quoad praecepta et censuras, quas pro huius provinciae recto regimine edidit rev. magister ordinis fr. Thomas Turco, postquam eamdem provinciam personali visitatione perlustravit; quae ordinationes denuntiatae et earum observantia commendata fuit in actis capitularibus capituli provincialis huius provinciae celebrati sub die 30. aprilis a. d. 1651. Similiter huiusmodi ordinationibus adiungimus declarationem super eas factam a rev. magistro ordinis fr. Ioanne Baptista de Marinis, quae denuntiata fuit in actis capitularibus capituli provincialis eiusdem provinciae celebrati sub die 8. maii a. d. 1661, eamque declarationem etiam quoad censuram et praeceptum innovamus et omnino servari praecipimus.

2. Omnibus et singulis patribus ac fratribus, cuiuscumque provinciae seu congregationis et cuiuslibet conditionis, gradus ac qualitatis sint, qui ad curiam Matritensem quocumque titulo sive praetextu vel quacumque de causa accesserint, praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto, ut nulla mora interposita in hospitium nostrum Matritense se recipiant et in eo commorentur, nisi huius provinciae provincialis vel vicarius generalis provinciae ob causam sibi benevisam alium eiusdem curiae conventum pro alicuius hospitis receptione deputaverit; iisdemque hospitibus sub eadem poena praecipimus, ut tam huius provinciae provinciali quam vicario generali provinciae necnon hospitii vicario, priori seu praesidenti omnino pareant et ut proprios ac legitimos suos superiores recognoscant ac venerentur, dum in praenominata curia etiam tanquam hospites commoraverint.

## Pro provincia Tholosana.

1. Confirmamus laudabiles omnes consuetudines iam ab initio restauratae in provincia nostra Tholosana observantiae hactenus servari solitas ab eo tempore, quo congregatio Occitana seu s. Ludovici nuncupabatur, quae a capitulis generalibus maxime Bononiae 1615 appro-

batae et confirmatae fuerunt, neque in ea provincia ullae concedantur dispensationes quocumque praetextu aut colore nisi secundum tenorem nostrarum constitutionum, nec ullus praelatus aliter unquam possit dispensare.

2. Ordinamus, ne translationes affiliationum ex uno ad alium conventum fiant nisi ad petitionem provinciae; qui vero in eam ex aliis provinciis veniunt vel ex ea egressi redeunt ad eamdem, per annum in novitiatu detineantur; quae omnia respective iam in citatis capitulis generalibus ordinata sunt.

3. Confirmamus, quod in capitulo generali Romano 1656 pro eadem provincia ordinatum est, ut omnes pensiones, etiam personales aut quavis ratione singularem aliquem fratrem spectantes vel quomodocumque ipsius intuitu factae, ad communitatem semper pertineant et in commune bonum directe et immediate cadant et applicentur, ita ut ad nullum fratrem particularem quoquomodo pertineant aut eius personam sequantur.

4. Ordinamus, quod, qui sine legitima causa, de qua adm. rev. p. provincialis cum consilio patrum iudicabit, ad matutinas media nocte non interesse in consuetudinem trahunt et vitam communem provinciae sequi renuunt, omni officio et voce activa et passiva sint ipso facto privati.

5. Ordinamus, quod iuvenes dispensationem ab aetate ad sacrum presbyteratus ordinem suscipiendum sine speciali r. adm. p. provincialis pro tempore licentia a curia Romana petere non praesumant, nec a studiis possint eximi, nisi censeantur inepti, quin philosophiam per duos annos et theologiam per quatuor audierint; ad praedicandum vero vel confessiones audiendas nullatenus exponantur, nisi ad id praevio rigoroso examine in aliquo ex maioribus conventibus habendo, ad quod qui fuerint lectores cum patribus a consiliis vocabuntur, idonei iudicati fuerint.

6. Confirmamus demum fundationem factam in gratiam vicariatus Brugueriani Tholosano conventui annexi cum omnibus conditionibus aut oneribus in ea fundatione expressis, ut scilicet duodecim in eo vicariatu religiosi semper maneant, a quibus divinum officium tum diurnum tum nocturnum, ut in aliis conventibus fieri solet, semper peragatur isque vicariatus perpetuo eidem conventui annexus maneat, cuius tamen vicarius, ut a consilio patrum in posterum nominetur et instituatur, volumus et ordinamus.

## Pro provincia Franciae.

1. Ordinamus, prout iam in capitulo Romano anno 1656 ordinatum est, sex in provincia Franciae studia instituantur, ac potissimum in his conventibus, qui sunt in urbibus, ubi sunt academiae erectae, ne in his

locis, ubi philosophiae et theologiae studia vigent, dominicana religio, quae ea studia ex suo speciali instituto colere debet, sine honore sit; quare mandamus, ut in proximo capitulo provinciali conventus ad studia deputentur et designentur, in iisque lectores instituantur, et studentes, etiam novitii professi, assignentur, ita tamen ut novitii professi studentes sint sub cura magistri novitiorum et in novitiatu separato et clauso, alias ad ea studia mitti non possint.

2. Ordinamus, ut, si studiorum onus conventus aliquis sustinere non possit, volumus, quod alii conventus quisque pro rata sua a rev. adm. p. m. provinciali et rr. pp. diffinitoribus taxanda aliquid conferre teneantur; quae pecuniae summa, cum semel destinata fuerit, nisi ante festum s. Crucis fuerit persoluta, prior ipso facto suspensus sit et tamdiu suspensus maneat, donec cum effectu fuerit persoluta, nec studentes pensionem solvere teneantur.

3. Prohibemus, ne quis in ulla universitate gradum assumat aut a capitulis provincialibus ad gradus assumendos nominetur, nisi iam per duos annos philosophiam et per quatuor theologiam docuerit, exceptis qui in academia Parisiensi baccalaurei gradum susceperunt.

4. Ordinamus, quod nullus baccalaurei gradu et praedicatura generali simul frui possit, ut in capitulo generali Romae 1644 ordinatum est, sed teneatur alterutrum eligere, et nisi post tres menses elegerit, ipso facto praedicaturam generalem omniaque privilegia ipsi annexa amisisse intelligatur.

5. Ordinamus, ut abusus ille in quibusdam monasteriis superiorum conniventia inductus omnino aboleatur, quae sororibus conversis nigrum velum deferre permissum est, sed in suo statu relinquatur, ut a sororibus chori distinguantur; et prohibemus, ne in ea re a provincialibus ulla dispensatio unquam concedi possit.

6. Ordinamus, quod in hac provincia nullus ad praedicaturam generalem praesentari aut nominari possit, qui cum effectu et realiter secundum constitutiones nostras requisita non habeat; quod si aliquos praesentari aut nominari contigerit, qui eiusmodi conditiones requisitas non habuerint, eorum nominatio et praesentatio nulla sit, imo eorum institutio etiam a magistro ordinis facta.

### Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Declaramus, decretum prodiisse die 26. maii praesentis anni 1694 a generali congregatione sanctae Romanae et universalis inquisitionis, et huic nostro capitulo generali significatum die 3. iunii, in quo sequentia capita statuuntur hoc tenore:

Ex hoc quod sanctum officium continuam inquisitorum exigit servitutem, eos qui hucusque approbati et admissi fuerunt ad magisterium provinciae, libere manutenendos esse in possessione sui magisterii.

P. Franciscum Octavium de Orestis (1), inquisitorem Ariminensem, manutenendum pariter esse in possessione magisterii provinciae iuxta exposita et petita.

Alios vero inquisitores, qui in anteactis capitulis a consilio patrum approbati fuerunt ad baccalaureatum, declarandos esse magistros provinciae et pro talibus acceptandos, sicut fieri debebat in capitulo provinciali nuperrime Bononiae peracto.

Quoad autem alios inquisitores, non esse illis denegandas tempore opportuno approbationes magisterii studentium, baccalaureatus ac regentatus respective a consilio provinciae, quatenus tamen ante collatum sibi inquisitoris munus digne et laudabiliter per annos plures lecturis philosophiae ac theologiae operam dederint, iuxta praescripta in statutis religionis et ordinationibus provinciae utriusque Lombardiae; dictis enim inquisitoribus ex iustitia debentur recensitae approbationes et acceptationes respective, tamquam de facto et actualiter praefata munera in studio generali Bononiae peregissent ratione servitii, quod continuo praestant sanctae sedi.

Et de huiusmodi decreto certioretur pater generalis ordinis et pater provincialis electus utriusque Lombardiae ad hoc, ut illud in praxim deducant.

Ioseph Bartolus
sanctae Romanae et univ. inquisitionis notarius.

Locus † sigilli.

2. Declaramus, quod penes provinciales provinciae nostrae utriusque Lombardiae non est acta capituli provincialis vel petitiones, immo et quod vocant balottationes ad gradus et officia in studio generali, aut graduatorum acceptationes ita suspendere, ut nullo modo fiant; quod si contingat vicarium provinciae seu praesidentem capituli aliquando recusare, ea pro more provinciae peragere, facta debita citatione poterit primus diffinitor et successive alter ex diffinitoribus capituli, vel iis renuentibus antiquiores ex magistris provinciae poterunt respective ante dissolutionem capituli patres a consiliis provinciae convocare, ea gerere, ac si pater vicarius provinciae praesens existeret; aequum quippe est, ut provincia suis potiatur iuribus et privilegiis; declaramus insuper, quod vicarius provinciae, qui haec peragere recusaverit, sit ipso facto privatus voce activa et passiva et gradibus, nec possit nisi per capitulum generale aut magistrum ordinis restitui.

3. Cum in hoc capitulo generali titulo de studiis feriae scholarum fuerint statutae, ordinamus, quod quae ibi statuuntur, ad ea reducantur,

(1) De fr. Francisco Octavio de Orestis cf. SSOP. II, 766.

quae in nuperrimo capitulo generali pro provincia utriusque Lombardiae § 4. constituta sunt.

4. Ordinamus, quod ea, quae ordinata sunt circa novitiorum educationem, exacte et fideliter serventur, sive sint novitii simplices sive professi, quique sub cura magistri novitiorum manere teneantur, secundum quod praescriptum est in nostris constitutionibus et capitulis generalibus, nec in his posse etiam per rr. pp. provinciales aut conventuum praesidentes quocumque modo dispensari.

5. Ordinamus, quod, sicut ord. 3. capituli generalis Romae celebrati anno 1644 statutum fuerat, ut ordinationes eminentissimi cardinalis Alexandrini b. m. circa eos, qui ad officium prioris aut eligendi aut confirmandi sunt, omnino serventur, nec in priores conventuum, in quibus viget studium eligantur, qui non fuerint lectores primarii theologiae; et si electi fuerint, non confirmentur; quoad vero conventus parvos, qui duodecim fratres ob eorum paupertatem alere non valent, servetur ordinatio prima pro hac provincia nuperrimi capituli generalis Romae celebrati 1686.

6. Confirmamus, quae pro hac provincia a rev. patre magistro generali Thoma Turco constituta sunt, quatenus tamen non sint per subsequentia capitula generalia aut praesens capitulum generale explicata, moderata vel temperata.

7. Confirmamus, quae rev. pater generalis in visitatione conventuum huius provinciae tam pro conventibus particularibus, quos ipsemet visitavit, quam quae pro bono communi provinciae cum consilio patrum in conventu Bononiensi statuit.

8. Confirmamus privilegia concessa a rev. patre generali lectoribus, qui per duodecim annos in conventibus ab eodem designatis, prout fusius continetur in epistola encyclica data Bononiae die 8. nov., ita tamen ut nulli his privilegiis potiri possint, nisi eorum tempus lecturae duodecim annorum per magistrum ordinis, visa r. p. provincialis approbatione, approbatum et ratum fuerit; quae approbatio semper in actis cuiuslibet capituli provincialis, etiam proxime futuri, inseretur et insinuabitur.

9. Innovamus, quae in capitulo generali Romae 1644 ord. 5. pro hac provincia statuta sunt circa lectores actu legentes, ut per se ipsos munus lecturae omnino impleant, nec eis liceat vices suas alteri committere; iniungentes pp. provincialibus pro tempore, ut, si quos lectores repererint aut noverint vices suas alteri commisisse, etiam tempore adventus vel quadragesimae, omnino a suis officiis absolvant, nec ad lecturas etiam in aliis conventibus absque assensu magistri ordinis assumi de novo possint.

10. Innovamus, quae alias pro hac provincia statuta fuere in variis capitulis generalibus circa monialium confessarios, quique institui non possint, nisi idonei sint sorores ad perfectionem suae vocationis verbo et exemplo instruere, et qui per quatuor annos vel lectoris theologiae vel praedicatoris munus non expleverint, debeant saltem per biennium ab eo officio cessare nec institui possint, nisi expleto biennii interstitio.

11. Renovamus praeceptum et excommunicationem pro conventu nostro et studio generali Bononiensi a b. m. rev. p. Thoma Turco latam contra moderatores, promoventes indignos ad lecturas, etiamsi addatur conditio « dummodo non legant », quam ut iniustam omnino abolemus, uti et in praecedenti capitulo generali statutum fuerat.

12. Cum in variis capitulis generalibus saepius actum fuerit, plurimum conducere ad decorem ordinis, si in civitate Lauretana hospitium erigeretur, in quo fratres religiosius et cum omni charitate recipi possint, et benedicente Deo iam statutum fuerit, ut foveri et manuteneri in perpetuum possit, quae a rev. magistro ordinis ordinata fuere, quaeque continentur in communi epistola ad omnes fratres provinciae utriusque Lombardiae sub data die 5. nov. 1692, quae omnia, ac si his actis capitularibus inserta essent, observari omnino praecipimus, committentes pp. provincialibus pro tempore, ut quae ea in epistola ordinata sunt, executioni fideliter demandent et in quolibet capitulo provinciali coram patribus provinciae significent, quae pro eo hospitio receperunt et vicario hospitii dederunt et eorum rationem reddant.

13. Concedimus r. p. fr. Thomae Pagani, vicario hospitii Lauretani, quique plurimum insudavit pro illius erectione, et modo in diem insudat pro illius incremento cum maximo honore et splendore ordinis et provinciae, omnia privilegia concessa iis lectoribus, qui per duodecim annos in conventibus designatis cum effectu legerunt; et insuper ipsi damus privilegia vocis activae in capitulis provincialibus in mercedem laborum, quos continuo sustinet eo in hospitio; adhortantes ipsum, ut eo in munere et regimine hospitii perseveret; ipsi praecedentiam damus ea in domo et civitate super quoscumque priores ordinis, ibique privilegio gaudeat, ac si de facto prior esset, et dicat fidelium inter fratres; plurimum quippe conducere existimamus ad ordinis gloriam, si iis privilegiis et praeeminentiis et iuribus potiatur et gaudeat.

14. Approbamus in regentem studii generalis Bononiensis r. adm. p. mag. fr. Iosephum Mariam Tabaglio a rev. patre generali institutum, quique officium incipiet eo primum, quo terminaverit r. adm. p. mag. fr. Pius Alexander Crivelli, aut vacare contigerit; in baccalaureum pro proximo futuro festo exaltationis s. Crucis approbamus etiam a rev. patre magistro ordinis institutum r. p. fr. Desiderium Vieri; in magistrum studentium

r. p. lect. fr. Thomam Mariam Manara; in lectorem biblicum r. p. lect. fr. Ludovicum Nozzi, et in lectorem metaphysicum r. p. fr. Ludovicum Angeli.

15. Approbamus in magistros provinciae r. adm. p. mag. fr. Pium Alexandrum Crivelli, regentem studii Bononiensis, et r. adm. p. mag. fr. Ioannem Antonium Orselli post expletum officium baccalaurei. Approbamus etiam in magistros provinciae rr. adm. pp. inquisitores a magistro ordinis institutos, secundum tenorem litterarum patentium et alios ab eodemmet magistro ordinis institutos, quique in proximo praeterito capitulo provinciali vocem activam uti magistri provinciae habuere; insuper approbamus magisterium provinciae r. adm. p. fr. Vincentii Bezzi, per hoc idem capitulum institutum. Approbamus titulum magistri et privilegia patris provinciae r. p. mag. fr. Vincentii Morici de Firmo iuxta litteras patentes rev. magistri ordinis.

16. Quia vero plures huic capitulo generali exposuerunt, se vel regentiam in studio generali Dalmatiae explevisse, vel fuisse in baccalaureos studii generalis Bononiensis a quatuordecim annis nominatos, quod officium baccalaurei explere non potuerunt ob varias infirmitates et varia ordinis nostri officia, alios vero fuisse laureatos a multis annis aliaque scholae munia exercuisse, unde ad magisterium provinciae omnes ipsi promoveri postulant, eorum omnium petitiones ad proximum capitulum provinciale remittimus, ut patres provinciae, discussis eorum rationibus et meritis ac laboribus, exponant magistro ordinis eorum requisita ad gradus, ratum ex nunc habentes, quidquid postea a magistro ordinis fuerit diffinitum.

17. Approbamus concessionem privilegiorum factam a rev. magistro ordinis in actuali visitatione Bononiae in favorem r. p. lect. fr. Felicis Bardelloni, qui per 24 annos munus magistri novitiorum in praefata provincia utriusque Lombardiae cum zelo et decore ordinis exercuit.

18. Ad petitionem moderni r. p. provincialis et patrum provinciae nostrae utriusque Lombardiae studentibus vocem activam restituimus eo modo, quo ante praecedens capitulum generale gaudebant, rescindentes ea, quae in praecedenti capitulo generali § 5. circa vocem activam in electionibus priorum pro studentibus statutum fuerat.

19. Cum hac in provincia nec baccalaurei nec praedicatores generales ullomodo sint, ne munus praedicatoris, ex quo maxime honor ordinis et salus etiam animarum plurimum pendet, omnino vilescat, et ut multi ad tam pium et sanctum exercitium accendi et inflammari possint, concedimus, quod in quolibet capitulo provinciali exponantur duo, qui in maioribus totius Italiae civitatibus saltem per duodecim annos tempore quadragesimae cum gloria et honore ordinis praedicaverint; quibus

a magistro ordinis omnia iura, privilegia, exemptiones, imo et vox activa in capitulis provincialibus concedantur, quibus magistri provinciae gaudent, uti magistri titulo praedicationis, quibus in futurum locum damus post magistros in theologia, horum numerus pro tota provincia ad senarium praefigimus et determinamus, nec supranumerarium aliquem quocumque tempore praesentare aut nominare patribus provinciae licebit nec pro loco vacaturo, sed dumtaxat cum locus vacaverit; alias quaecumque praesentatio aut nominatio vel institutio nulla erit; et circa horum acceptationem serventur, quae constituta sunt pro magistris provinciae, ita ut semper intelligantur eorum institutiones salvis iuribus provinciae sicuti pro magistris in theologia.

**Pro provincia Romana.**

1. Confirmamus et approbamus ordinationes a rev. nostro generali in actuali visitatione huius provinciae factas et Perusii die 16. aug. 1690 datas, quaeque ad omnes eiusdem provinciae conventus spectant, easque respective observari omnino demandamus; iniungentes rr. pp. provincialibus pro tempore, ut sedulo earum observantiae invigilent poenasque in eis latas fratribus imponant, qui eas executioni non demandaverint.

2. Instituimus in studium generale huius provinciae ultra studium generale Perusinum collegium s. Thomae Romanum aggregatum conventui nostro s. Mariae super Minervam, ipsique collegio nostro Romano concedimus privilegia, quibus studia generalia seu universitates in ordine nostro per capitula generalia instituta potiuntur et gaudent, approbantes omnes ordinationes a magistris ordinis pro bono regimine huius studii seu collegii a tempore suae erectionis factas, ita tamen ut magistri ordinis eas innovare et immutare valeant, cum ad maiorem studii vel observantiae regularis rigorem et studentium profectum expedire iudicaverint.

3. Concedimus pro votis patrum provinciae in capitulo provinciali hoc anno Viterbii in conventu s. Mariae ad gradus congregatorum, quod r. p. fr. Raphael Badii, iam sexagenario maior et ab anno 1674 laurea magistrali insignitus privilegiis, exemptionibus magistris provinciae debitis potiatur et gaudeat.

4. Concedimus r. p. Iacobo Antonino Testa, qui ultra quindecim annos docuit ac officium magistri studentium in studio generali Perusino explevit, sed ob suas graves infirmitates, quibus ita habitualiter attritus est, ut munus baccalaurei et regentis obire non potuerit, quod omnibus privilegiis, exemptionibus potiatur, quibus magistri provinciae fruuntur et gaudent.

5. Concedimus r. p. fr. Hyacintho Gubernatis, qui ultra viginti annos docuit et officium magistri studentium Romae explevit, quod etiam iste exemptionibus et privilegiis potiatur, quibus magistri provinciae.

6. Declaramus, quod non intendimus rr. patribus supranominatis concedere iura, titulum et locum magistris debita, sed quod sint patres a consiliis in omnibus conventibus totius provinciae vocemque activam habeant in capitulis provincialibus et sint exempti ab officio hebdomadarii.

7. Concedimus r. p. fr. Ioanni Francisco Aggrati, qui alias ob suos labores, quos in docendo philosophiam et theologiam sustinuit, quique per plures annos praedicationi vacavit, ut substituatur in praedicatorem generalem conventus Fulginei, cuius est filius, ita ut absque alia declaratione, cum eo in conventu vacaverit praedicatura generalis, immediate succedat cum omnibus iuribus et privilegiis praedicatoribus generalibus debitis.

8. Confirmamus et approbamus in magistros provinciae omnes, qui in nuperrimo capitulo provinciali huius provinciae cum loco, voce et titulo in electione provinciali admissi fuere, et omnes qui a magistro ordinis in magistros provinciae instituti fuere sive auctoritate apostolica sive ob officia peracta in studiis generalibus, nempe rr. adm. pp. fr. Dominicum Leoni, fr. Thomam Mariam Angeloni, ita ut teneant locum a tempore suae primae institutionis; item rr. adm. pp. fr. Dominicum Servitiati, fr. Gregorium Compagni, fr. Petrum Tacca, fr. Iosephum Clarioni, fr. Petrum Paulum Octaviani, inquisitorem Perusinum, fr. Ioannem Baptistam Caro, fr. Philippum Grillotti, fr. Vincentium Iustinianum, fr. Carolum Gucci, fr. Thomam Mariam Cini, fr. Deodatum Camaffei, inquisitorem Spoletinum, fr. Hieronymum Mascella, fr. Iosephum Mariam Brovet, fr. Gregorium Sellari, fr. Dominicum Guiducci, fr. Augustinum Guiducci, fr. Stephanum Quercetani, fr. Franciscum Mariam Forlani.

9. Concedimus ad petitionem provinciae, quod lectores, qui cum effectu et realiter per duodecim annos integros philosophiam et theologiam legerint in conventibus Romano, Perusino, s. Mariae Novellae, s. Marci Florentiae, s. Romani de Luca, s. Mariae ad gradus Viterbii, s. Mariae super Quercum, in universitatibus Pisarum et Perusii, gaudeant privilegiis, exemptionibus, quibus lectores primarii actu legentes in ordine nostro potiuntur.

10. Concedimus r. p. fr. Iacobo Mariae Bandini, qui modo officium magistri novitiorum simplicium et professorum in conventu s. Mariae super Minervam exercet, quodque iam a pluribus annis in eodem conventu s. Mariae super Minervam cum maximo iuvenum fructu exercuit, omnia iura et privilegia concessa magistris novitiorum, qui per duodecim annos onus illud sustinuerunt; adhortantes ipsum, ut eo in officio perseveret, quamdiu a superioribus ipsi iniunctum fuerit.

11. Eadem privilegia et iura concedimus r. p. fr. Petro Martyri Nutarelli, qui munus illud Perusii a multis annis exercet, et r. p. fr. Lau-

rentio Pittei, qui Fesulis per plures annos idem munus exercuit; quibus iniungimus, ut cum per superiores ad id officium assumentur, illud acceptare teneantur cum onere implendi tempus praefixum; interim iuribus et privilegiis magistris novitiorum concessis in nuperrimo capitulo gaudeant et potiantur.

12. Concedimus r. p. fr. Hyacintho Mariae Mari, qui a praedecessore nostro Ioanne Baptista de Marinis b. m. ab anno 1663 in praedicatorem generalem institutus fuit, vocem activam in capitulis provincialibus, iuribusque praedicatoris generalis in conventu suo nativo et tota provincia Romana potiatur et gaudeat, usque dum ei aliquis conventus pro praedicatura generali designabitur.

**Pro provincia Regni.**

1. Confirmamus, quae a rev. b. m. Nicolao Rodulphio, alias ordinis nostri generali magistro, constituta sunt pro receptione hospitum, cuiuscumque sint provinciae vel nationis, ita ut in posterum superiores omnium nostrorum conventuum, cuiuscumque sint provinciae, fratres ordinis nostri recipere teneantur secundum ordinem et dispositionem factam ab eodem magistro generali; et si qui sint, qui huic dispositioni parere recusaverint, ipso facto ad sex menses ab officio suspendimus; iniungentes iisdem superioribus, ut fratres hospites, qui cum licentia superiorum accesserint, eos cum omni charitate recipiant nec quocumque praetextu permittant fratribus nostris extra conventus pernoctare, nec fratres clerici aut sacerdotes soli et sine socio intra civitatem ullo modo incedant; et si qui sint superiores, qui hoc permiserint, eadem suspensionis poena plectantur; fratres vero soli et absque socio incedentes aut pernoctantes extra conventum, poenis fugitivis impositis subiiciuntur.

2. Confirmamus, quae a rev. magistro ordinis statuta sunt circa concursum lectionum philosophiae et theologiae, ita ut concursus omnino et inviolabiliter servetur, nec in his possit per rr. pp. provinciales ullo tempore dispensari; oneramusque in diem domini conscientias moderatorum concursus, si minus dignos dignis praeferant, omniaque in concursu lectorum peragantur, quae sunt secundum rigorosam iustitiam et aequitatem; teneanturque rev. magistrum ordinis toties quoties sint concursus lectorum monere nominatim, qui concursui interfuere, et quomodo concurrentes se gesserunt.

3. Ordinamus, quod expositores casuum conscientiae, qui pro quolibet conventu designati sunt, ter in hebdomada coram tota communitate hora competenti et commodiori, ita ut exercitia scholastica non impediantur, exponere et resolvere teneantur; nec propter hoc officium ab onere hebdomadarii vel sequela chori dispensentur; qui autem hoc munus exponendi casus conscientiae recusaverint, si alias sufficientes sint a con-

ventu amoveantur, nec ad officia quaecumque eligi aut assumi possint, inconsulto rev. magistro ordinis.

4. Ordinamus, ut nemo possit publice legere in universitate Neapolitana, nisi sit in ordine vel magister vel baccalaureus aut saltem philosophiam et theologiam docuerit, nec acceptare officium lectoris, nisi in ordine nostro saltem per quatuor annos theologiam legerit.

5. Inhibemus omnibus superioribus conventuum huiusce provinciae et maxime in civitate Neapolis, ne tertiarias ordinis nostri recipiant, nisi praemisso examine conditionis, aetatis et morum, habeaturque, unde in victu et vestitu sufficienter providere possint, sintque bonae famae et honestae familiae, aliaque servent, quae in bulla b. Pii V. statuta sunt et in capitulis generalibus.

6. Ordinamus et stricte observari demandamus, ut, uti pro conventu s. Dominici maioris de Neapoli statutum aut usu et laudabili consuetudine probatum est, quod fratrum spolia ad fabricae consummationem omnino expendantur nec ad alios usus diverti possint; et postquam conventus fabrica perfecta et consummata fuerit, eadem spolia fratrum ad publicas ecclesiae necessitates impendantur; inhibentes superioribus pro tempore, ne ea spolia ad alios usus divertant aut impendi permittant.

7. Rogamus rev. magistrum ordinis ad instantiam p. provincialis Regni, ut, quoties filii illius provinciae vere digni sint, ad munus lectoris in collegio s. Thomae de Neapoli obeundum et fratres studiis bene affectos in studentes illius collegii instituere, assumere et destinare velit.

8. Cum ex frequenti et diuturna absentia priorum e propriis conventibus quamplura sequantur incommoda, ordinamus et, quanta possumus districtione, praecipimus omnibus et singulis prioribus conventuum extra Neapolim sub poena absolutionis ab eorum officiis, ut ad civitatem Neapolitanam non accedant, nisi ex urgentissima causa et de licentia in scriptis p. provincialis pro tempore; et iniungimus patribus provincialibus, ut etiam praefata causa subsistente huiusmodi facultatem non concedant nisi ad tempus unius mensis pro quolibet anno prioratus; quod si praedicti priores aliter fecerint, eos ab officiis absolvimus et per praesentes absolutos dicimus et declaramus.

## Pro provincia Teutoniae.

1. Ordinamus et simul declaramus, quod monasterium sororum nostrarum in Altenhochenau in Bavaria situm pertinere debeat ad vicariatum Bavariae et Sueviae, uti antea spectabat, tollentes quamcumque aliam dispositionem.

2. Ordinamus et stricte observari praecipimus, uti toties sancitum est in ordine nostro, quod iuvenes recepti ad habitum clericorum in anno probationis ad studia philosophiae vel theologiae non admittantur,

sed educentur in iis, quae perfectionis et observantiae regularis sunt, et secundum rigorem constitutionum nostrarum impraetermisse probentur ac in caeremoniis et iis, quae nostrae vocationis sunt, adamussim instruantur.

3. Ordinamus, ut ea, quae statuta sunt sive in praecedentibus capitulis generalibus sive hocce in capitulo circa examen sacerdotum ad saecularium confessiones àudiendas fideliter observentur, et omnes sacerdotes, praesertim qui pro confessionibus audiendis probati et deputati sunt, collationibus seu explicationi casuum conscientiae assidue, toties quoties fiunt, omnino adsint, alias arbitrio superiorum severe puniantur.

4. Ordinamus, ut antiquus usus, qui in hac provincia inolevit pro eligendis priorissis tertiae regulae inviolabiliter observetur, contraria consuetudine non obstante, quam abolemus, si quae introducta fuerit, quamque uti abusum reiicimus.

5. Ordinamus in subsidium conventus Viennensis, et ne nimio fratrum in hunc conventum accessu gravetur, quod imposterum fratres omnes, cuiuscumque sint provinciae et gradus et conditionis, cum ad ipsum accesserint post triduum hospitii, titulo charitatis fraternae, quotidie medium florenorum solvere teneantur.

6. Ordinamus et distincte sub poena absolutionis ab officio praecipimus omnibus tam prioribus quam priorissis, quod suis respective fratribus et sororibus annuum vestiarium praebeant, ut hac ratione decenter vestiti ansam habeant ferventius pro bono communi laborandi.

7. Committimus rev. p. provinciali, ut cum priore Coloniensi et Marienheidano instituat novitiatum pro iuvenibus educandis in eodem conventu Marienheidano, in quo iuvenes habitu ordinis induti in anno probationis, secundum quod per constitutiones nostras sancte constitutum est, omnino probentur et educentur.

8. Eidem rev. p. provinciali committimus, ut cum Neoclaustrensi priore agat, ut in eo etiam conventu alter novitiatus pro novitiis simplicibus instituatur, in quo etiam novitii instruantur in omni disciplina regulari secundum exactam constitutionum nostrarum observantiam; iniungentes rev. p. provinciali, ut quam primum utrumque novitiatum instituat, attenta vastitate provinciae, cui vix novitiatus instituti sufficere possunt; ipsum et suos successores hortamur, ut sedulo invigilent, quod in praefatis novitiatibus iuvenes in exercitiis vocationis nostrae et caeremoniis ordinis a discreto magistro instruantur, et quod ibidem tales patres assignentur, qui eiusmodi iuvenibus, ex quibus tota spes restaurandi primaevi zeli religionis nostrae dependet, exemplo religiosae observantiae et morum integritate praeluceant.

9. Concedimus ad petitionem provinciae ob ipsius amplitudinem et studiorum generalium numerum, quod numerus magistrorum augeatur usque ad vigesimum quartum, praesentatorum vero usque ad vigesimum quintum; nullus tamen gradu magisterii aut praesentaturae honestari possit, nisi servatis iuribus provinciae et dummodo expleverit, quae per summorum pontificum decreta et constitutionum nostrarum et capitulorum generalium ordinationes constituta et statuta sunt.

### Pro provincia Angliae.

1. Peroptantes hanc provinciam restaurare, committimus rev. magistro generali, ut, cum se se obtulerit occasio, possit fratres illius provinciae, attentis eorum meritis et laboribus, ad gradus magisterii et praedicaturae generalis, immo aliquos etiam decorare titulo prioris eorum antiquorum conventuum, qui ea in provincia extitere, quique omnes iuribus, praeeminentiis, loco et voce, quibus magistri, praedicatores generales et prioses ipsi in ordine nostro potiuntur et gaudent.

2. Committimus eidem magistro ordinis, ut, cum haec statuta fuerint, possit iisdem facultatem impertiri, ut in unum congregati possint sibi eligere priorem provincialem illius provinciae Angliae; interim tamen, donec haec legitime constituta fuerint, magistri generalis erit eidem provinciae de priore provinciali providere, cuius regimen et officium, sicut caeterorum priorum provincialium aliarum provinciarum ordinis ultra montes ad quadriennium durabit; quo quadriennio expleto alter vel eligetur vel instituetur.

3. Declaramus, quod etiam in hac provincia debent servari interstitia uti in caeteris provinciis ultra montes tam pro officio prioris provincialis quam prioris, ita ut ultra triennium nullus titulo eiusdem conventus possit prorogari in officio prioris, nec prior provincialis possit ultra quadriennium nec iterum institui, nisi transacto tempore duorum provincialatuum.

4. In gratiam huius provinciae, quam filiis crescere in diem optamus, hortamur magistrum ordinis, ut quamdiu erunt filii huius provinciae digni officio provincialatus, quod ex ea et natione Anglicana provinciales pro tempore instituere dignetur, cum maxima ex hoc sit spes, quod maiori sollicitudine bono tum spirituali tum temporali huius provinciae invigilabit provincialis.

5. At cum Deo benedicente et ex speciali zelo et charitate eminentissimi cardinalis Oward iam sint plures huiusce provinciae filii moribus, litteris ac praeclaris dotibus praediti, rogamus rev. p. magistrum ordinis, ut, quantum fieri poterit, hanc foveat provinciam, missionarios iuvet et ad missiones obeundas animet et inflammet, ipsisque secundum nostrarum constitutionum statuta laborum mercedem paterno affectu benigne impertiatur.

6. Verum quia speramus, quod tandem haec provincia poterit conventus etiam extra Angliam aedificare vel obtinere, committimus eidem p. magistro ordinis, ut, cum aliqui ex his conventibus sufficientes et idonei fuerint ad educationem novitiorum simplicium et ad studia generalia, facta diligenti inquisitione, velit eos in novitiatum et studium generale respective declarare et designare cum omnibus iuribus et privilegiis, quibus novitiatus et studia in ordine nostro potiuntur et gaudent; quae omnia zelo et prudentiae p. magistri ordinis remittimus.

## Pro provincia Poloniae.

1. Committimus magistro ordinis, ut contractus, quos conventus huius provinciae inierunt, quique in actis nuperrimi capituli provincialis inseruntur, praevia diligenti informatione, possit etiam auctoritate huius capituli generalis confirmare et approbare.

2. Instituimus ad petitionem provinciae ob eius vastitatem et numerum conventuum in studium formale conventum Lutzioriensem, quique omnibus iuribus et privilegiis gaudebit, quibus alia provinciae formalia studia potiuntur.

3. Ad petitionem etiam patrum provinciae confirmamus ordinationem iam pridem constitutam, qua statutum est, ut capitulum provinciale mense septembris die sabbati post festum nativitatis b. virginis celebretur.

4. Concedimus ad petitionem provinciae, quae propriarum virium conscia est, et ob eius amplitudinem et studiorum generalium numerum et ut praecedenti numero magistrorum provinciae tres addantur, unus scilicet pro conventu Cracoviensi, et alii duo pro iure provinciae; similiter numero praesentatorum tres etiam addantur, unus pro eodem conventu Cracoviensi et alii duo pro provincia.

5. Committimus r. p. provinciali, ut sororibus tertii ordinis nostri cappam et scapulare album conferre possit, uti sorores tertii ordinis variis in provinciis deferunt.

## Pro provincia Aragoniae.

1. Approbamus et confirmamus ordinationes a rev. magistro ordinis emanatas sub die 28. martii decurrentis anni 1694, prout continentur in epistola transmissa ad universam provinciam in capitulo provinciali proxime celebrato congregatam; ac iniungimus p. magistro provinciali moderno, ut eiusdem epistolae transumptum simul cum actis proximi capituli generalis celebrati Romae sub anno 1686 ad omnes provinciae conventus transmittere curet, et super observantiam earum ordinationum, quae pro hac provincia stabilitae sunt, serio invigilet.

2. Ad eiusdem provinciae petitionem ordinamus et statuimus, ut omnes provinciae conventus et collegia teneantur ad solutionem expen-

sarum, quae fiunt in celebratione capitulorum provincialium, ne, dum de communi bono provinciae agitur, unicus tantum conventus gravetur.

3. Innovamus et ad petitionem provinciae confirmamus ordinationem pro hac provincia specialiter factam in capitulo generali celebrato Romae a. d. 1644, per quam privantur voce et suffragio in electione provincialium praedicatores generales, qui non resident in conventibus, pro quibus fuerunt instituti, quacumque dispensatione et quavis alia de causa, etiam ratione officii supprioratus, magisterii novitiorum et alterius non obstante; quapropter revocamus exceptionem in capitulo generali proxime praeterito factam ad petitionem diffinitoris illius capituli.

4. Confirmamus ordinationem factam in capitulo provinciali Valentino anno 1690 pro insula Maioricarum, ut videlicet visitatorum auctoritas, qui bis in quadriennio provincialatus institui debent, non duret ultra tres menses; quibus semel elapsis, nihil ultra statuere aut decernere valeant.

5. Similiter et alteram eiusdem capituli provincialis ordinationem pro novitiis recipiendis.

6. Confirmamus statutum rev. p. generalis b. m. Ioannis Baptistae de Marinis, ut nempe rector, regens et lectores collegii nostro Dertusae litteras patentes transmittere teneantur ad regalem conventum Maioricae, ut iste iure suo utatur eligendi in collegam dicti collegii unum de suis filiis iuxta determinationem eiusdem.

7. Spectata distantia insulae Maioricarum a provinciae corpore concedimus priori s. Dominici civitatis Maioricae exponendi ad sacros ordines et ad confessiones audiendas nec non ad verbum Dei praedicandum fratres omnes, quos idoneos iudicaverit, servatis tamen aliis de iure servandis.

8. Inhaerentes iis, quae in constitutionibus nostris dist. 2. cap. 7. n. 2. habentur, declaramus, quod vicarii nationum vocari non debeant vicarii generales, nec fidelium dicere, nec locum supra priorem obtinere aut proprium mutare, nisi in capitulo, dum suum actu exercent officium.

9. Ordinamus, ut omnes lectiones et cathedrae dentur publico concursu, qui fiet in quatuor principalioribus conventibus, ubi praedicatores etiam generales, lectores et confessarii examinari tenebuntur.

10. Erigimus in conventum pro strictiori observantia collegium nostrum de Teruel et nomen collegii abolemus; committimus tamen p. provinciali, ut in praefato conventu instituat lectores artium et theologiae, qui pro forma et gradu legant, sicuti in aliis studiis generalibus provinciae, quia ad petitionem et instantiam insignium benefactorum eiusdem conventus, quibus plures gratias nomine totius ordinis referimus, eum conventum erigimus in studium generale provinciae.

11. Acceptamus lecturam linguae hebraicae in universitate Valentina p. lect. fr. Michaelis Benedicto, declarantes eam lecturam ipsi p. lectori suffragari pro gradu magisterii consequendo, ac si theologiam scholasticam secundum provinciae consuetudinem publice doceret.

## Pro provincia Trinacriae.

1. Cum ex terraemotu, quo haec provincia maxime concussa est, plures conventus, in quibus erant novitiatus novitiorum simplicium et studiorum generalium, poenitus subversi fuere, approbamus translationem studiorum generalium iis in conventibus, in quibus translata fuere; et quoad novitiatus declaramus, quod a s. congregatione super statu regularium speciali decreto translati fuere; unde studia generalia sic translata iuribus et privilegiis studiorum potiantur, donec conventus subversi reintegrati et restituti fuerint; tunc enim in iis conventibus studia formalia iuxta antiquam provinciae consuetudinem restituentur.

2. Ordinamus, ut iis in conventibus, in quibus non est sufficiens numerus fratrum ad consilium componendum, nihil omnino in publicum conventuum bonum statui possit, inconsulto patre provinciali.

3. Ordinamus ad bonum regimen provinciae, ut nullus possit pro tertia vice eligi in priorem alterius conventus, nisi saltem biennium unum prioratus realiter et cum effectu expleverit.

4. Committimus r. patribus provinciae in capitulo provinciali congregatis, ut re mature discussa determinent numerum fratrum, qui conventibus Panormitanis assignari debent, ita tamen ut in conventu s. Dominici ultra nonaginta et in conventu s. Zitae ultra sexaginta non assignentur, nisi rr. patribus provinciae constet, conventus huiusmodi posse maiorem fratrum numerum sustinere et alere.

## Pro provincia Lusitaniae.

1. Confirmamus ordinationes rev. p. generalis b. m. fr. Ioannis Baptistae de Marinis specialiter factas pro ista provincia die 19. septembris 1666, expositas et moderatas a rev. et ill. Thoma de Roccaberti die 2. februarii anno 1671, quibus praesertim statutum est, ut consilium provinciae subrogatum in locum iudicum vocum in capitulis provincialibus ante electionem dumtaxat potestatem habeat cognoscendi de poenis constitutis a iure seu de aliquo personali impedimento, quod privationem vocis inducat, si forsan alicui vocali obiiciatur, salvo iure, quo gravatus possit modeste appellare ad pleniorem consessum capituli, cuius sola decisio attendatur; nullo modo discutiatur vocalitas priorum, magistrorum, praedicatorum generalium, quae illis ex titulo officiorum aut graduum debetur, quando fuerunt in possessione pacifica confirmationis aut institutionis suae.

2. Confirmamus ordinationem praesentis rev. p. generalis pro eadem provincia factam die 16. octobris 1689. Ordinamus ad maiorem electionis

provincialis libertatem, et ut omnis fraus in electione excludatur, quod in posterum graduati gradu magisterii, praesentaturae et praedicaturae generalis non acceptentur ante novi provincialis electionem, eorumque acceptatio fiat feria 5. sequenti post inchoatum capitulum; ex qua acceptatione ius dumtaxat obtinebunt eligendi in sequentibus capitulis, uti plenius in brevi b. Pii V. et in ordinationibus capitulorum generalium Romae 1546 et 1650 constitutum fuit.

3. Declaramus, quod iuxta laudabilem morem totius Hispaniae prior illius conventus, in quo celebratur provinciale capitulum, tantummodo praeses est electionis nec aliquam iurisdictionem habet, nisi uti primus scrutator invigilandi super iis, quae spectant ad directionem actus formalis electionis et ad implementum formae in eadem electione observandae; nullatenus vero facultatem habet iudicandi de legitimis vocalibus ac multominus rem in toto corpore capituli iudicatam revocare.

4. Ordinamus conformiter ad primaevam institutionem collegii reginae seu dominae de Scala in civitate Ulissiponensi, ut in eo moderatores alii non sint quam graduati in s. theologia, qui quotannis duabus publicis conclusionibus assistere teneantur.

5. Ordinamus, ut in civitatibus, ubi sunt publicae universitates, nulli in priores confirmentur aut in regentes instituantur, qui magistri non sint; ii vero sic confirmati et instituti omnino acceptare teneantur; similiter ut nullus instituatur lector in conventu Ulissiponensi, qui prius non legerit in conventu de Bello, adeo ut nonnisi post cursum in utroque conventu expletum institui possit magister studentium; demum ut lectores artium instituantur per concursum; qui vero illius quomodolibet dispensationem obtinuerint, caeteris postponantur pro obtinendo studentium magisterio.

6. Confirmamus ordinationem ill. et rev. d. Antonii de Monroy, qua statuitur, ut in conventu Ulissiponensi camerae ad publicam plateam sitae ab iis duntaxat occupentur, qui a r. p. provinciali designati fuerint, qui eas dotes morumque gravitatem habeant, unde nihil de eis minus honestum et statui religioso minus conveniens suspicari liceat.

7. Committimus rev. magistro ordinis, ut ad gradus tam magisterii quam praesentaturae, qui in hac provincia vacantes reperiuntur, quos digniores repererit, promoveat.

8. Pro manutentione et augmento congregationis nostrae Indiarum Orientalium, quae huic provinciae annexa et unita est, innovamus ordinationes alias editas, praesertim in capitulo generali celebrato Romae 1670, iniungentes p. provinciali pro tempore eiusdem provinciae, ut fratres praefatae congregationis, qui legitimam facultatem remanendi in provincia non habent, omnino compellat, ut ad propriam redeant congregationem,

alias nullis privilegiis, gradibus vel exemptionibus eos gaudere sinant. Pro legitima facultate debet reputari illa, quae a rev. magistro ordinis concessa est, veris existentibus narratis et non aliter nec alio modo.

9. Inhaerentes tertiae ordinationi in praenominato capitulo pro eadem congregatione factae in et super distributione et custodia eleemosynarum, quae tam ex regia liberalitate, quam ex aliis benefactoribus colligi solent pro transmittendis fratribus in praefatam congregationem, declaramus, p. provincialem pro tempore teneri iuxta praescriptum nostrarum constitutionum reddere rationem tam in capitulo seu congregatione intermedia, quam in capitulo electionis provincialis successoris de datis et acceptis seu expensis et receptis in officio provincialatus, sub quibus comprehenduntur eleemosynae, ut praemisimus, receptae et expensae factae pro fratrum conductione ad praefatam congregationem. Declarantes ulterius, quod provinciales, qui rationem reddere noluerint, gaudere non debent gratiis et privilegiis, quibus gaudere solent illi, qui in eadem provincia officio provincialium perfuncti fuere.

**Pro provincia Bethicae.**

1. Ad evitandas graves expensas, quae in hac provincia fieri solent in celebratione capitulorum provincialium propter ingentem numerum vocalium, qui ex multitudine praedicatorum generalium, ut plurimum consurgit, statuimus et ordinamus ad petitionem provinciae, ut in posterum nullus instituatur in praedicatorem generalem neque institutus acceptetur, usque dum numerus praedicatorum generalium, qui modo in provincia instituti et acceptati sunt, ad vigesimum quartum redactus sit; qui numerus viginti quatuor praedicatorum generalium ulterius extendi, ampliari neque augeri possit sub poena nullitatis tam institutionis quam acceptationis. Et ut haec nostra ordinatio commodius executioni demandetur, committimus rr. pp. provinciali et diffinitoribus proximi capituli intermedii, ut absque praeiudicio legitimae possessionis, qua gaudent praedicatores generales, qui modo in provincia instituti et acceptati sunt, et omnino servata lege alternativae inter provinciam et conventus s. Pauli Cordubensis et Hispalensis, id exponant, declarent et statuant in actis capitularibus praenominatae congregationis intermediae, quod magis expedire iudicaverint, ut haec ordinatio ad debitum finem perducatur.

2. Cum per plura capitula tam provincialia quam generalia necnon per rev. magistros ordinis, dum hanc provinciam in supradicta visitatione perlustrarunt, satis superque provisum sit, ne in ea multiplicentur lectores tum theologiae tum philosophiae; quia tamen, quae a superioribus maturo consilio sancita fuere, nonnullam mutationem et alterationem temporum decursu passa sunt, volumus et ordinamus, quod tam

in collegiis quam in conventibus, ubi studia generalia vigent, nullus in lectorem theologiae sive moralis sive expositivae instituatur, ut ipsi suffragari possit huiusmodi lectura pro consequendo gradu sive praesentaturae sive magisterii praeter studentium magistrum, lectorem vespertinum, lectorem primarium et studiorum regentem; hicque dictare debet lectionem de tractatibus s. scripturae, ut ipsi suffragetur pro gradibus consequendis, etiam duplex ille cursus, qui pro regentibus huius provinciae designatus fuit in capitulo generali Valentino 1647. Quam s. scripturae lecturam statuimus, quod in posterum ita annexa sit muneri et officio regentis, ut nullo titulo sive praetextu nec quacumque auctoritate possit separari lectura s. scripturae ab officio regentis sub poena nullitatis institutionis seu nominationis lectoris biblici seu s. scripturae, factae in personam alterius, qui studiorum regens non sit, et regentis, qui munus lectoris s. scripturae fideliter et exacte non adimpleat. Quapropter lectores illi, qui in quocumque studio generali huius provinciae ultra iam praenominatos quomodolibet instituti fuerint, statuimus et ordinamus, quod in lecturam theologiae scholasticae immediate vacaturam subintrent, et, ut quamprimum detur vacantia lecturae theologiae scholasticae, committimus pp. diffinitoribus praenominatae congregationis intermediae, ut absolvant omnes lectores theologiae sive regentes studiorum, qui reperti fuerint adimplevisse omnes cursus theologicos pro gradu magisterii consequendo iuxta tenorem ordinationis pro hac provincia factae in capitulo generali Bononiensi 1615. Quoad lectores vero philosophiae innovamus ordinationem primam editam pro eadem provincia in capitulo generali Romae 1644, praecipientes, ut in conventibus et collegiis, quae ibi designantur et in conventu nostro s. Dominici Malacitano, non vero in aliis, instituantur tres cursus artium.

3. Inhaerentes pluribus capitulorum generalium ordinationibus pro huius provinciae recto regimine statutis, praesertim Ulissiponensi 1618, easque innovantes approbamus et confirmamus declarationem a rev. magistro ordinis in confirmatione actorum capituli provincialis huius provinciae anno praeterito 1693 sub die 2. augusti factam, ut scilicet nullus hac in provincia instituatur praedicator generalis neque promoveatur ad gradus sive praesentaturae sive magisterii, nec pro promoto habeatur, nisi fideliter et exacte observentur omnia, quae ordinata et statuta sunt tam in nostris constitutionibus quam in ordinatione capituli generalis Bononiensis 1615, necnon in decretis pontificiis, praecipue in brevi apostolico fel. rec. Pauli papae V., quod incipit « Pastoralis officii nobis divinitus delati » etc., dat. Romae apud s. Marcum sub die 18. septembris 1607, sub poenis et censuris tam in praedictis ordinationibus quam in brevi apostolico expressis, quas poenas in suo vigore remanere volumus;

ac tandem pro hac provincia innovamus et inviolabiliter observari praecipimus ordinationem factam circa acceptationem graduatorum huius provinciae in capitulo generali Valentino 1647 num. 6.

4. Approbamus et confirmamus dispensationem per rev. magistrum ordinis ad petitionem provinciae concessam lectoribus, qui realiter et in effectu adimpleverint omnes cursus tam philosophiae quam theologiae praerequisitos pro gradu magisterii consequendo, ut scilicet huiusmodi lectores gaudeant dispensationibus et privilegiis praesentatorum, praeter locum praesentatis concessum. Caeterum declaramus, quod, ut praenominati lectores possint frui et potiri praefatis dispensationibus, infallibiliter adesse tenentur omnibus circulis et conclusionibus communibus et particularibus, necnon et omnes defectus tam regentium quam lectorum theologiae actu legentium supplere; aliter autem nulla omnino dispensatione gaudere possunt nec debent praetextu praeteritae lecturae.

5. Similiter approbamus et confirmamus dispensationem ab onere hebdomadariae ad eiusdem provinciae petitionem concessam cantoribus conventuum studiorum generalium, dummodo per quatuordecim annos continuos et absque notabili interruptione principalium cantorum munere in praedictis conventibus perfuncti sint, et quadragesimum quintum aetatis annum ad minus attingant, teneanturque supplere cantorum actualium defectus quomodocumque occurrentes, necnon et iuvenes in cantu ac aliis caeremoniis diligenter instruere praesertim eos, qui ad sacros ordines promovendi sunt, prout a superioribus praescriptum et eis iniunctum fuerit; sub hoc onere et praefatis conditionibus fideliter et copulative verificatis, non vero aliter nec alio modo praedictam dispensationem confirmamus.

6. Pro magistris novitiorum conventuum studiorum generalium, in quibus iuxta huius provinciae privilegia et iura educantur novitii, confirmamus dispensationem ab onere hebdomadariae concessam illis, qui per octo annos completos magisterii novitiorum munere laudabiliter, fideliter et exacte perfuncti fuerint; aliis vero, qui ultra octo annos, saltem usque ad duodecimum inclusive tale munus expleverint, concedimus locum immediate post praesentatos, exemptosque dicimus et declaramus a matutino, quando dimidia nocte dicitur, sed in diebus minoris solemnitatis; in electionibus autem provincialium nullatenus debent habere vocem nec suffragium ferre, licet per plures annos ultra iam praefixos magisterii novitiorum munus exerceant, ne in hac provincia augeatur numerus vocalium concurrentium ad capitula provincialia, quem temperare nitimur et, quantum aequitas postulat, moderare. Quapropter declaramus et declarando statuimus, quod gratiae et privilegia, quae per capitula generalia pro magistris novitiorum in communi designantur, temperentur

pro hac provincia, prout in praesenti ordinatione praemisimus, irritum ac nullius roboris declarantes, quidquid in contrarium attentari contigerit; quandoquidem in communi concessione non veniunt ea, quae capitula generalia verisimiliter non essent in specie concessura, si numerus magistrorum novitiorum ipsis capitulis innotesceret.

7. Innovamus et confirmamus ordinationes emanatas a rev. magistris ordinis in huius provinciae visitatione tam pro fratribus quam pro monialibus et praecipue illas, quas rev. Iustiniani promulgavit in visitatione provinciae pro recto regimine collegii nostri s. Thomae Hispalensis sub poenis in eisdem ordinationibus statutis, quas in suo robore permanere volumus et mandamus.

8. Approbamus et confirmamus erectionem studii generalis factam in conventu nostro s. Dominici Gaditano, servatis alias servandis; et in eodem conventu observari praecipimus ordinationem emanatam a rev. magistro ordinis sub die 28. februarii decurrentis anni 1694, ut hospites ad praenominatum conventum, prout in ipsa ordinatione praescribitur, accedentes, solitam contributionem solvant sub poenis in eadem ordinatione statutis.

9. Approbamus et acceptamus gradum magisterii r. adm. p. mag. fr. Salvatoris Ascanio, socii rev. magistri ordinis ac huius nostri capituli diffinitoris, salvis tamen provinciae iuribus.

## Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Perfectam communitatem hac in provincia laudabiliter stabilitam fovere volentes, si quoquo modo vel bellorum vicissitudine vel humanae fragilitatis conditione collapsa esset, innovamus, quae variis in capitulis generalibus constituta sunt pro fovenda perfecta communitate in omnibus huius provinciae conventibus, iniungentes r. adm. pp. provincialibus pro tempore, ut eorum observantiae sedulo invigilent.

2. Cum conventus Bruxelensis pluribus ab hinc annis pro exacta observantia deputatus sit, quae pro ea fovenda et augenda sive a capitulis generalibus sive a magistris ordinis statuta sunt, ut inviolabiliter observentur, omnino demandamus sub poenis in iisdem ordinationibus latis.

3. Ut studia ea in provincia uti primitus floreant, ordinamus, quod in futurum publicae lectiones fratribus ordinis nostri tum philosophiae tum theologiae per concursum dentur, concursusque fiat aut in studio generali Lovaniensi aut alio maiori conventu, in quo vigeat studium formale et teneantur rr. pp. provinciales debito tempore vocare ad concursum omnes, qui ad lecturas aspirant, iniungentes moderatoribus seu concursus iudicibus, ut deum et iustitiam prae oculis habentes, quos in conscientia digniores existimaverint, eos in lectores eligant, onerantes eorum conscientiam, si secus fecerint.

4. Concedimus r. p. fr. Hyacintho de Bats, ut in academia Lovaniensi pro gradu doctoratus ea in celeberrima universitate obtinendo iuxta morem huius provinciae publice actus scholasticos peragat.

### Pro provincia s. Thomae de Apulia.

1. Committimus rev. magistro ordinis, ut ad pacem et inter fratres huius provinciae mutuam et fraternam charitatem et ad sopienda omnium dissensionum fomenta, auditis provinciae patribus, re mature discussa iudicet, an expediat in electionibus provincialium alternativam instituere inter nationem Barensem et Lyciensem et valeat, si ita in domino expedire iudicarent.

2. Ordinamus, quod in capitulo provinciali vicarius provinciae et illius diffinitores non recedant a diffinitorio ante praefinitum tempus in constitutionibus nostris, et penes ipsos erit citius capitulum provinciale ante idem tempus terminare, sed omnia provinciae negotia et acta capituli provincialis mature discutiantur et fiant, quaeque acta publice coram omnibus patribus ac fratribus legantur.

3. Ordinamus inviolabiliter et impraetermisse observari volumus, quod sicut in hoc capitulo generali ordinatione 6. de studiis constitutum est, quod lectores philosophiae et studentes ante expletum cursum integrum ab officio et conventu, in quo cursum incoeperunt, nullo modo amoveantur; si vero studentes studiis vacare renuerint aut irreligiose se gesserint et inobedientes suis superioribus se praebuerint, tunc imposita poenitentia ipsis debita studiis ad tempus priventur, donec resipuerint et ad meliorem frugem redierint.

4. Concedimus ad petitionem huius provinciae magistris novitiorum simplicium, ut expleto sexennio, si assidue et sedulo huic officio vacaverint, gaudeant voce activa in capitulis provincialibus, cum onere tamen continuandi usque ad annum duodecimum inclusive; qui si a tali continuatione desisterint, ipso facto excident iure suo; qui vero eo officio per octo annos in regimine sex novitiorum professorum ad minus impraetermisse incubuerint, eo privilegio gaudebunt cum eodem onere.

5. Committimus rev. magistro ordinis, ut, cum plures ad gradus magisterii et praedicaturae generalis promoveri postulent, pluresque ad officium lectoris institui desiderent sive in studiis generalibus sive in aliis, pensatis eorum meritis et laboribus, eos his officiis et gradibus decorare poterit, prout in domino expedire iudicaverit.

### Pro provincia Calabriae.

1. Committimus p. reverendissimo, ut totius ordinis nomine supplicet coram summo pontifice pro obtinendo officio s. Dominici de Suriano cum lectionibus propriis.

2. Ordinamus, ut priores, qui tempore prioratus sui vestiarium fratribus exacte non dederint, priventur voce activa et passiva; renovantes ord. 14. capituli generalis Valentiae celebrati 1647, qua ordinatur et stricte praecipitur singulis prioribus, ut dent fratribus necessaria ad victum et vestitum, et quod vestimenta in specie ministrent, non vero pecuniam; caeteraque in eadem ordinatione exacte serventur.

3. Ut in conventu s. Mariae Salutis seu s. Dominici de Suriano in civitate Neapolitana quamprimum determinetur, ad quos spectet nominare filios, illosque quanto citius nominent; alias si intra mensem a praesentium notitia non nominent, rev. p. generalis providebit; interim servetur breve pontificium Innocentii XI. pro utraque provinciae parte.

4. Removemus studium generale a conventu Salutis civitatis Neapolitanae ipsumque conventui Rhegii restituimus cum omnibus iuribus et gratiis, quibus olim potiebatur et gaudebat, et secundum statuta facta pro eo studio generali et collegio Rhegiensi.

5. Statuimus, ut studentes, qui capaces non sunt studii theologiae scholasticae, mittantur ad studia materialia, ubi aliis disciplinis occupabuntur.

6. Statuimus, ut rector Salutis de Neapoli compleat biennium rectoratus, et postmodum alius cum dignitate et auctoritate prioris huic collegio praeficiatur atque ab iis eligatur, ad quos de iure pertinet.

7. Remittimus capitulo provinciali, ut contributiones pro conventibus studiorum generalium, quae a provincialibus exiguntur, prout expedire iudicaverit, distribuere possit collegio Rhegino et Cusentiae.

8. Cum r. adm. p. mag. fr. Alanus, filius conventus Cusentini, suis religiosis laboribus de superiorum licentia plura collegerit pro erectione bibliothecae et illius dotatione in praefato conventu, ordinamus et stricte demandamus, ut quae post eius obitum supererunt ex spolio, nullo modo possint impendi ad alios usus sub poena privationis ab officio tum prioris tum syndici et patrum a consiliis et inhabilitatis ad ipsa, imo et nullitatis actorum, ita ut si impendantur ad alios usus, omnino a conventu reintegrentur; iniungentes r. p. provinciali pro tempore, ut sedulo incumbat fideli huius ordinationis observantiae, quam inviolabiliter et exacte observari volumus.

9. Erigimus in prioratum vicariatum nostrum s. Rosarii de Paula cum gratiis et iuribus in ordine nostro prioratibus concedi solitis, dummodo duodecim fratres alat.

## Pro provincia Hiberniae.

1. Denuntiamus, in hoc capitulo generali confirmata fuisse conf. 21., quae in capitulo generali Romae celebrato 1650 circa iurisdictionem in et super collegia Lovaniense et Ulisipponense et monasterium monialium

huius civitatis nationis Hiberniae statuta fuere; cui confirmationi uti ordinationi capituli generalis et statuto omnes illius provinciae fratres, cuiuscumque sint gradus, dignitatis et officii, etiam pro tempore prioris provincialis subesse omnino volumus; inhibentes rr. pp. provincialibus sub poena actorum nullitatis et aliis in hocce capitulo latis, ne in regimine horum studiorum aut monasteriis sive pro confirmandis prioribus aut priorissis aut instituendis sive aliis studiorum officialibus sive pro assignandis vel deputandis fratribus se quocumque praetextu ingerant, sed haec collegia et monasterium curae et regimini magistri ordinis pro tempore dumtaxat immediate subsint; et quicumque huic statuto parere recusaverint, ipso facto poenas iam latas incurrant, et eorum acta nulla dicimus.

2. Declaramus, uti alias pro hac provincia declaratum fuerat in capitulo Romae celebrato 1650, et ut etiam pro provinciis desolatis in hoc capitulo declar. 20. dictum est, quod huic provinciae bellorum cladibus detritae et acatholicorum persecutione implicatae nullo modo possint statuta circa numerum fratrum cuiuslibet conventus obesse, quin eorum priores iuribus, privilegiis et suffragiis gaudeant, quibus alii priores conventuum aliarum provinciarum potiuntur.

3. Ordinamus stricte et impraetermisse observari volumus ad perfectam et fraternam inter huius provinciae filios et fratres unionem mutuamque charitatem, quod, quotiescumque aliqui fratres sive in studio generali Ulisipponensi sive Lovaniensi ex eadem provincia Hiberniae a magistro ordinis vel eius commissario deputati fuerint, non discussa inter fratres, cuius provinciae seu partis aut portionis regni Hiberniae sint, cum omni charitate recipiantur, et eorum assignationes, deputationes aut institutiones coram toto conventu publice legantur, ipsisque dentur cellae uti caeteris fratribus assignatis, pensatis fratrum qualitatibus et officiis.

4. Quodsi contingat aliquem priorem aut collegii vel studii superiorem horum fratrum assignationes aut institutiones vel deputationes sive litteras magistri ordinis pro tempore aut recusare aut suspendere, ne legantur, ipso facto a suis officiis absolvantur et ad triennium inhabiles ad similia officia declarentur; indecorum sane et inhonestum est, quod, dum eo in regno ab haereticis vehemens excitata est persecutio, adhuc inter fratres vigeant hae irreligiosae aemulationes et rixae; eas omnino abolere volentes, iniungimus omnibus huiusce provinciae filiis, ut se ad invicem suscipiant et honore praeveniant.

5. Committimus magistro ordinis, quod pro sua in conventum nostrum s. Systi de Urbe provida inspectione sedulo invigilet, ut in eo conventu, quem s. p. n. Dominicus tot orationibus, poenitentiis et miraculis honestavit, exacta observantia iuxta rigorem nostrarum constitu-

tionum inviolabiliter observetur, fratresque ab eo amoveat, qui in ea vivere recusaverint, eademque sollicitudine incumbat, ne superiorum incuria bona temporalia conventus dilapidentur, et ne aedificia in diem eorum negligentia omnino ruant.

6. Committimus eidem magistro ordinis, cum ipsi innotuerint labores fratrum tum in studiis generalibus peractis tum in missionibus exantlatis, fratres ipsos ad gradus pro more illius provinciae sive magisterii sive praesentaturae sive praedicaturae generalis promoveat, quos ex nunc pro tunc approbamus.

7. Committimus r. p. provinciali huiusce provinciae, ut instituat priorem in conventu Tostchiensi cum omnibus iuribus, privilegiis et praeeminentiis, quibus priores ea in provincia gaudent et potiuntur.

**Pro provincia Occitana.**

1. Committimus magistro ordinis ad petitionem provinciae, ut circa eam provinciam disponat, quae ad regularem disciplinam et religiosam observantiam promovendam expedire iudicaverit, sive aliquando eam provinciam visitare contigerit sive citius circa eam quidquam stabiliendum iudicaverit, cum perfectam habeat status illius provinciae notitiam.

2. Ordinamus conformiter ad ea, quae pro toto ordine statuimus, quod novitii professi studiorum causa non mittantur nisi ad conventus, in quibus sunt novitiatus, et in iis sub cura unius magistri, quique intra novitiatum maneat etiam de nocte, detineantur in exercitiis observantiae regularis.

3. Ordinamus, si conventus, in quibus novitiatus sint, sufficientes redditus non habeant, ut novitios in magno numero alere possint, quod in proximo capitulo per rr. pp. diffinitores una cum omnibus pp. magistris provinciae imponatur super omnes conventus provinciae contributio aliqua seu collecta taxanda pro rata uniuscuiusque conventus, quam priores teneantur persolvere ter intra triennium sui prioratus, alias suspensi ab officio ipso facto sint nec ad aliud officium eligi possint.

4. Ordinamus, quod conventus, cuius filii studentes professi novitii sunt, teneantur novitiis studentibus vestiarium persolvere iuxta taxam in hoc proximo capitulo provinciali ab iisdem rr. adm. patribus praenominatis faciendam, sacerdotibus vero studentibus conventus, in quibus studia peragunt, vestiarium dare teneantur sicut et caeteris sacerdotibus.

5. Ordinamus, quod quae in capitulis provincialibus eiusdem provinciae, quaeque a nobis vel praedecessoribus nostris constituta sunt circa vitam communem et perfectam bonorum communitatem inviolabiliter serventur, poenisque ibidem impositis renitentes et inobedientes subiiciantur.

6. Ordinamus, quod in conventu nostro Baionensi perfecta servetur observantia, novitiatusque novitiorum simplicium foveatur et manutenea-

tur; et si qui sint, qui huic exactae observantiae se subiicere noluerint, ab eodem conventu amovemus et amotos declaramus; iniungentes r. adm. p. provinciali pro tempore, ut eos in alios conventus per assignationem transferat.

7. Approbamus ad gradus magisterii, baccalaurei ac praedicaturae generalis promotos tum a rev. p. Monroy, tunc magistro ordinis et nunc archiepiscopo Compostellano, et a moderno magistro ordinis, ac si eorum nomina in his actis expressa essent, eosque omnes suis iuribus, praeeminentiis, privilegiis et immunitatibus potiri et gaudere debere, dicimus et declaramus.

### Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

1. Confirmamus ordinationes omnes factas a rev. p. magistro generali in actuali visitatione huius provinciae easque omnino executioni demandari volumus.

2. Committimus rev. p. magistro generali, ut pro iustitia et conscientia sua cogat conventus congregationis b. Iacobi Salomonii ad solvendas solitas contributiones pro celebratione capituli provincialis, etiam quando illorum priores ad illud non accedunt, sicut praxis est de caeteris dictae provinciae conventibus, quorum priores, si non accedunt, contributiones mittunt.

3. Ordinamus, ut qui a provincia Dalmatiae ad provinciam Venetiarum accedunt, uti fugitivi habeantur, nisi expressam a superioribus fidem habeant de gerendis ibidem negotiis, certo tempore constituto.

### Pro provincia Naxiovanensi in Armenia.

1. Provinciam maioris Armeniae, etsi in remotissimis regionibus sitam, fovere cupientes, quae alias pro ipsius bono regimine statuta fuere, innovanda duximus, ut damna, quae iam pertulit haec provincia reparentur, maioraque in dies recipiat incrementa.

2. Denuntiamus, quod benedicente Deo, uti diu optatum fuerat multis in capitulis generalibus, in civitate de Spaham fratres illius provinciae quandam ad modum hospitii inhabitant domum; quare mandamus moderno rev. p. provinciali ac eius pro tempore successoribus, ut omni sollicitudine satagant, quod haec domus ad usum hospitii manuteneatur, in eaque ad minus duo ex fratribus nostris sacerdotes deputentur sub vicario illius domus, qui illi praeerit ut superior cum ea auctoritate, qua vicarii in capite pollent in ordine nostro; adhortantes rr. pp. provinciales pro tempore, ut, quantum in ipsis erit, hanc domum ita promoveant, ut aliquando in conventum et prioratum huius provinciae erigi et institui possit.

3. Ordinamus, ut haec provincia operarios habeat, quibus maxime eget, qui iis in regionibus, in quibus messis multa, religiose inserviant, quod exacte serventur, quae in capitulo generali Romae 1644 celebrato

constituta sunt, videlicet quod iuvenes, antequam habitu ordinis nostri induantur, prius in lingua latina in conventu de Chiauk instruantur et moribus probentur; instructi et probati in conventu de Abianerq ad habitum religionis admittantur, annoque probationis in praefato conventu de Abianerq completo et solemni professione emissa, cum ad studia philosophiae idonei fuerint, ad Urbem mittantur; quibus magister ordinis in provinciis Italiae aut in aliis ad studia peragenda de conventu per assignationem providebit; iniungentes rr. pp. provincialibus omnium provinciarum ordinis et vicariis congregationum ac conventuum superioribus, ad quos mittentur, ut eos in spiritu charitatis fraternae suscipiant et ipsis vestiarium sicut caeteris religiosis assignatis subministrent.

4. Confirmamus, quae in capitulo praefato generali § 4. ordinata sunt, nempe quod fratres huius provinciae peractis suis studiis ad propriam redeant provinciam nec in alienis provinciis assignari vel affiliari possint, eorumque affiliationes factas, vel si aliquando fieri contingerent, irritas dicimus et declaramus.

### Pro provincia s. Petri Martyris.

1. Concedimus ad petitionem provinciae, quod priores conventuum s. Dominici de Albinga, s. Mariae Eremitarum de Voragine, s. Matthaei Derthonae, s. Petri Martyris Modoetiae, s. Mariae Magdalenae de Clarasco, s. Dominici de Bonifatio, si de facto iis in conventibus sex aut septem alantur habitualiter fratres, voce activa in capitulis provincialibus uti caeteri priores provinciae potiantur et gaudeant, et iuxta declarationem capitulorum generalium et ad formam constitutionum nostrarum iis in conventibus socii priorum ad capitulum provinciale eligi possint; sic enim iisdem conventibus tutius in capitulis provincialibus ad observantiam, ad fratrum assignationes, ad divinum cultum providebitur; quod sane vix fieri potest ob priorum aut sociorum absentiam; quique socii, uti saepius sancitum est, statum conventus tam in temporalibus quam spiritualibus ad capitulum provinciale deferent et patribus diffinitoribus exponent, et in actis capitularibus eorum statu declarabitur.

2. Cum pro bono regimine huius provinciae multa fuere a fel. rec. Urbano VIII. constituta potissime praesentationem ad gradus studii seu magistri provinciae et circa institutionem et acceptationem praedicatorum generalium, ut ea exacte et inviolabiliter serventur, stricte demandamus; nullusque praedicator generalis acceptetur, qui secundum nostras constitutiones et capitulorum generalium ordinationes requisita non habuerit et, quantum fieri poterit, saltem in capitulis provincialibus cum decore et fama ordinis publice praedicaverit.

3. Ordinamus, quod nullus in hac provincia in magistrum studii postulari aut institui possit, nisi qui per quadriennium cum effectu et

integre theologiam religiosis nostris perlegerit et fidem subscriptam a patribus a consiliis se per quadriennium sedulo perlegisse habuerit, quique vota sua collegialiter congregati pro more ordinis ferre teneantur, alias eorum fides et attestatio nullius sit momenti aut roboris.

4. Ordinamus, ut, si qui in magistrum studentium aut baccalaurei aut regentis instituti fuerint et munus obire recusaverint aut debito tempore ad studium generale accedere renuerint, ad id munus iterum assumi non poterunt, sed exclusi censeantur et de facto sint, et alii, etiam professione vel lecturis inferiores ipsis praeferantur.

5. Ordinamus, quae a s. m. Urbano VIII. constituta sunt pro professoribus universitatis Taurinensis et cathedraticis ordinis nostri, stricte et adamussim serventur, nec ad gradus in ordine nostro promoveri possint, nisi fidem ab eiusdem universitatis reformatoribus subscriptam deferant, qua se exacte et cum effectu omnia peregisse testentur, et insuper fidem a patribus a consiliis conventus Taurinensis per vota secreta datam habeant, qua etiam significent ea omnia, quae statuta sunt, sedulo explevisse.

6. Ordinamus ad petitionem patrum provinciae, ne translationes fratrum de uno conventu in alium imposterum fiant per emendicata vota fratrum absentium e conventu, ad quem transferuntur fratres, sed dumtaxat requiratur consensus fratrum actu existentium in conventu, ad quem affiliantur; et si quae de caetero fiant eiusmodi affiliationes cum votis et consensu absentium, eas pro hac provincia nullas dicimus et declaramus.

7. Ordinamus ad petitionem provinciae, quod priores in conventibus, in quibus sunt studia, non eligantur, qui cum effectu non legerint, ut si in aliquo conventu viget habitualiter studium philosophiae, prior electus cursum philosophiae saltem integre perlegerit, si studium theologiae vigeat, pariter theologiam saltem per triennium laudabiliter docuerit; in conventu vero s. Eustorgii, in quo est studium generale provinciae, nullus eligatur in priorem, nisi sit magister provinciae vel regentatum vel baccalaureatum aut saltem per quadriennium in praecipuis conventibus provinciae officium primarii theologiae lectoris expleverit.

8. Ordinamus, quando cellae ad usum dantur fratribus nostris, quod in earum distributione praeferantur magistri provinciae et baccalaurei, de caetero seniores praeferantur iunioribus, maxime si seniores sunt probatae vitae et integerrimae famae; admonentes omnes et singulos, non ita ad usum fuisse cellas concessas, ut eas possint alteri cedere, cum semper ad nutum superiorum et ex vi obedientiae, quam omnes professi sunt, ab iis amoveri possint.

9. Ordinamus, quod ea, quae a magistris ordinis constituta sunt et statuta circa studentes formales studii generalis s. Eustorgii, ut officio

hebdomadarii fungantur, omnino et inviolabiliter serventur, nec in his nisi per magistrum ordinis aut capitulum generale quidquam innovari aut immutari possit.

10. Quoad petitionem eorum, qui munus regentis et baccalaurei in studio generali s. Eustorgii expleverunt, qua laurea magistrali decorari postulant, salvis iuribus provinciae, eorum petitionem remittimus ad proximum capitulum provinciale, ita ut nihil immutetur in iis, quae per fel. rec. Urbanum VIII. pro hac provincia constituta sunt.

11. Quod vero attinet ad petitionem moderatorum studii generalis s. Eustorgii, qua postulant declarari examina ad confessiones audiendas fieri in schola publica per moderatores et non patres a consiliis, nihil innovari dicimus in iis, quae per capitula generalia toties constituta et declarata sunt.

**Pro provincia Aprutina seu s. Catharinae Senensis.**

1. Confirmamus ordinationes a rev. magistro ordinis factas pro bono regimine huius provinciae easque approbamus, ac si earum tenor in his actis capitularibus insertus esset, earumque exactam observantiam inculcamus et demandamus.

2. Ordinamus conformiter ad ea, quae in constitutionibus nostris constituta sunt, ne ullus in priorem eligatur, nisi verbum Dei sciat laudabiliter proponere, quique bonis moribus probatus et observantiae regularis tenax; iniungentes provincialibus, ut, si quis eligatur his dotibus non ornatus, nullo modo in priorem confirmetur.

3. Instituimus in studium formale conventum s. Severi in civitate Neapolitana cum omnibus privilegiis et iuribus, quibus studia in ordine nostro potiuntur, in eoque impraetermisse serventur statuta, quae alias constituta fuere pro conventu s. Mariae ab Arcu, quando in eo erat studium formale; committimus tamen rev. magistro ordinis, ut, si in domino expedire iudicaverit, possit illud studium formale alio seu in alio conventu, maxime in conventu s. Mariae ab Arcu transferre, imo et ipsum supprimere, maxime si ad provectum studiorum non conducere agnoverit, moderatoresque institutos, si a statutis aut observantia regulari recesserint, ab officiis amovere et alios substituere; ad bonum quippe studiorum et studentium utilitatem hoc studium formale institutum esse volumus.

4. Ordinamus, ut quicumque ex studentibus ante expletum tempus sive praefinitum studentatus terminum studiis cedunt, ad confessiones audiendas nullo modo admitti possint.

5. Committimus r. p. provinciali, ut pro sua prudentia in omnibus conventibus provinciae ad fovendam augendamque fidelium pietatem novenas nativitatis domini nostri instituat, easque fratres celebrent, qua

maiori poterunt devotione et solemnitate, uti in multis ordinis nostri conventibus, benedicente Deo, consuetum est.

**Pro provincia Russiae.**

1. Concedimus, ut haec provincia iisdem fruatur iuribus, quibus caeterae provinciae fruuntur in erectione conventuum, ob frequenter barbarorum irruptiones; quare locum Buchoviensem a magnifico d. Pucgalski, notario magni ducatus Lituaniae, oblatum acceptamus et provinciae incorporatum et unitum esse declaramus.

2. Concedimus conventui ss. Rosarii Montis, ut locum habeat, quem alias obtinebat, dum primo est institutus.

3. Concedimus eidem provinciae, ut supplicari possit coram s. rituum congregatione, quatenus huic provinciae liceat celebrare festa s. Dominici, s. Thomae, s. Catharinae, s. Rosae et omnium sanctorum ordinis nostri die dominica ob frequentiam fidelium augendam.

4. Concedimus p. fr. Octaviano Sanievicx dispensationem a poenis, quas propter apostasiam incurrit.

5. Concedimus rr. pp. Dominico Bajerski et Hyacintho Graskerski affiliationem pro provincia Russiae.

6. Ordinamus, ut nullum officium iis committi possit, qui nulla dederunt emendationis argumenta post damnationem ad carceres.

7. Declaramus, p. fr. Antoninum Infezuski, qui habitum ordinis in conventu s. Mariae Magdalenae suscepit ibidemque professionem emisit, eiusdem conventus filium esse.

8. Concedimus huic provinciae duo magisteria et duas praesentaturas supra numerum antea constitutum.

**Pro provincia Parisiensi.**

1. Ordinamus, ne contingat novitios professos suis in conventibus otio marcescere in provinciae et religionis detrimentum, quod praeter studium generale s. Iacobi Parisiensis studia philosophiae et theologiae instituantur in conventu Lugdunensi et Caenomanensi; ad quae studia mittantur omnes novitii professi aut iuvenes sacerdotes, ut studia sua in iis peragant, si in studio generali s. Iacobi Parisiensis admitti non possint. Mandantes r. adm. p. provinciali moderno, ut post notitiam actorum in iis conventibus lectores philosophiae et theologiae instituat, qui post proximum festum exaltationis s. Crucis scholastica exercitia incipiant, quique lectiones et actus scholasticos, uti constitutum est, inviolabiliter facere teneantur.

2. Ordinamus, quod novitii professi, qui in his conventibus assignati erunt, in novitiatu clauso sub cura magistri novitiorum, qui tamen actu eorum lector non sit, maneant et vivant in exacta observantia et in exercitiis, ad quae novitii professi, etiam studentes, secundum constitutiones

nostras et capitulorum generalium ordinationes tenentur, nec in his a quocumque dispensari possit.

3. Ordinamus, ut in posterum in nominationibus, quae fieri solent in collegio nostro s. Iacobi Parisiensis ad gradus suscipiendos in universitate Parisiensi ultra solitum graduandorum numerum seu praeter eos, qui de iure ea in universitate graduandi sunt vel qui ad replenda loca, si vacare contigerit, in subsidium nominari solent, nullus nominetur aut praesentetur; declarantes, omnem aliam nominationem et praesentationem nullam esse nulliusque roboris aut firmitatis.

4. Ordinamus ad submovenda omnia dissentionum fomenta, quod in collegio nostro Parisiensi s. Iacobi nominationes omnes seu praesentationes sive ad gradus sive ad lecturam artium semper per vota secreta fiant; ea quippe est securior via, ut moderatores studii generalis maiori libertate potiantur ad suffragium ferendum, tuncque communis boni religionis intuitu huiusmodi nominationes et praesentationes fient.

### Pro provincia Lithuaniae.

1. Ordinamus, ut in posterum provincia ordinarie non celebret capitula intermedia.

2. Ut sorores tertiariae non recipiantur nisi a priore et praemisso examine honestae conditionis, pietatis morum et competentis aetatis.

3. Concedimus huic provinciae duodecim praesentaturas.

### Pro provincia s. Mariae de Candelaria insularum Canariarum.

1. Confirmamus ordinationes a rev. magistro ordinis pro huius provinciae recto regimine factas sub die 18. decembris anni proxime praeteriti 1693, et eas secundum illorum tenorem approbamus.

2. Ad evitandam confusionem, quae in hac provincia orta est occasione numeri graduum tam magisterii quam praesentaturae tam titulo lectionis quam praedicationis eidem provinciae alias designati, declaramus, quod magistri titulo lectionis sunt sex, titulo praedicationis duo; similiter praesentati titulo lectionis sunt sex, titulo praedicationis quatuor; quare omnem aliam declarationem, alterationem seu mutationem quomodocumque factam abolemus et revocamus.

3. Cum pluries ordinatum fuerit, quod nullus simul sit praesentatus et praedicator generalis, volumus, quod, qui modo tales existunt, officio praedicaturae generalis sint privati, sicut eos de facto privamus, mandantes, ut praesentaturae gradu contenti sint.

### Pro provincia s. Ludovici regis.

1. Confirmamus omnes primaevae eius observantiae consuetudines iam pluries a rev. magistris generalibus et a capitulis generalibus probatas sub titulo congregationis s. Ludovici regis, quaeque etiam a tem-

pore erectionis in provinciam in ea viguerunt, immo vigent; hortamurque tum singulos fratres tum maxime superiores, ut ad eas accuratissime servandas curam omnem adhibeant, nec in iis a quocumque provinciali aut conventus praesidente dispensari possit.

2. Ordinamus, cum hac in provincia sit perfecta bonorum communitas, ut omnes pensiones, etiam personales aut quavis ratione ad aliquem fratrem spectantes, omnino ad communitatem pertineant, easque conventui unimus et incorporamus.

3. Ordinamus, quod, uti moris est in provincia Tholosana, a qua avulsa est provincia s. Ludovici, pp. provinciales, qui expleverunt provincialatus tempus, in comitiis provincialibus locum et vocem habere debeant, secundum quod in constitutionibus nostris constitutum est, et eo sensu quae in capitulo generali Romae 1670 pro hac provincia paragrapho 2. in gratiam exprovincialium quoad locum ubique tenendum restringimus et intelligendum esse declaramus.

**Pro provincia s. Rosae.**

1. Confirmamus iterum provinciam nostram s. Rosae eamque admittimus cum omnibus suis iuribus et privilegiis, quae aliis provinciis concedi solent, in eaque, cum non multos adhuc conventus habeat, prohibemus ultra quatuor esse magistros et totidem licentiatos et baccalaureos.

2. Mandamus, ut perfecta communitas iam in huius provinciae conventibus instituta illaesa perpetuo servetur; et si qui conventus sint, in quibus nondum perfecta est, ea quam primum constituatur. Quare prohibemus usum ullum depositorum, et si alicui forsitan aliquando permittatur, volumus, ut exactissime conditiones a capitulo generali Romae celebrato observentur, nec ullae pensiones unquam nisi per procuratorem et syndicum conventus recipiantur, nec liceat ea in re superioribus cum aliquo dispensare.

3. Confirmamus ordinationem iam saepius in huius provinciae capitulis provincialibus factam, qua in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon sub praecepto formali omnibus inhibetur, ne in civitatibus aut locis, ubi conventus habentur, nec intra mediam leucam a portis civitatum vel comedere vel bibere cuiquam liceat, et ne duo vel plures simul idem in dormitorio cubiculum, etiam vacans, ingrediantur; quam ordinationem perpetuo servari volumus; prohibentes huius provinciae superioribus omnibus, ut ea in re cum aliquo umquam dispensent.

4. Cum saepius dissidia orta sint inter priorem s. Thomae Aquinatis et magistros in theologia conventus s. Crucis Duaceni quantum ad praecedentiam, iamque a reverendissimo ordinatum fuerit, ut iuxta antiquum morem in processionibus et solemnitatibus publicis et cum uter-

que conventus sub una cruce procedit, prior collegii s. Thomae Aquinatis iungatur r. p. priori s. Crucis et uterque processionem claudat, subindeque prior collegii magistros, si qui fuerint, loco et gradu antecedat, eamdem ordinationem confirmamus, et ne dissidiis causa aliqua esse possit, declaramus, quod, quoties utraque communitas iungitur in quacumque solemnitate publica sive in processionibus sive extra, uterque prior locum ultimum tenere debeat atque adeo magistros, si qui sint, loco et gradu antecedere, salvis tamen semper in caeteris omnibus magistrorum iuribus.

**Pro congregatione Ragusina.**

Cum haec congregatio in exacta fuerit instituta observantia in eaque diu viguerit, peroptantes eam in primaevo et virili statu restituere, iniungimus moderno p. vicario generali eiusque pro tempore successoribus, ut omni solicitudine satagat, quod ea in congregatione observantia regularis, uti primitus instituta fuerat, foveatur et manuteneatur; quod si in aliquo ex conventibus congregationis vel temporum clade vel humanae fragilitatis conditione collapsa sit, eam omnino restaurare et fratres in ea, quam professi sunt, observantia secundum constitutiones vivere compellat.

**Pro congregatione s. Mariae Sanitatis.**

1. Iniungimus p. vicario generali huius congregationis et stricte praecipimus, ut quamprimum ad omnes congregationis conventus transmittat, ut in eis notificentur et omnino serventur, ordinationes pro recto eiusdem congregationis regimine factas a r. adm. p. mag. olim visitatore fr. Gregorio Areylza sub die 25. octobris 1652, quas ordinationes approbavit rev. magister ordinis fr. Ioannes Baptista de Marinis et capitulum generale Romae celebratum anno 1656, easque, in quantum opus sit, confirmamus et innovamus.

2. Ordinamus, quod in conventu s. Mariae Sanitatis non eligantur in priores nisi magistri congregationis, vel qui officio regentis seu baccalaureatus ordinarii vel ad minus magisterii studentium perfuncti fuerint; si vero expediens videatur alium eligere, qui licet praefata munera non obierit, sit nihilominus eximius observantiae regularis cultor, consulatur magister ordinis pro tempore.

**Pro congregatione Sardiniae.**

1. Ordinamus, ut toto quadriennio vicarius generalis visitare non possit nisi bis conventus dictae congregationis, nec possit quolibet alio titulo seu praetextu percipere nisi contributionem taxatam pro suo vestiario a rev. p. generali b. m. Ioanne Baptista de Marinis.

2. Ut nullus prior dictae congregationis possit pro suo libito applicare missas, quae supererunt ultra obligationes suorum conventuum, sed

quod vicarius generalis pro tempore in actuali visitatione possit eas applicare pro oneribus conventuum, qui non possunt satisfacere seu pro conventibus minus commodis, ita tamen ut coram patribus a consiliis conventuum nominatim designetur, pro quo huiusmodi missae applicantur.

3. Ut nullus graduatus in priorem electus, nisi actu legat, possit prioratum recusare sub poena privationis loci et vocis activae ad triennium.

4. Ordinamus, ut in collegio ss. Trinitatis inviolabiliter observentur statuta collegii Oriolensis provinciae Aragoniae, tam circa quae pertinent ad studium quam quae spectant ad regularem observantiam, et statuimus, quod in dicto collegio ss. Trinitatis non amplius vestiantur novitii, donec ita filiorum numerus contrahatur, ut non amplius sint quam tres aut quatuor.

5. Ordinamus, quod in conventu s. Dominici intra muros civitatis de Saser sit saltem unus lector artium et theologiae, qui ad minus saecularibus legant philosophiam et theologiam.

6. Erigimus conventum s. Martini de Oristan in domum studii, ita tamen ut tam lectores illius quam lectores s. Dominici de Saser non legant pro gradu et forma, sed habilitentur dumtaxat ad legendum pro forma et gradu in studiis generalibus, taliter quod nullus possit legere philosophiam in studiis generalibus, nisi prius illam legerit in uno illorum conventuum, nec sit habilis ad officium magistri studentium, nisi per tres annos ad minus in aliquo ex dictis conventibus theologiam perlegerit.

7. Ordinamus, ut quolibet anno cursus artium et theologiae tam lectorum quam studentium in libro studii notentur, illisque sub finem cuiuslibet anni testimonium dictae lectionis tribuatur, sine quo non promoveantur ad gradus.

8. Ordinamus, ut moniales s. Catharinae Senensis civitatis Calaris post emissam professionem maneant per quatuor annos sub cura magistrae novitiarum.

9. Committimus vicario congregationis, ut auditis partibus iudicet auctoritate capituli generalis, an permitti debeat conventui s. Dominici intra muros de Oristan erigere crucem independenter a conventu s. Martini in mortuorum exequiis.

## Pro congregatione Britanniae s. Vincentii Ferrerii.

1. Ordinamus in primis ea omnia, quae pro ea congregatione ad perfectam integramque observantiam in ea munienda a capitulis generalibus et a magistris ordinis iam constituta sunt; praeterea abusum iam introductum, ut, qui per annos novem theologiam docuerant, ad electionem vicarii vocem haberent, omnino abolemus; ordinamus vero, ut alia-

rum congregationum more in capitulis eiusdem congregationis quatuor diffinitores fiant, a quibus una cum vicario ea, quae ad bonum congregationis pertinent, decernentur.

2. Ordinamus, ut nullus philosophiae aut theologiae cursus erigatur, et nullus lector eligatur inconsulto congregationis vicario, ut est eiusdem congregationis.

3. Cum vero iam ab initio institutae congregationis gradibus omnibus renuntiatio facta fuerit ob maiorem observantiam fovendam et muniendam, confirmamus laudabilem eam consuetudinem eamque tamquam alteram ex praecipuis congregationis legibus et praecipuis observantiae fundamentis perpetuo servari volumus; prohibentes, ne cui unquam aut vicario aut diffinitoribus capituli congregationis liceat gradus ullos aut baccalaureatus vel magisterii facultatem suscipiendi concedere; quae si alicui concederetur, eam ut nullam et invalidam et contra congregationis leges concessam declaramus.

## Pro congregatione s. Marci de Cavotis provinciae Regni.

1. Confirmamus ac inviolabiliter observari volumus ordinationes olim factas a rev. magistro ordinis fr. Thoma Turco sub die 9. iulii a. d. 1644, quae successive approbatae fuere per capitula generalia ac per rev. magistros ordinis, et iniungimus p. vicario huius congregationis pro tempore, ut earumdem ordinationum transumptum ad omnes congregationis conventus transmittat et illarum observantiae omnino invigilet.

2. Innovantes confirmamus ordinationem factam in capitulo generali Romae celebrato a. d. 1656, quae iterum confirmata fuit Romae in capitulo generali 1670, tenoris prout sequitur: « Ordinamus, quod filii huius congregationis non possint assignari extra illam ad alios conventus, et si quae tales assignationes iam factae sint, eas annullamus; neque priores aliter quam causa hospitalitatis ad triduum hos fratres in suis conventibus recipiant moxque ad suam congregationem remittant ».

3. Committimus r. p. vicario huius congregationis eique stricte iniungimus, ut iuxta praescriptum ordinationum praenominati rev. magistri ordinis fr. Thomae Turco simul conveniat in aliquo conventu cum gravioribus patribus congregationis, cum quibus tractet, quae ad promotionem et augmentum observantiae regularis fuerint necessaria, eaque rev. magistro ordinis proponat, ut eadem reprobet vel approbet, prout aequitas et iustitiae ratio postulaverit.

## Pro congregatione b. Iacobi Salomonii Venetiarum.

1. Confirmamus ordinationes factas a rev. magistro ordinis moderno in huius congregationis visitatione easque omnino executioni demandari volumus.

2. Concedimus ad petitionem patrum congregationis, ut ad dietam, quae iuxta praescriptum praedictarum ordinationum congregari debet pro regularis disciplinae conservatione et incremento, conveniant cum vicario generali pro tempore omnium conventuum priores illi, qui fuerunt huius congregationis vicarii, praedicatores generales et qui officio seu munere regentis et baccalaureatus ordinarii in collegio nostro sanctissimi Rosarii perfuncti fuerint, et non alii.

3. Huic nostrae congregationi aggregamus domum nostram s. Antonii Naupliae, servatis de iure servandis, et committimus r. p. vicario congregationis pro tempore, ut praefatae domus vicarium instituat, cui legitime instituto damus facultatem et auctoritatem super omnes fratres, cuiuscumque gradus seu qualitatis sint et quicumque titulo ad eas partes appulerint.

## Pro congregatione ss. Sacramenti.

In primis admittimus, approbamus et confirmamus congregationem ss. Sacramenti iam dudum erectam ab anno scilicet 1635 iussu rev. p. Nicolai Rodulphii in comitatu Venesino, eamque ad perfectam integramque nostrarum constitutionum observantiam et ad missiones peragendas institutam cum omnibus suis usibus et praxibus et abdicatione omnium graduum, electionum vel affiliationum nomine alicuius in singulari conventus confirmamus et approbamus, confirmantes etiam et ratas habentes gratias omnes eidem congregationi concessas et ordinationes pro ea factas, potissimum vero ordinationes a praedecessore nostro rev. p. Antonio de Monroy, nunc archiepiscopo Compostellano, factas die sexta aprilis 1681.

1. Ordinamus vero pro maiori huius congregationis incremento, et ut maiorem cum aliis conformitatem habeat, in primis ut novitiatus quamprimum in aliquo conventu, qui aptior visus fuerit, aedificetur, ubi novitii nedum suae probationis anno, sed et professi ac studentes omnes, ut nostrae constitutiones et summorum pontificum decreta decernunt et iubent, seorsum ab aliis sub cura magistri instituantur et, quae ad religionem pertinent, edoceantur et cantum etiam discere teneantur.

2. Ordinamus, ut, quantum fieri poterit, et pro more totius ordinis in divinis officiis cantus adhibeatur; cum tamen ea congregatio tota sit in missionibus peragendis et interdum parvus sit numerus fratrum, volumus, ut saltem quotidie cantetur completorium et diebus festivis missa et vesperae, ita tamen opportuno tempore, ut etiam his solemnibus festis ab audiendis confessionibus abstinendum non sit, neque praedicatio verbi divini praetermittatur, cum in his locis conventus congregationis aedificati sint, ubi populus diebus festis ac solemnibus maxime indiget, ut ea charitatis officia ipsi impendantur.

3. Superiores non multis a suis conventibus absint, nec prior nec supprior eodem tempore ad missiones peragendas conventum relinquant, nisi forsitan aliquando pro missionibus gravioris momenti ita expedire r. adm. p. vicario visum fuerit, dummodo tamen eo casu probatae vitae, maturae aetatis et singulari prudentia vicarius praeditus iudicio eiusdem r. adm. p. vicarii ad regendum conventum relinquatur.

4. Cum vero necesse sit proclivem semper ad malum naturam novis subsidiis adiuvari et roborari, quarto quoque anno desinente officio vicarii generalis comitia fiant, quibus adsint priores conventuum cum totidem sociis et his, qui vicarii generalis ea in congregatione munere functi sunt; quibus in comitiis emendentur, quae emendanda fuerint, collapsa erigantur, laxitates omnes, si quae inductae essent, amoveantur et cura omnis adhibeatur, ne servata hactenus observantia vel minimum relaxetur aut minuatur; in his etiam comitiis a vicario aliisque tres semper nominabuntur, qui aptiores existimati fuerint, ut unum ex his reverendissimus vicarius generalis congregationis instituat; atque etiam in his comitiis r. p. vicarius coram omnibus de expensis a se factis tempore sui regiminis rationem reddet; ea tamen comitia ultra tres dies prorogari prohibemus.

5. Ordinamus, vicarii generalis eiusdem congregationis institutionem penes magistrum generalem pro tempore ipsique reservatam; permittimus tamen, ut a prioribus cum totidem sociis a communitate electis et exvicariis generalibus duo vel tres, quos in conscientia aptiores existimaverint, reverendissimo praesententur, ut, si ex iis aliquem magis idoneum existimarit, vicarium instituat et congregationi praeficiat; priores vero conventuum vicarius generalis nunquam instituat nisi de consilio ad minus sex ex senioribus patribus a se electis, quorum unus litteris patentibus ab eo datis subscribat; caeteri in tabulis congregationis subscriptis nominibus institutionis fidem facient.

6. Cum facilitas veniae incentivum tribuat delinquendi, ordinamus, ut ex praescripto nostrarum legum, qui deliquerint, puniantur; mandamusque, ut quamprimum in uno aut altero ex congregationis conventibus, qui commodior visus fuerit, carceres aedificentur et disponantur, quibus tuto detineri possint, qui eam poenam meruerint.

7. Hortamur omnes, ut ad promovendam magis ac magis societatem ss. Rosarii curam omnem superadhibeant, neque ea pia consuetudo dicendi partem Rosarii et concionem habendi omnibus diebus festivis unquam praetermittatur; prohibemus tamen, ne huius sodalitatis praetextu mulieres, cuiuscumque conditionis aut aetatis sint, priorissae fiant vel ad altare ornandum vel aliud in ecclesia agendum admittantur, nec etiam ut sorores tertii ordinis in communi et seorsim ab aliis Rosarii

processioni intersint, permittimus; numquam saeculares, nec etiam fratres aut sorores tertii ordinis, in ecclesiis eiusdem congregationis sepeliantur, ne occasio sit, aut laedendae paupertatis in ea congregatione aut missionum labor impediatur.

8. Prohibemus etiam, ne aliquis prior quidquam de consueto domus statu et iam stabilito iuxta praxim congregationis approbatam immutare unquam audeat, inconsulto r. a. p. vicario gen. congregationis ipsoque annuente; sicut etiam vetitum esse volumus, ne eiusdem congregationis vicarius aut solus aut cum aliis congregationis patribus suis in comitiis congregatis aliquid relaxare possit de statu praesenti congregationis in hoc capitulo gen. approbato, nisi prius consulto et annuente rev. p. generali pro tempore existente, sub cuius immediata cura congregatio est instituta.

9. Cum unusquisque ea vocatione, qua vocatus est, ambulare debeat, et aliqui, ut experientia compertum est, animo solum discurrendi ac sine ulla legitima causa ex congregatione egredi presumant, postmodum amisso pietatis et observantiae spiritu reversuri in grave ipsius congregationis detrimentum, renovamus prohibitionem a rev. p. m. generali de Monroy litteris datis die 6. aprilis 1681 factam, et prohibemus omnibus et singulis ad eam congregationem pertinentibus sub poenis in nostris constitutionibus expressis contra fugitivos, ne sine expressa licentia a rev. p. m. generali obtenta ab ea congregatione exeant, ut in alias congregationes aut provincias se conferant; quod si non obtenta ea licentia ab ea congregatione exire praesumpserint et ab aliquo conventu recepti fuerint, nisi intra tres menses redierint, intelligantur a iure suae filiationis pro eadem congregatione excidisse et ad eas provincias eosque conventus ipso facto pertinere, a quibus recepti fuerint, neque ad hoc ullam aliam declarationem debere accedere, declaramus praeter eam, quae in hoc capitulo generali fit.

10. Hortamur huius congregationis superiores omnes, ut in moribus, indole, ingenio eorum, qui admittendi sunt, examinandis maiorem curam adhibeant tum ut studia, quae in ea congregatione iam sunt instituta, magis ac magis vigeant et cum observantia coniungantur, tum ut non ita facile ex ea congregatione exeant et aufugiant, seque non satis probatos fuisse causari possint.

## Suffragia pro vivis.

Pro ss. d. n. Innocentio papa XII. et felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro augustissimo imperatore Leopoldo I., augustissima coniuge serenissimisque prolibus q. s. u. m.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XIV., sereniss. delphino et coniuge cum serenissimis prolibus q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Carolo II. et seren. coniuge q. s. u. m.

Pro eminentissimo et rev. d. card. protectore ordinis nostri q. s. u. m.

Pro eminentissimis et rev. dd. cardinalibus ex ordine nostro assumptis q. s. u. m.

Pro universo sacro collegio eminentissimorum et rev. dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro ill. et rev. dd. archiepiscopis Valentino et Compostellano, alias ordinis nostri generalibus vigilantissimis, q. s. u. m.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque rev. capite totius ord. nostri magistro generali et sociis assistentibus et collaborantibus q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, fratribus clericis litaniae omnium sanctorum, conversis una decas orationum dominicalium cum totidem salutationibus angelicis iniunguntur.

**Suffragia pro defunctis.**

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore ultimi capituli generalis in domino obierunt, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis tertia pars psalterii rosariani imponuntur.

Damus rev. p. magistro generali totam nostram auctoritatem circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent, eis addere, demere et immutare ac denique omnia facere, quae nos ipsi et capitulum facere posset.

Denique universis et singulis provinciarum et congregationum seu vicariatuum praesidentibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus, ut haec acta, quamprimum ad manus pervenerint, iubeant publicari, eorumque observantiam urgeant; volentes, quod exemplaribus sigillo rev. magistri ordinis munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Antoninus Cloche
magister ordinis.

Cum nobis infrascriptis in capitulo generali anni currentis Bononiae celebrato commissum fuerit, ut haec acta capituli generalis Romani 1694 coram diffinitoribus huius capituli generalis lecta et approbata omni solicitudine et nulla facta mutatione typis ederentur, fidem facimus, serio invigilasse horum impressioni, quae facta quidem est absque ulla mutatione aut innovatione. In quorum etc. datis Bononiae die 27. maii 1706.

Fr. Io. Andreas Cavvinus mag. et ut supra deputatus m. p. etc.

Fr. Vincentius Ludovicus Gotti mag. deputatus manu propria.

Fr. Petrus Ioannes Barbat s. theol. doctor deputatus m. p. subscripsi.

Vidit d. Franciscus Aloysius Barelli cler. reg. cong. s. Pauli et in ecclesia metropolitana Bonon. poenitentiarius pro eminentissimo et reverendissimo d. d. cardinali Iacobo Boncompagno archiepiscopo et principe.

Perlegi pro s. Officio praescripta acta capituli generalis et omnia catholicae fidei sacris dogmatibus, optimis moribus et regimini consona. In quorum etc.

Ego fr. Io. Andreas Cavvinus sac. theol. mag. ord. praed.

Imprimatur.

F. A. Leonius Inq. Bononiae.

## ACTA CAPITULI GENERALIS BONONIAE CELEBRATI IN CONVENTU S. P. DOMINICI ORDINIS PRAEDICATORUM IN FESTO SS. PENTECOSTES DIE XXIII. MAII MDCCVI.

Sub reverendissimo patre fr. Antonino Cloche, sacrae theologiae professore eiusdemque ordinis magistro generali.

Diffinientibus:

r. adm. p. sac. theol. profes. fr. Bernardo Rabaudi dif. prov. Tolosanae,
r. adm. p. mag. fr. Romano Martin dif. prov. Franciae,
r. adm. p. mag. fr. Carolo Hyacintho Lascaris dif. prov. utriusque Lombardiae,
r. adm. p. mag. fr. Dominico Servitiati dif. prov. Romanae,
r. adm. p. mag. fr. Dominico Maria Celentano dif. prov. Regni,
r. adm. p. mag. fr. Pio Pussal dif. prov. Ungariae,
r. adm. p. mag. fr. Vincentio Adalberto Dorffler dif. prov. Bohemiae,
r. adm. p. mag. fr. Petro Martelli dif. prov. Provinciae,
r. adm. p. mag. fr. Dominico Scuttari dif. prov. Dalmatiae,
r. adm. p. mag. fr. Vincentio Maria Oliveri dif. prov. Trinacriae,
r. adm. p. mag. fr. Hyacintho de Baeths (1) dif. prov. Germaniae inferioris,
r. adm. p. mag. fr. Francisco Antonio Carbonelli dif. prov. Apuliae,
r. adm. p. mag. fr. Vincentio Ferrari dif. prov. Calabriae,
r. adm. p. mag. fr. Patritio Plunkett dif. prov. Hyberniae,
r. adm. p. praesentato fr. Ioanne de Espinosa dif. prov. Mexicanae,

(1) De fr. Hyacintho de Baeths (Bats) cf. SSOP. II, 803 et supra pag. 313.

r. adm. p. mag. fr. Petro Laborde dif. prov. Occitanae,
r. adm. p. mag. fr. Ioanne Francisco Gallo dif. prov. Venetiarum,
r. adm. p. mag. fr. Ludovico Pio Magontia dif. prov. s. Petri Martyris,
r. adm. p. praed. gen. fr. Michaele ab Antonellis dif. prov. Aprutinae,
r. adm. p. sac. theol. fr. Carolo Guihart dif. prov. Parisiensis,
r. adm. p. mag. fr. Ferdinando de Espinosa dif. prov. Angelopolitanae,
r. adm. p. s. th. prof. fr. Iacobo Hyacintho Fejacq (1) dif. prov. s. Ludovici,
r. adm. p. mag. fr. Humberto Hollebecque dif. prov. s. Rosae.

Universis totius ordinis fratrum praedicatorum fratribus ac sororibus
fr. Antoninus Cloche, sacrae theologiae professor
ac eiusdem ordinis humilis magister generalis et servus,
salutem et legum observantiam.

Tot inter curas, quae in regimine nobis a Deo credito animum magis sollicitum reddunt, haec una praecipua est, in quam potissimum incumbimus, ut interdum celebrentur comitia generalia, in quibus, si quae sunt iniuria temporum vel nimia superiorum indulgentia collapsa, pristino splendori restituantur, et regularis disciplinae observantia, quae iam in multis conventibus viget, sarta tecta conservetur ac feliciter ubique promoveatur. Hinc post capitulum generale Romae anno 1694 celebratum, cum dira ac diuturna bella, quae etiamnum per totam, qua late patet, Europam saeviunt et in dies recrudescunt, longam nobis moram iniecissent celebrandi capitulum generale Tolosae indictum. Ne religio ex hac intempestiva dilatione gravem pateretur iacturam, curavimus, ut capitulum generale, annuente sanctissimo, Bononiam translatum hoc anno 1706, abiecta omni cunctatione, celebraretur. Verum ut uberrimos fructus, qui ex his comitiis generalibus iampridem expectantur, universus ordo percipere possit, ad communem omnium usum et felicem provinciarum administrationem mittimus capituli generalis Romae anno 1694 celebrati acta, quae coram diffinitoribus capituli generalis Bononiae anno labente celebrati lecta et approbata citra ullam mutationem typis edita fuerunt, una cum actis capituli generalis Bononiae habiti, quae ad vos simul collecta dirigimus, quo facilius a vobis continua serie perlegi possint. Caeterum in his actis utriusque capituli generalis non solum insertae sunt leges, ex quibus tanquam ex certis regulis controversiae, quae circa praesentem disciplinae regularis statum emergere possunt, dirimantur, verum etiam bene multa, quae ad prima religionis principia perti-

(1) De fr. Iacobo Hyacintho Fejacq (Fejacques) cf. SSOP. II, 790.

nent, in memoriam revocare operae pretium fuit; ne sicubi praetermissa aut pravitate naturae in malum proclivis neglecta sint, veluti praescriptione quadam antiquata vel in dissuetudine abiisse existimentur. Felix profecto religio esset avitumque retineret splendorem, si iuxta pristinos adolescentiae suae annos omnes huius alumni professionis memores virtuti excolendae ac studiis longe lateque promovendis seduli incumberent, et suos mores ad leges exigere satagerent. Verum plurima, quae non sine gravi doloris sensu recolimus, invexit praepostera consuetudo, quae dum longe ab his felicibus exordiis recedunt, religionis colorem optimum haud parum immutarunt. Quare omnes labores curasque vestras certatim conferre debetis, ut, qua parte fieri poterit, felicia tempora redeant, et coniunctus cum legum observantia religionis splendor reflorescat; quem quidem splendorem ipsi facili negotio conciliare poteritis, si regularis disciplinae observantia nihil antiquius habeatis et de praescriptis pietatis officiis constanti vigore nihil unquam remittatis. In eum finem collimant utriusque capituli generalis acta, quae in praesentiarum ad vos mittimus; ex his quippe et normam recte vivendi haurietis et, repudiata omni perversa consuetudine, ad solam legem mores vestros inflecti debere intelligetis. Haec muneris nostri est, fratres dilectissimi, vobis ob oculos ponere; haec votorum nostrorum summa, ut a vobis ea, qua par est sedulitate executioni, mandentur; postremo ut prophetae Isaiae verba usurpemus: « Haec est via, ambulate in ea et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram ». Valete.

Acta capituli generalis Bononiae in conventu s. p. Dominici ordinis praedicatorum celebrati in festo ss. Pentecostes die 23. maii 1706 sub reverendissimo patre fr. Antonino Cloche, sacrae theologiae professore eiusdemque ordinis magistro generali.

In nomine sanctissimae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, nec non beatae Mariae semper virginis, beati patris nostri Dominici, omniumque sanctorum.

## Denuntiationes.

1. Denuntiamus, em. ac rev. d. Fabritium Paulucci, cardinalem secretarium status, nomine sanctitatis suae dedisse literas die 15. huius mensis maii ad rev. p. magistrum generalem nostrum fr. Antoninum Cloche et alteras eodem pariter die ad hoc venerabile capitulum generale, quae latine redditae sunt sequentis tenoris:

Literae ad rev. p. generalem.

Reverendissime pater.

Perspectum satis est p. v. r., quam maxime curae sit ss. d. n., ut in religiosis ordinibus regularis observantia magis magisque reviviscat et

propagetur; et ut ordini p. v. r. id faciendi aptam occasionem praebeat hoc tempore tam opportuno, quo habetur capitulum generale, adiunctam epistolam ad ipsum capitulum scribi iussit et speciatim p. v. r. significari multam fiduciam, qua s. b. confidit, fore ut p. v. r. quippe quae praedita est tanto spiritu et zèlo, religiosis suis exemplis ductuque prudenti enixe curet, ut prompte in eodem capitulo executioni mandentur ea, quae in dicta epistola praescripta sunt, quo nempe evadat commendabile magis et benemeritum in ecclesia Dei et simul augeatur p. v. r. meritum, quod s. s. prae ceteris magni facit, et ego aequus eiusdem aestimator p. v. r. coelitus veram exopto foelicitatem. Romae 15. maii 1706.

P. v. r.

Addictiss. F. card. Pauluccius.

Literae ad capitulum generale.

Reverendi adm. patres.

Sanctitas d. n., qui suas inter graviores curae summo zelo ac sollicitudine eo spectat, ut in religiosis ordinibus eorum primaevus effulgeat splendor, qui omnino ab exacta regulari observantia pendet, plane cognoscens, quantus sit spiritualis profectus, quem totus orbis catholicus a religiosorum vere observantium instructionibus, precibus et exemplis percipit, expresse iniunxit, ut, cum habeatur capitulum generale nunc in ista urbe coactum, pp. vestrae excitentur ad conferendum omnem operam, attentionem et studium ob conservandam, promovendam et restaurandam in ipso tam insigni et tam benemerito ordine exactam observantiam regularem et ob eam in suum pristinum decus et robur restituendam, si qua in parte sublapsa foret, et praesertim ut in singulis Italiae provinciis eiusdem ordinis unus aut duo conventus constituantur et adsignentur, in quibus observantia vigeat ad commodum religiosorum, qui sponte se in illo recipere velint et in illis manere, quamdiu iis placebit pro voluntate et fervore illorum spiritus, ut praescribit decretum latum a capitulo generali ordinis habito Vallisoleti anno 1605, quod adiunctum mittitur, et eo magis quod idem decretum in aliis capitulis generalibus pluries confirmatum fuerit. Quare s. b. pp. vestris iniungit, ut illud exequantur et adimpleant; et praeterea mandat, ut omnem attentionem adhibeant ob eligendos superiores illos, qui antea observaverint et deinceps observare possint regulas et constitutiones ordinis in omnibus, praesertim iis, quae ad serviendum choro et ad victum vestitumque communem spectant, ut praescribitur a bulla Clementis VIII. de reform. regul. § 32, ita ut sint habiles et prompti ad promovendam eandem observantiam in subditis suo etiam exemplo, a quo praecipue firmitas illius pendet et propagatio. Sanctitas sua confidit, pp. vestras zelo

et religioni rev. patris generalis suae eidem sanctitati satis superque perspectis sese adiuncturas, ut exacta et plena suae sanctae mentis executione ardentissimo suo desiderio respondeant. Et ego illud pp. vestris significans, coelitus veram vobis foelicitatem desidero. Romae 15. maii 1706.

Pp. vestrarum

Addictiss. F. card. Pauluccius.

Quibus ss. d. n. mandatis, ut ea qua par est animi promptitudine, pareamus, decretum, de quo his in literis secundae nostrae ordinationi inseri voluimus et toto nisu inculcari.

2. Denuntiamus erectionem collegii Urbinatensis, de qua plenius infra in ordinationibus pro provincia utriusque Lombardiae.

3. Denuntiamus, in congregatione s. Rituum omni sollicitudine peragi de canonizatione b. Pii V. pontificis maximi, iamque in eadem producta fuisse miracula, quae post eius beatificationem supervenere, et de quorum, ut aiunt, revelantia modo agitur, obtento iam favorabili rescripto super validitate processuum. Eadem in congregatione agitur pro canonizatione b. Agnetis de Monte Politiano, et circa cultum immemorabilem b. Luciae de Narnio et extensionem officii b. Columbae Aretinae. Agitur et de beatificatione venerabilium servorum Dei Bartholomaei de Martyribus, archiepiscopi Bracharensis, p. Ioannis Leonardi de Literis, congregationis nostrae dictae Sanitatis, fratrum Ioannis Massias conversi et Martini de Porres donati, quorum duorum postremorum processus apostolica auctoritate instructi examinantur; et ven. servae Dei matris Agnetis a Iesu s. Flori in Gallia, et aliorum quam plurium morte pretiosa in conspectu domini defunctorum.

4. Denuntiamus, approbante summo pontifice, ab eadem s. Rituum congregatione concessum esse, ut in universo ordine aliisque locis iuxta tenorem brevis transmissi a rev. p. magistro generali recitetur 8. die augusti officium b. Augustini episcopi Lucerini sub ritu duplici unius confessoris pontificis, et die 18. iunii officium b. Osannae Mantuanae pariter sub ritu duplici unius virginis. Officium autem de s. Vincentio Ferrerio nunc esse de praecepto pro tota ecclesia iuxta tenorem decreti, quod nuper emanavit et iussu rev. p. mag. generalis ad provincias transmissum est.

5. Denuntiamus id, quod anno 1700 a rev. p. mag. generali toti ordini per literas encyclicas denuntiatum est, nunc vero toti orbi literario est notissimum, sed, ut a nobis etiam generaliter congregatis grato quam possumus animo recolatur, aequum plane est. Nobilissimam dico fundationem in conventu nostro Minervitano Romae ab eminentissimo perillustris memoriae cardinali Hieronymo Casanate, ordinis nostri benefa-

ctore munificentissimo, factam, qua vir zelo plenus pro communi ecclesiae bono et doctrinae catholicae puritate publicam bibliothecam instruxit, quam sive loci amplitudinem et maiestatem spectes, sive librorum in omni scientia et arte copiam et selectum, ornatissimis ac refertissimis totius Europae bibliothecis parem aut certe supparem haud immerito dixeris. Fundavit et duas cathedras, in quibus legeretur textus summae theologicae divi Thomae, cuius doctrina nullam tutiorem esse, nullam ecclesiae utiliorem vere dictitare solebat, eique proinde uni si insistatur, nullos in dogmaticam errores, nullos in moralem excessus, nullas in theologiam mysticam illusiones fore irrepturos. Fundavit et collegium sex theologorum e diversis nationibus ac praecipuis orbis catholici universitatibus adlectorum, quorum munus praecipuum sit sacris incumbere studiis et instructos esse omni tempore ad sanctae sedis et ecclesiae catholicae defensionem. Qua de fundatione munificentissima plura prope diem dicenda sunt, cum publicae tandem luci dabitur praefati eminentissimi fundatoris ac benefactoris testamentum, una cum bibliothecae eius librorum et materiarum indice copiosissimo, cui ab annis iam pluribus indefesse adlaboratur et insudatur. Interim tanti benefactoris suis in precibus nunquam immemores piis illius manibus fratres nostri non desinant bene precari.

6. Denuntiamus, congregationes s. Sabinae et s. Marci de Florentia fuisse erectas a summo pontifice Innocentio XII., quarum congregationum iura et privilegia iuxta tenorem constitutionis pontificiae, summa qua par est obedientia et reverentia, recipimus et acceptamus.

7. Denuntiamus, a s. congregatione disciplinae regularis emanasse decretum pro provinciis Italiae circa receptionem novitiorum et eorum instructionem, iam per omnes provincias diffusum, quod iuxta sui tenorem et praescriptum omnino servari volumus et executioni mandari.

8. Denuntiamus, tres fuisse a nobis delectos actorum praecedentis capituli generalis Romae celebrati anno 1694 revisores; quae ab iisdem revisa et a secretariis capituli coram nobis lecta probavimus et, ut imprimerentur atque huius capitulo generalis actis insererentur, iussimus. Cum vero pro actorum praesentis capituli generalis impressione non suppetat tempus, tribus eorumdem actorum exemplis manu propria omnes subscripsimus; ut vero Romae imprimantur cum ea, quam optamus, exactitudine reverendis adm. p. magistris fr. Paulo Cauvino, fr. Augustino Pipia et fr. Alberto Oswaldo (1), theologis collegii Casanatensis, committimus, ut eorum invigilent impressioni.

---

(1) De fr. Alberto Oswaldo cf. SSOP. II, 744.

9. Denuntiamus, proximum capitulum generale anno 1709 Salmanticae fore celebrandum; quod erit diffinitorum secundum.

**Declarationes.**

1. Declaramus, integrum esse rev. p. magistro generali, cum sibi videbitur expedire, ad quamvis provinciam mittere commissarium vel visitatorem, quem sub poenis ab ipso iniungendis recipere teneantur; nec ad id desiderari consensum seu petitionem maioris partis priorum provinciae, ut nonnullis male affectis et ad inobedientiam pronis declarari videbatur ordinatione prima capituli generalis Romae celebrati anno 1530, sed perperam intellecta, cum ibi quidem caveatur, ne ullus ad superiorem recurrat contra provincialem pro eius amotione petenda aut visitatore, nisi habeat commissionem a maiori parte priorum illius provinciae; sed de rev. p. magistri generalis commissarios seu visitatores in provincias mittendi auctoritate sermo non est; ea vero auctoritas expresse asseritur declaratione 3. capituli generalis Romae celebrati anno 1656, ubi dicitur: Declaramus, quod in nullius provinciae, congregationis, conventus aut collegii arbitrio vel potestate situm sit, ullam legem condere aut consuetudinem introducere aut introductam prosequi, qua receptio visitatoris aut commissarii a rev. magistro ordinis destinati vel ad horam suspendatur, differatur aut impediatur. Proinde, sicubi talis lex aut consuetudo praetenditur, eamdem tanquam voto obedientiae et auctoritati supremi nostri capitis inique praeiudicialem omnino cassamus et annihilamus; praecipientes omnibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto necnon sub poena excommunicationis latae sententiae ipso facto incurrenda, ne huiusmodi legis aut consuetudinis obtentu deinceps praedictos visitatores seu commissarios recipere cunctentur, multo minus a libera sui muneris inchoatione impediant. Memores eamdem censuram in contraventores iampridem fulminatam fuisse in tribus immediatis capitulis generalibus, nempe Avenionensi 1470 ord. 5., Basileensi 1473 et Romano 1474, et quidem universalius contra omnes illos, qui qualescumque literas patentes magistrorum ordinis a suo effectu impedire aut retardare ausi fuerint; quos pariter sub hoc nostro praecepto ac censura comprehendi declaramus. Et ordinatione prima: Ordinamus et in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus universis et singulis provinciarum et congregationum, conventuum ac locorum praesidentibus, quod sine humano respectu ullave conniventia aut dissimulatione declarent perduelles excommunicatos ac gravissimis poenis tum carceris tum aliis eos subiiciant, qui quocumque modo deprachensi fuerint vel asseruisse vel sustinuisse sive in publico sive privatim, non esse praestandam obedientiam rev. magistro ordinis, nec eius mandata acceptanda, nisi ipsemet intra fines

provinciae vel congregationis ipsorum personaliter adsit, neque admittendam ullam ex eius commissione visitationem vel correctionem, nisi ipsemet hanc ibidem praesens exercuerit. Quam quidem perniciosissimam ac rebellionis foetore infamem persuasionem toto animo execramur; et sicubi forsan aliquod apostolicum privilegium adsit aut adesse praetenditur, quod tali immunitati favere videatur, illi ex nunc publico totius ordinis nomine ultro libenter ac sponte renuntiamus. Quas quidem declarationem ac ordinationem hic innovamus atque confirmamus sub eisdem praecepto, censuris et poenis.

2. Cum subinde contingat lectorem aliquem vel ob insufficientiam prius non satis exploratam vel ob vitam minus religiosam ab officio lectoris esse amovendum, ut statuitur Romae anno 1694 ord. 6. pro studiis, pendulumque haerere superiorem, quo pacto fieri debeat huiusmodi amotio, an scilicet cum strepitu processus, an vero absque illo, declaramus, defectum vel scandalum, ratione cuius lector aliquis a lectoris officio potest amoveri, non debere necessario cognosci vel probari per processum, sed sufficere certam de eo undecumque scientiam; monemus tamen provinciales, dum ad id faciendum fuerunt compulsi, ut, semoto omni affectu, id praestent et Dei honorem dumtaxat spectent, subditorum salutem et ordinis decorem.

3. Circa priorum ab officio suspensionem maior potest esse difficultas, nihilominus illam quoque fieri posse ac debere absque processu declaramus; prius tamen requirendum esse consilium patrum, alio in conventu praecipuo, et ante suspensionis exequutionem a provinciali monendum esse magistrum ordinis, si praesens adsit citra montes, vel de facta iam suspensione et eius causa, si fuerit ultra montes, quemadmodum de vicarii in capite supra priorem institutione dicitur in capitulo Romae 1629 declar. 10. Absolutio autem prioris seu eius ab officio depositio non fiat nisi iuris ordine servato, iuxta quod in sacris nostris constitutionibus est praescriptum et praecipue in praetacto capitulo Romano 1629 ord. 13.

4. Cum ex neglectu legis interstitiorum in electionibus priorum conventualium et provincialium servandorum non raro contingat priores duos aut provinciales sibi invicem immediate et veluti continuo succedere, atque ita prioratus seu provincialatus officia sibi mutuo dare, quod commercii genus et turpe est et ambitiosum et variis fationibus obnoxium; cui proinde malo gravissimo obviare volentes, legem interstitiorum in sacris nostris constitutionibus dist. 2. cap. 2. § 3. praescriptam, quacumque contraria consuetudine poenitus abrogata, inviolabiliter volumus observari sub poena nullitatis electionis ipso facto absque alia declaratione, ita nempe ut sive priores sive provinciales nonnisi expletis

duobus aliorum stadiis integris in eodem conventu seu provincia respective possint reeligi; unde ubi priores sunt biennales, nonnisi post quadriennium, ubi triennales post sexennium, ubi provinciales sunt etiam biennales, pariter post quadriennium; ubi vero sunt quadriennales, non nisi post octennium integrum possint reeligi, ita ut quocumque pacto contingat sive per amotionem sive per mortem praedecessoris duo illa respective stadia non esse impleta, nullatenus possit is, qui prius fuit in officio, ad idem munus eodem in loco reeligi. Declaramusque, provincialem in interstitiis a prioribus servandis nequaquam posse dispensare, immo nec in interstitiis vicariorum locorum, ut expresse cautum est declar. 7. capituli generalis Romae celebrati anno 1656. Si quae porro provincia super his speciali potiatur indulto, illud exhibeat rev. p. generali, et donec exhibuerit, sacrae huic interstitiorum subiaceat legi illamque adamussim servare teneatur, nec ei ulla contraria suffragetur consuetudo.

5. Quod bona religiosorum extra provincias suas decedentium, si quae fuerint provinciae suae, declaramus illa ad eam pertinere; particularia vero bona ipsorum, licet sint vel fuerint provinciae suae procuratores, ad commune ordinis depositum spectare pariter declaramus iuxta pridem factam declarationem ord. 10. capituli generalis Romae 1629; salva tamen dispositione gratiosa facta a rev. p. magistro generali pro patribus magistris fundationis Casanatensis.

6. Declaramus, festa locorum et sanctorum, quae auctoritate apostolica tam secularibus quam regularibus de praecepto celebrari concessa sunt, non prout a secularibus, sed iuxta nostras rubricas earumque ritus a nobis omnino debere celebrari, si alias per generale capitulum talia festa pro ordine sint recognita et notificata.

7. Quoniam ex vaga postulantium receptione ad habitum religionis contingit eos, qui sic recepti sunt, post suam professionem de conventu in conventum vagari, fixam non habentes alicubi sedem aut mansionem, ex quo sequitur maxima fratrum istorum dissipatio et conventuum perturbatio, declaramus, neminem recipi debere ad habitum sive clericorum sive conversorum, nisi prius pro aliquo speciali conventu sit receptus ad affiliationem; quod sub poenis superioribus contrafacientibus infligendis ubique volumus observari, prout iam declaratum fuit Romae anno 1694 declar. 6.

8. Cum Vallisoleti ord. 14. capituli generalis anno 1605 sit cautum, deputationes fratrum ad breve tantum tempus fieri debere, dubiteturque etiamnum, quid per breve tempus veniat intelligendum, declaramus, id ita esse interpretandum, ut nonnisi ad quatuor menses fieri posse censeantur; quibus expletis non maneat deputatus quisque frater nec in alio conventu possit deinde toto anno deputari, sed redire teneatur ad con-

ventum suae assignationis, nisi alias provincialis ipsi de conventu alio per assignationem providerit.

9. Mirari satis non possumus, nonnullos adeo refugere officium hebdomadariae, cum non oneris, ut falso autumant, sed honoris potius sit hoc munus, quod qui fungitur, primas et praecipuas agit in officio divino partes et coeteris quodammodo praeest; caeterum quia nonnulli, ut id intelligant, adduci nequeunt, refugiunt quinimmo id honoris, tanquam onus sit, subire et ut ab eo exolvantur, varios quaeritant praetextus, declaramus, neminem ab hebdomadarii officio esse exemptum neque praetextu affiliationis neque etiam praedicaturae generalis vel quovis alio titulo nisi in constitutionibus nostris vel actis capitulorum generalium expresso, et nisi a magistro ordinis ex rationabili causa habeatur dispensatio, a quo solum posse in hoc dispensari, declaratum fuit Parisiis anno 1611 conf. 26.; volumus itaque id muneris hebdomadarii ab omnibus non legitime impeditis seu dispensatis impleri, et quidem personaliter; abusum, quo aliqui vices hac in parte suas in alios benevolos aut etiam mercede aliqua, quod turpe est dicere, conductos transferre satagunt, prorsus improbantes et quascumque dispensationes a provincialibus perperam factas revocantes tamquam nullas et praeter nostri sacri instituti sensum concessas et obtentas; qui vero huic detrectant satisfacere obligationi, a conventu removeantur et eo transferantur, ubi maiora et graviora onera experiantur.

10. Declaramus, diffinitorium capituli provincialis debere assignare socium provinciali aut diffinitori euntibus in capitulum generale, prout praescribit s. nostra constitutio dist. 2. cap. 5. text. 4., neque esse in diffinitorii potestate illam omittere socii assignationem.

11. Cui intimo animi nostri sensu ac dolore audivimus ab aliquibus, etiamnum dubitari, an, dum extra chorum versantur, teneantur privatim recitare officium b. Virginis, quando in choro iuxta ritus praescriptum dicitur, cum id declaratum non semel fuerit et speciatim capitulo Romano 1656 declar. 34; ut porro evacuetur dubium istud ab ordine nostro, beatissimae Virgini tot tantisque titulis devincto, iterum declaramus, parem esse officii mariani obligationem, quando ex ritus praescripto est dicendum cum officii diei obligatione, adeoque sub praecepto et poena peccati mortalis; sicuti pariter tenentur extra chorum dicere psalmos graduales, quando fit de beata Maria in sabbato. Cui huic nostrae declarationi ac resolutioni ut omnes fratres nostri se conforment, praecipimus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae et sub formali praecepto.

12. Declaramus, etiam officii defunctorum recitationem intra hebdomadam ita esse obligatoriam, ut ei nequaquam satisfiat, si matutino tempore dominicae sequentis recitetur, prout satisfieri exoticam nonnul-

lorum opinionem esse inaudivimus; a qua ut omnes abhorreant et huic nostrae declarationi pareant, pariter praecipimus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae et sub formali praecepto.

13. Declaramus, suppriores ubique debere esse biennales nec excedere posse biennium in suo officio. Quo biennio expleto non possunt iterum assumi in suppriores in eodem conventu ante duos annos completos, ut iampridem Vallisoleti est declaratum anno 1605, salva in hoc auctoritate rev. p. magistri generalis.

14. Neminem debere in fratrem clericum recipi ad probationem vel professionem nisi cum assensu totius vel maioris partis capituli, sacra nostra habet constitutio dist. 1. de recipiendis cap. 13. text. 3.; sed quia contingit capitulum in aequalia suffragia dividi, dubitatum est, an candidatus eo in casu censeatur esse reiectus, et declaratum a nobis, prout praesenti decreto declaramus, talem nec receptum nec reiectum censeri debere, adeoque posse iterum ad receptionem proponi eidem vel alteri conventui.

15. Prohibemus, ne ullus conversus transire permittatur, quovis praetextu, ad statum clericorum et ne ullus, sive illegitimus sive ex alio ordine ante vel post professionem dimissus, in ordinem nostrum admittatur, prout variis in capitulis generalibus, quin et in sacris nostris constitutionibus respective prohibitum est.

## Ordinationes.

1. Ordinamus in primis, ut quam maxime superiores attendant, ut fratres nostri officium tam diurnum quam nocturnum, ea qua decet devotione, persolvant; tremendum altaris mysterium ea gravitate, modestia, compositione pertractent; cuncta denique ad Dei cultum pertinentia eo zelo ac spiritus fervore peragant, quibus non perfunctorie et veluti pro more, sed in spiritu et veritate ea se facere testentur, eoque pacto Dei gratiam sibi concilient et populis praebeant exemplar pietatis ac religionis. Quos vero compererint, haec tanti momenti exercitia negligenter ac forte, quod absit, irreverenter atque cum spectantium offensione peragere, eos sui officii permoneant et, si fuerit opus, abstinere iubeant a missae celebratione, donec melius compositi maiori cum reverentia et aedificatione illam celebrare velint. A chori autem sequela tam de nocte quam de die neminem volumus exemptum, nisi qui ex sacrarum nostrarum constitutionum et capitulorum generalium dispositione exempti sunt, vel nisi ex legitima causa a rev. p. magistro generali fuerint dispensati; revocantes omnem ab inferiori auctoritate cuivis fratri super hoc factam dispensationem. Nemo pariter negligat quotannis exercitia spiritualia serio peragere et orationi mentali singulis diebus statutis horis incumbere; quod, ut omnes servent quam exactissime, praesides conventuum eos,

quos hac in parte repererint negligentes, poenis privativis puniant et ad officium reducant.

2. Ordinamus et districte praecipimus id, quod in sacris constitutionibus dist. 2. cap. 1. super § 8. omnibus provincialibus strictissime mandatum est, et ut in provinciis observetur quam exactissime ss. d. n. Clemens papa XI. feliciter regnans pro suo, quo ardet observantiae regularis zelo, nobis per literas significari fecit, « Ut unusquisque in sua provincia unum vel plures conventus iuxta qualitatem et numerum fratrum deputet, in quibus regula et constitutiones ordinis nostri cum omni rigore ab omnibus illic degentibus ad unguem observentur; in quibus conventibus et locis nemo invitus cogatur manere, nec aliquis nolens a suo retrahatur fervore, nisi quem iam arrepti propositi et ceptae observantiae poenituerit ». Quam ordinationem absque ulla cunctatione volumus exequutioni mandari, et provinciales hac in parte negligentes in poenam a suis officiis irremissibiliter absolvi, ad quae non possint in posterum reassumi. Quibus addendam adduximus declar. 11. capituli generalis Romae 1656, qua dicitur, quod, ubi sacra constitutio et complura capitula generalia statuerunt aliquos saltem in singulis provinciis conventus pro exacta regulae et constitutionum observantia deputari, in quibus nimirum absque dispensationum usu ad literam sacrarum nostrarum constitutionum vivatur, id non eo sensu accipiendum sit, quasi per hoc cum reliquis domibus aut religiosis extra praedictos observantiae conventus manentibus censeatur tacite dispensatum, ne deinceps ad ipsos ea pertineant, quae observantiam sapiunt, vel quasi non teneantur et ipsi adniti pro viribus, ut secundum regulam et constitutiones vivant, prout in suae professionis formula promiserunt; quinimmo potius advertant, dum a solis conventibus exactioris observantiae relegatur omnis dispensatio, non ob hoc a conventibus dispensationis usum tantisper adhuc tolerantibus observantiam relegari.

3. Ordinamus et severe prohibemus, ne in illis quoque provinciis, ubi ex indulto pontificio aliquot in hebdomada diebus vescuntur carnibus, usus carnium admittatur, seu in eo usu dispensetur iis in conventibus, ubi vel generale vel provinciale capitulum celebratur, toto tempore celebrationis capituli; solos infirmos hic excipimus, quibus esus carnium fuerit a medico praescriptus; coeteri omnes atque in primis capitulares ad commune refectorium accedant iisque cibis contenti sint, quibus ex sacrarum nostrarum constitutionum praescripto vesci licet. Dedecet enim et plane praepostcrum est, eos qui pro restauranda disciplina et observantia regulari delecti sunt et in unum congregati, illam ipsos non tenere exactissime, sed vitae mollioris atque solutioris praebere exempla. Facile enim eorum praecepta contemnuntur, quorum vita

et mores despiciuntur. Quapropter serio monemus et in domino obtestamur omnes, sive ad generale sive ad provinciale capitulum accedentes, ut coeteris fratribus bono in omnibus ac praesertim in hoc observantiae puncto sint exemplo, quibus praesunt auctoritate et imperio.

4. Vitam communem seu perfectam rerum omnium communitatem statui religioso adeo individuam et necessariam, qua dum vigeret, effloruit semper religio et tot fere sanctos aluit, quot habuit religiosos, ut in omnes provincias ac conventus revocent priores seu provinciales seu conventuales, iam toties in capitulis generalibus ordinatum, inculcatum et sub interminatione divini iudicii praeceptum est, ut supervacaneum videri possit illius introducendae nova dare praecepta seu novas condere leges. Nihilominus, quia necdum obtineri potuit, ut in omnes omnino conventus introduceretur, mandamus ac districte praecipimus, ut iis in conventibus, in quibus introdúcta est, custodiatur quam diligentissime, nec rimam admittant superiores, qua e conventibus erumpere possit; ubi vero necdum perfecte introducta est, curent satagantque, ut, si nequeunt aliter, sensim et sensim illam introducant, eas statuendo depositi leges talemque in vestitu et supellectili fratrum praescribendo modum, qualia in variis capitulis generalibus praescripta sunt et statuta, ut, quoad fieri poterit, ad vitam perfecte communem accedant quam proxime. Superiores hac in parte muneris sui potissima negligentes seu indulgentiores a suis officiis volumus amoveri, eosque inhabiles praesenti decreto declaramus ad quaevis ordinis nostri munia; et si quem contingat eligi in priorem conventualem seu provincialem, quem in consilio patrum per vota secreta constiterit, non esse vitae communis amantem, districte prohibemus, ne huiusmodi electus confirmetur, sed alius vitae communi seu custodiendae seu introducendae aptior eligatur.

5. Nullus laicus tunica tertiariorum induatur, nisi sit receptus capitulariter et praevio examine et in aetate praescripta in decretis Clementis VIII. et s. congregationis sub poena suspensionis ab officiis superioribus infligenda et eiectionis tertiarii ab ordine absque ulla spe, ut iterum recipiatur.

6. Ad evitanda gravia, quae subinde nascuntur scandala ex fratrum ordini ineptorum, etiam tertiariorum, ante professionem dimissione, si id fiat paulo praecipitantius et absque debita praecautione, quemquam ex ordine nostro dimitti nolumus, nisi post maturam deliberationem et habito consilio atque resolutione patrum in libro conventus scribenda, et nisi dimittendus habitu ordinis coram capitulo aut saltem duobus testibus prius fuerit exutus et habitu seculari indutus, ita ut nonnisi sub hoc habitu conventum egrediatur. Advertant porro superiores et alii, ad quos spectat, ne huiusmodi ineptos, quos e saeculo tanquam inutilia familia-

rum pondera ad religionis statum destinari et quodammodo detrudi contingit, ad habitum nostrum quovis modo recipiant, multo minus ad professionem religiosam admittant, ex quibus nonnisi gravamen, dedecus et perturbatio ordini accedere solet; eorum proinde hac in parte conscientiam in diem iudicii aggravamus.

7. Provinciarum seu conventuum procuratoribus ad negotia pertractanda in curias dimissis pro expensis faciendis atque occurrentibus necessitatibus pecunias accipiendi mutuo nolumus vagam fieri facultatem; volumus enim vero eam facultatem in procurationis instrumento ad certam pecuniae summam restringi ac limitari; quod si secus factum fuerit, ipsum procurationis instrumentum sit nullum, et qui ei subscripserint debita animadversione plectantur.

8. Quoniam viros religiosos paupertatem professos decet, quam maxime esse ab omni specie avaritiae et simoniae alienos, ordinamus et ordinando prohibemus, ne pro recipiendis in habitum ordinis ulla pecuniae summa taxetur aut ab ipsis exigatur, ne quidem vestium seu alimentorum praetextu, sed iis contenti sint superiores, quae secum deferunt religionis candidati; qui si ea sint paupertate, ut nec de vestibus sibi possint providere, conventus, pro quo recipiuntur, iuxta facultatem eas ultro conferat; conventus vero novitiatus, cui toto probationis anno deserviunt, de victu aliisque necessariis ipsis provideat.

9. Quanta ordini mala et scandala obveniant ex vagis fratrum nostrorum discursibus, nimium experimur et in dies cum dolore percipimus; quibus proinde coercendis severe prohibemus conventuum prioribus et quorumvis locorum nostrorum superioribus, ne fratres nostros, praesertim ignotos, recipiant, multominus ad celebrandum missae sacrificium admittant, nisi prius visis et lectis atque examinatis ipsorum literis seu facultatibus; facultates porro a magistro ordinis absque praefixo termino latae intra Europam ad sex dumtaxat menses a die datarum valeant; quae autem dantur a provincialibus, ad duos solum menses valere decernimus. Fugitivi vero et scandalosi incarcerentur, et eorum expensis tempore incarcerationis providere teneantur conventus, quorum sunt filii, sub poena absolutionis ab officio eorum prioribus infligenda.

10. Certis ex documentis didicimus, commissariorum et visitatorum eo subinde efferri vanitatem atque dominandi cupiditatem, ut, cum eorum commissionis seu visitationis officium non sit nisi temporaneum, illud tamen, spreta magistri generalis auctoritate et minime attento provinciarum seu conventuum gravamine, usurpent atque exerceant, quasi foret perpetuum; eo forte praetextu, quod eorum in literis nullus exercendae commissionis seu visitationis praefigatur terminus. Cui tollendo abusui ordinamus, ut huiusmodi literis patentibus certum praefigatur tem-

pus, quo expleto, mox visitationis seu commissionis expiret officium; si vero tempus non fuerit praefixum, commissio nihilominus seu visitatio intra Europam ultra annum a die datarum non protendatur, sed eo elapso commissarius seu visitator commissarii seu visitatoris excidat munere et nomine abstineat, irritantes et nullum fore declarantes, quidquid eos deinde pertentare contigerit praetensae obtentu commissionis seu visitationis.

11. Quoniam ex celebratione capitulorum provincialium plurimum pendet bonum provinciarum, ordinamus, ut provinciae statuto tempore sua celebrent capitula provincialia nec ea celebrare ullo negligant praetextu, quamvis etiam provincialis forte per breve aut alias legitime iam instituti facienda non foret electio; quo in capitulo diffinitores eligantur, qui omnia ea peragant, quae in capitulis provincialibus peragi solitum est, cuique capitulo praesideat provincialis noviter institutus, si praesens ibi extiterit.

12. Uniformitatem in vestibus toties nobis commendatam variis in capitulis generalibus iterum atque iterum commendamus, praecipimusque provincialibus et conventuum praesidentibus, ut sedulo invigilent, ne fratres nostri pretiosis et nimium laxatis induantur vestibus, sed vilibus et modestiae religiosae congruis, quales nempe praescribunt sacrae nostrae constitutiones, et quales decent religiosos paupertatem et humilitatem professos; quos vero compererint hac in re excedere, severe corripiant et puniant, etiam privatione huiusmodi vestium necnon vocis activae et passivae; qui vero post tot prohibitiones, alias iam factas, lineis ad carnem uti non dubitant, meminerint eius, quod habet sacra nostra constitutio dist. 1. cap. 10. lit. B. « quod qui nulla subsistente causa lineis utuntur ad carnem et in huiusmodi transgressione intendunt perseverare, ad damnabilem contemptum disponuntur »; et poenas in variis capitulis generalibus, praesertim Romano 1644 ord. 19. contra huiusmodi transgressores taxatas confirmamus et inviolabiliter infligi volumus et mandamus.

13. Cum ex foelici, quam nobis imposuimus, necessitate sequendi doctrinam angelici doctoris, ea potiamur consolatione, quod inter nos non sint doctrinarum schismata, sed unum dicamus omnes et in eadem permaneamus sententia, nec verendum sit, nos a veritatis tramite unquam deviaturos, quamdiu presso pede huius s. praeceptoris insequemur placita; omnes ordinis nostri professores, et quotquot studiis incumbunt, gravissime monemus iisque praecipimus, ut tanti doctoris doctrinam ubique teneant, tradant et pro viribus promovere satagant. Quod faciendo nostram et proximi nostri salutem ponemus in tuto, quod a nobis ex sacro nostro instituto ad salutem animarum procurandam destinatis in

primis spectandum est; si qui autem ab ea recesserint, contra ipsos poenam privationis cuiusvis gradus et scholastici officii atque ad illa perpetuae inhabilitatis respective ipso facto incurrendam irremissibiliter pronuntiamus.

14. Quoniam ex lectorum peritia et probitate plurimum pendet optima iuvenum educatio et instructio, non promoveantur in lectores philosophiae ac theologiae, nisi qui bonis moribus probati fuere, quique observantiae tenaces discipulos non tantum verbo, sed exemplo etiam instruere valeant, et qui divi Thomae doctrinam omnino calleant, plurimi faciant et cordi maxime habeant nec ab ea ullatenus recedant; non novitatum amatores, sed regulas ecclesiae ac doctoris angelici placita unice sequentes; et quos lectores in suis provinciis ab his regulis et viis sanctis recedere repererint, eos omnino a suis officiis deponant, nec ad ea assumantur deinceps inconsulto magistro ordinis vel capitulo generali. Cum vero nobis compertum sit, fratres nostros scholasticae disciplinae, quam pro vincendis haereticorum erroribus commodam et necessariam ducimus, diutius dare operam, omisso pene scripturae ac historiae ecclesiasticae studio, ut huicce malo, quod certe minimum non est, pro viribus medeamur, iubemus, ut deinceps lectores scholasticas ita versent quaestiones ea brevitate, perspicuitate, methodo, qua par est, ut tamen interserant hinc inde pro re nata in specialibus digressionibus ad cuiusvis tractatus fontem aut calcem nobiliores controversias vel ad scripturam sacram vel ad historiam ecclesiasticam pertinentes, curentque singulis hebdomadis domi unum vel alterum circulum propugnari, in quo de positiva, ut loquuntur, ex professo disputetur. Declarantes, neminem in posterum fore admittendum ad gradus in ordine capiendos, nisi certis constet documentis, patres lectores huic ordinationi morem gessisse.

15. Quae de studentibus in ultimo capitulo generali affatim praescripta sunt, omnino et adamussim servari volumus; addimus porro iis in provinciis, in quibus non est usus distinctionis studentium formalium et materialium, nullo modo introducatur, et ubi introducta est, si studentibus formalibus concessa est aliqua dispensatio a choro, nusquam tamen censeantur exempti a missa maiori et completorio, nec a choro tam de die quam de nocte dominicis et aliis festivis diebus, quacumque in contrarium non obstante consuetudine aut privilegio, quae ad terminos huius ordinationis inviolabiliter observandae reducimus; volumusque insuper, quod collegiales studiorum generalium in ingressu studii prima hebdomada fungantur officio hebdomadarii et praeterea singulis annis semel vel pluries, sicubi id moris est, ad idem officium notentur. Studia et collegia provinciarum ultramontanarum suos in hoc servent usus et ordinationes pro se factas a rev. p. Turco magistro generali.

16. Insuper iniungimus rev. pp. regentibus et baccalaureis studiorum ac praesertim magistris studentium, ut, si quos extra cellam repererint collegiales horis, quibus a choro exempti sunt, et aliis, quibus in cellis studio vacare deberent, imposita poenitentia eos suas in cellas, studiis vacaturos, redire compellant; professorum in hoc conscientiam aggravantes, quos memores esse decet religionem ipsis commisisse instructionem et educationem iuventutis, cuius rationem ab ipsis exactura est.

17. Pro parte r. adm. p. mag. procuratoris generalis ordinis nobis expositum fuit, quod, cum in capitulo generali Venetiis 1592 ord. 9. statutum sit, fratres teneri expensas pro literis per cursores missis r. adm. p. procuratori generali ordinis solvere vel easdem francas, ut vocant, transmittere, ne earum portitoriis, quae in dies excrescunt, gravetur; cum vero neutrum horum fiat et patri procuratori generali opportunum non sit a singulis singula portitoria exigere, siquidem id fieri non posset absque novis et gravioribus incommodis, eius nos providere volentes indemnitati, taxam sequentem seu pensitationem annuam a singulis Italiae provinciis et congregationibus p. procuratori generali pendendam atque solvendam praeter illam, quam quotannis ex legum nostrarum praescripto alias ob causas eidem persolvunt, duximus praescribendam, prout praesenti decreto praescribimus et, ut re ipsa persolvatur, praecipimus:

| | |
|---|---|
| Provincia utriusque Lombardiae scuta Romana | 12 |
| Provincia Romana | 7 |
| Provincia Regni | 10 |
| Provincia Trinacriae | 10 |
| Provincia Apuliae | 13. 80 |
| Provincia Calabriae | 12 |
| Provincia s. Petri Martyris | 8 |
| Provincia Aprutina | 7 |
| Provincia Venetiarum | 7 |
| Congregatio Sanitatis | 3 |
| Congregatio s. Marci de Gavottis | 2 |
| Congregatio s. Sabinae | 3 |
| Congregatio s. Marci de Florentia | 2 |

18. Postremo inhaerentes declar. 7. capituli generalis Romae 1629 ordinamus, ut, quando priores gravia negotia habent discutienda, de ipsis patres a consiliis praemonere teneantur, ut maturius ea decernant.

**Confirmationes.**

1. Quamvis iam toties sub gravissimis poenis et censuris prohibitum sit tum in sacris nostris constitutionibus tum in variis capitulis generalibus, ne fratres nostri personarum extra ordinis nostri obedientiam con-

stitutarum et quavis dignitate, etiam cardinalitia, etiam imperiali fulgentium emendicent opem, favores, intercessionem, quibus promotionem, impunitatem gratiasve extorqueant a superioribus, immo ne huiusmodi favores, sponte etiam oblatos, acceptent, hactenus tamen haec regularis instituti pestis poenitus extincta non est, ut vero prorsus extinguatur, gravissimas poenas ac censuras contra huiusmodi gratiarum aucupes aut receptores latas ac pontificiis bullis confirmatas et ad calcem capituli generalis Romae celebrati anno 1670 in unum collectas omnium oculis hic iterum obiicere visum est, ut qui uno alterove non terrentur fulmine, multiplicatis saltem et congeminatis deterreantur:

1. Privatio, magistro ordinis reservata, vocis activae et passivae; item omnium gratiarum et beneficiorum officiorumque ordinis, graduum et honorum ad usum concessorum.

2. Perpetua inhabilitas ad huiusmodi seu recuperanda seu in posterum obtinenda.

3. Inhibitio exequendi quamcumque functionem ecclesiasticam sive altaris sive pulpiti aut confessionalis.

4. Publica nota seu titulus destructoris ordinis.

5. Privatio suffragiorum ordinis tam in vita quam in morte.

6. Excommunicatio latae sententiae pluries a diversis tum priscis tum recentibus capitulis fulminata, iterata et specialiter supremo ordinis tribunali reservata.

7. Denique maledictio omnipotentis Dei, b. Virginis Mariae, ss. Dominici patris nostri in eos, qui animo pertinaci et indurato tales sententias et poenas non horruerint, destructoribus ordinis taxatas.

Quas poenas ac censuras hic innovamus atque confirmamus et contra diffamatores fratrum apud seculares extendimus, uti et maxime contra recurrentes ad tribunalia secularia, ut electiones turbent vel mandata superiorum declinent aut eorum impediant exequutionem, sub praetextu etiam quod id faciant procuratorio nomine alicuius provinciae vel conventus. Ad haec tonitrua, qui non expergiscitur, iam non dormit, sed mortuus est.

2. Pro more coeterorum capitulorum generalium confirmamus, approbamus et acceptamus omnia et singula magisteria et gradus quorumque promotorum post immediate praeteritum generale capitulum Romae celebratum anno 1694 per rev. p. generalem nostrum fr. Antoninum Cloche collatos et concessos usque ad praesens generale capitulum, omnesque sic promotos impetratis gradibus gaudere volumus et mandamus.

3. Confirmamus etiam omnes ordinationes et praecepta pro provinciarum, congregationum et conventuum feliciori sanctiorique gubernio salubriter ac fructuose ab ipso sancita.

## Commissiones.

1. Committimus rev. p. magistro generali ordinis, ut viros idoneos seligat atque deputet, qui ordinis nostri ceremoniale componant eiusque invigilent impressioni.

2. Committimus eidem, ut nomine totius ordinis a s. sede apostolica impetrari curet lectiones proprias hactenus desideratas pro festis recentioribus sanctorum ordinis, de quibus fit officium, necnon et pro festo delationis imaginis ss. p. n. Dominici in Suriano.

3. Committimus eidem, ut petat a s. sede extendi officium ss. Rosarii pro dominica prima octobris ad universam ecclesiam et cum lectionibus propriis.

4. Postremo eidem committimus, ut totius ordinis nomine suae sanctitati humillimas referat gratias, eo quod concesserit religioni statuam ss. p. n. Dominici in basilica ss. apostolorum Petri et Pauli erexisse cum hac inscriptione: Ordo praedicatorum fundatori suo erexit.

## Concessiones.

1. Damus rev. p. generali magistro totam nostram auctoritatem circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare possit, quemadmodum caetera, quae declaratione opus habent, eis addere, demere, immutare, omnia denique facere, quae nos ipsi facere possumus, iuxta quod eius discretioni et prudentiae visum fuerit.

2. Concedit rev. p. magister generalis ordinis omnibus et singulis patribus ac fratribus suae curae subiectis, quod semel eligere possint aliquem patrem sacerdotem, in ordine ad audientiam confessionum expositum, cui suam plenariam delegat auctoritatem absolvendi fratres sibi sacramentaliter confitentes pro una vice tantum ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum evulgationem contractis, a quibus ipsemet rev. magister ordinis eos posset absolvere, si eidem coram confiterentur. Idem absolutionis beneficium ex eiusdem concessione monialibus conferre poterunt earum ordinarii confessarii.

3. Concedit idem rev. ordinis magister omnibus adm. rr. pp. diffinitoribus praesentis capituli generalis, ut possit unusquisque eorum aliquem de sua dumtaxat provincia ad poenas gravioris culpae ante celebrationem huius capituli generalis damnatum, si quis fuerit, ad omnes gratias ordinis restituere, si tamen sua humilitate et resipiscentia et melioris vitae exemplo huiusmodi favore se dignum ostendit.

## Pro provincia Hispaniae.

1. Ad petitionem ipsius provinciae erigimus conventum nostrum s. Pauli Conchensis in studium generale cum omnibus gratiis et privilegiis, quibus alia studia generalia eiusdem provinciae fruuntur et gaudent.

2. Ex speciali gratia concedimus patribus, qui nunc in eadem pro-

vincia gradu baccalaurei gaudent et simul munere praedicatoris generalis funguntur, manuteneri in sua possessione, dispensantes ipsos ad hunc effectum super ordinationibus capitulorum generalium in contrarium; has tamen volumus in posterum esse observandas, ita ut nemo sine dispensatione speciali magistri ordinis sit simul baccalaureus sive praesentatus provinciae et praedicator generalis.

3. Concedimus praedicatoribus generalibus a provincia acceptatis, qui per 12 annos continuos verbum Dei laudabiliter praedicaverint et eo in tempore aliquas quadragesimas Matriti, Salmanticae, Vallisoleti vel Toleti, qui ut praecipui provinciae suggestus aestimantur, ut sint ab onere hebdomadarii subeundo exempti; huiusmodi tamen dispensatione non gaudeant, donec in capitulo provinciali vel congregatione intermedia a diffinitorio et magistris provinciae ipsorum labores approbentur et in actis capituli denuntientur pro confirmatione a magistro ordinis habenda.

4. Attendentes merita nobis exposita pp. praesentatorum fr. Christophori Garzia et fr. Bernardi Lopez de la Cuerda, ipsos dispensamus ab hebdomada et choro, ac si eorum gradus acceptati fuissent a provincia.

5. Promovemus ad provinciae petitionem, salvis ipsius iuribus, ad gradum magisterii pp. praesentatos fr. Dominicum de Bustamante, fr. Didacum de la Flor et fr. Ioannem Gonzalez de la Cruz; similiter pp. praesentatos fr. Franciscum Fernandez, fr. Claudium Muñoz et fr. Gundisalvum Fuertes.

6. Ad gradum vero praesentaturae titulo lectionis pp. lectores fr. Franciscum Pasqual, fr. Iulianum de Aliaga, fr. Ioannem Ximenes de la Oliva et fr. Ioannem del Pozzo; titulo praedicationis pp. fr. Gabrielem de s. Rosa et fr. Thomam de Granda.

7. Ad praedicaturam denique generalem pp. fr. Bernardum de Prada, fr. Ioannem Garziam de Leon et fr. Iosephum Perez.

### Pro provincia Tholosana.

Exactam in hac provincia observantiam regularem, benedicente Deo, iam a sua erectione tam sub titulo congregationis quam provinciae foelici successu introductam vigere in omnibus conventibus absque ulla dispensatione secundum rigorem constitutionum nostrarum ac florere pietate, disciplina regulari et perfecta omnium bonorum communitate plurimum gaudeamus; et ut in iis inviolabiliter perseveret, omnes laudabiles huius provinciae consuetudines, privilegia, immunitates et quaecumque in aliis capitulis generalibus eidem concessa fuere, confirmamus et approbamus; et ut crescat in matrem aliarum provinciarum, quae illius regularem disciplinam imitantes possint omnes provincias Galliae ad similem reducere observantiam, hortamur omnes provinciae Tholosanae alumnos, ut

quo semper floruerunt zelo pro observantia, studiis ac missionibus, in eodem semper perseverent.

### Pro provincia Franciae.

1. Cum haec provincia suis in petitionibus per r. adm. p. mag. diffinitorem plures porrexerit petitiones pro bono regimine eiusdem provinciae, quae in ordinationibus huius capituli generalis pro toto ordine factis comprehenduntur, iis ordinationibus hanc provinciam subiici dicimus, praesertim circa ea quae statuta sunt pro receptione iuvenum ad habitum et professionem, ne videlicet priores praesumant ignaros aut ineptos ad habitum et professionem admittere sub poena absolutionis ab officio et patres a consiliis sub poena privationis utriusque vocis.

2. Ut in hoc capitulo statutum est, ne religiosi extraneae provinciae in provinciis alienis aut conventibus absque licentia magistri ordinis recipiantur aut assignentur, declaramus, provincialem huius provinciae seu vicarium congregationis illius non posse fratres alienarum provinciarum inconsulto magistro ordinis in conventibus sibi subiectis assignare.

3. Quia statutum est in hoc capitulo, quod priores conventuum teneantur ad expensas pro fratribus incarceratis, et si recusaverint ipsis satisfacere, a suis officiis absolvantur, huic statuto conventus tam provinciae quam congregationis subiicimus, uti et aliis contra recurrentes ad tribunalia secularia.

4. Votis provinciae inclinati et ut in ea promoveatur observantia regularis iuxta constitutiones nostras et perfecta bonorum omnium communitas introducatur, quam in huius provinciae ac congregationis conventibus stabilire peroptaremus, approbamus domos destinatas ad receptionem et probationem novitiorum simplicium, nempe Aurelianensem et Divionensem, dummodo in iis sit observantia exacta secundum rigorem constitutionum; a qua si defecerint, in iis conventibus priores aut provinciales et vicarii congregationis novitios simplices non recipiant.

5. Circa ius provincialium in visitatione conventuum congregationis nihil fore innovandum duximus, sed servetur antiqua consuetudo inviolabiliter observata a tempore erectionis congregationis Franciae.

### Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Ordinamus, quod patres praecipui electi in priores a provinciali cogantur ad prioratus acceptandos; qui autem recusaverint, si lectores sint, non promoveantur ad magisterium; si iam sint promoti, excludantur a gradibus in studio generali et a confessionibus monialium; in suppriores autem eligantur viri aestimatione digni pro maiori decore et meliori regimine conventuum.

2. Ordinamus, quod lectores sive philosophiae sive theologiae a dictandis scriptis omnino abstineant, sed in theologia textum summae

d. Thomae exponant, in philosophia auctorem aliquem destinandum a patre provinciali; nec in lectorem aliquis laureari possit, qui per quatuor annos ad minus dicto textui non studuerit. Titulo autem lectoris non insigniantur, qui examen pro lectoribus statutum Bononiae vel Romae coram magistro ordinis non subierint.

3. Confirmamus pro studiorum incremento ordinationes b. m. rev. Turco et moderni magistri ordinis pro conventu Bononiensi; pro aliis vero conventibus servetur ordo antiquus provinciae de studiis formalibus et studentibus ad ea mittendis; rogamusque enixe magistrum ordinis, ut dignetur super illis ordinationibus non dispensare nec permittere examen sive in studentes formales sive in lectores fieri extra studium generale, neque exceptis collegiis Parmae et Mutinae.

4. Denuntiamus, emanasse decretum s. congregationis super disciplina regulari a ss. d. n. Innocentio papa XII. specialiter deputatae super causa magistrorum s. theologiae, vulgo simplicium, huius provinciae, tenoris ut sequitur:

Stante allegata consuetudine provinciae Lombardiae ordinis praedicatorum promovendi magistros sine privilegio loci et vocis et quacumque alia praerogativa onerosa provinciae destitutos ob lecturam 15 annorum extra studium generale Bononiense, s. congregatio super disciplina regulari, cui ss. dominus noster specialiter negotium diiudicandum commisit, re maturius discussa, censuit et declaravit, praefatos magistros non esse comprehensos in brevibus sanctitatis suae sub die 22. septembris 1695 et s. m. Innocentii papae XI. 20. novembris 1677, dummodo vere et cum effectu et non per aequipollens praedictam lecturam annorum 15 compleverint et ab eadem provincia ad supradictum gradum magisterii postulati fuerint. Romae die 17. iulii 1696.

Gaspar card. Carpineus

Loco † sigilli.

Carolus Augustinus Fabroni secretarius.

Cui decreto inhaerentes ad illius terminos reducimus conf. 8. pro provincia Lombardiae capituli generalis ultimo celebrati Romae 1694.

5. Iniungimus moderno p. provinciali, ut omni cura zeloque invigilet, ut conventus, qui possunt novitios alere, ea faciant, quae requiruntur, ut a s. congregatione super disciplina regulari possint approbari ad illos recipiendos, et si opus fuerit, renitentes amoveat, ut omnino stabiliatur id, quod provinciae et conventibus utilius est.

6. Declaramus, lecturas in universitatibus secularium exercitas nemini posse suffragari, nisi a provincia prius acceptati fuerint et idonei

iudicati ad baccalaureatum vel regentatum in studio generali Bononiensi, et ita omnino observari volumus.

7. Declaramus, fratres, qui sunt affiliati in conventu alio ab eo, pro quo habitum suscepere et professionem emisere, frui ac gaudere in illo omnibus et singulis praerogativis et iuribus, quibus fruuntur et gaudent, qui pro illo habitum susceperunt et professionem emiserunt.

8. Ad petitionem provinciae in actis provincialis capituli expositam, audita relatione facta a rev. p. magistro generali post visitationem conventus civitatis Urbini, et parentes ea, qua decet reverentia, iussibus ss. d. n. Clementis XI. foeliciter regnantis, praefatum conventum in collegium erigimus ad instar collegiorum Parmae et Mutinae cum omnibus iuribus, privilegiis et immunitatibus, quibus praefata collegia potiuntur; committentes eidem magistro ordinis, ut una cum moderno p. provinciali agat circa media in eodem capitulo provinciali statuta, ut quamprimum exequutioni demandentur, ut eidem collegio pro proximo festo exaltationis s. Crucis de studentibus et lectoribus provisum sit.

9. Cum p. mag. fr. Vincentius Morici de Firmo ob diutinos eius labores, tam pro toto ordine in curia Romana quam in hac nostra provincia, apostolica auctoritate iam voce fruatur in electionibus provincialium et in consiliis provinciae admissus sit, locum etiam eidem damus, quo magistri provinciae fruuntur, cum coeteris omnibus et singulis eorundem privilegiis et praerogativis.

10. Acceptamus et approbamus lecturam p. mag. fr. Hyacinthi Rosa Cameroni de Brixia in celebri seminario Brixiensi pro magisterii studentium exercitio in studio Bononiensi, declarantes, posse proinde approbari ad baccalaureatum et regentatum, ac si actu fuisset magister studentium.

## Pro provincia Romana.

1. Designamus et ponimus conventum s. Dominici Senarum in secunda serie conventuum praefatae provinciae, stabilita in constitutionibus Alexandrinis, conventus vero Centum Cellarum, Ananiae et Priverni in tertia serie collocamus, cum in praefatis constitutionibus nulla de iis quatuor conventibus fiat mentio. Harum autem constitutionum Alexandrinarum pro provinciis Lombardiae et Romana editarum exemplar authenticum sit apud provincialem Romanum pro tempore pro illarum maiori observantia.

2. Statuimus, ut in conventibus, ubi sunt novitii sive simplices sive professi, prima officii divini dicatur ad ortum solis, et post illam tempore aestivo fiat oratio mentalis, quae solet fieri post nonam.

3. Confirmamus privilegium et ius eidem provinciae concessum per plura capitula generalia, praesertim Vallisoleti 1605, Parisiis 1611 et Bo-

noniae 1615, acceptandi magistros provinciae et ipso gaudere et frui volumus.

4. Confirmamus etiam ordinationem a moderno magistro ordinis factam, ut collegium s. Thomae de Urbe veluti altera provinciae Romanae universitas habeatur, ac eiusdem collegii lectores s. theologiae, regens scilicet et baccalaureus, pro gradu et forma magisterii legant, eiusdemque baccalaureatus officium per quadriennium duret, ac gratiis et privilegiis ambo potiantur uti regentes et baccalaurei ordinarii aliarum universitatum ordinis et huius provinciae; rogamusque rev. magistrum ordinis, ut in destinandis regentibus, si de provincia Romana eligi contigerit, baccalaureis et studentium magistris praefati collegii professos antiquiores, stantibus aequalibus meritis, promovere dignetur.

5. Ad provinciae petitionem conventus s. Dominici de Trevio et s. Ptolomei de Nepete, qui ad praesens sunt vicariatus, erigimus in prioratus cum omnibus iuribus et privilegiis, quibus in ordine et provincia similes conventus frui solent. Quorum conventuum institutionem priorum pro prima vice committimus rev. magistro ordinis, et in praedicatorem generalem conventus de Trevio damus et instituimus p. lect. fr. Ambrosium Mariam Beggi, conventus vero de Nepete p. lect. fr. Vincentium Mariam Gigli.

6. Approbantes labores lecturae tum philosophiae tum theologiae per plures annos in studio generali nostro Perusino et theologiae scholasticae per 15 annos in publica Perusina universitate peractae a p. lect. fr. Ioanne Baptista Bartoccini, ipsum ad provinciae petitionem promovemus ad gradum magisterii et inter magistros provinciae cooptamus.

7. Concedimus p. lect. fr. Philippo Mariae Gonzalez gratias et privilegia magistris novitiorum concessas, qui per sex annos onus magistri novitiorum simplicium subiit, cum onere tamen illud officium prosequendi per alios sex annos.

8. Instituimus in praedicatorem generalem conventus s. Dominici Pistoriensis p. lect. fr. Vincentium Mariam Seminiati in locum actu vacantem ob mortem p. praed. gen. fr. Iosephi Fiordevilla, et in praedicatorem generalem conventus s. Iacobi Ananiae p. lect. fr. Iacobum Salvati in locum actu vacantem per mortem p. praed. gen. fr. Clementis Bellini.

9. Damus in baccalaureum ordinarium studii nostri Perusini immediate post actualem baccalaureum p. lect. fr. Iosephum Dominicum de Logos, et in magistrum studentium pro proximo septembri p. lect. fr. Hieronymum Mariam Rendina.

### Pro provincia Regni.

1. Ordinamus, ne fratres absque licentia expressa provincialis pro tempore vel prioris sui conventus acceptent quascumque conciones, ora-

tiones panegiricas vel privatos sermones in ecclesiis vel oratoriis extra ordinem.

2. Ordinamus, ut in posterum aliquis lector possit a provincia peti et approbari pro munere magistri studentium, debere cursum philosophiae sicut et theologiae legere in illis tantum conventibus, in quibus ad minimum sint duo lectores scilicet theologiae et philosophiae, et habeant talem numerum discipulorum, ut possint exercere omnes actus scholasticos tam in collationibus quam in circulis, et quod hoc exprimi debeat in literis testimonialibus expletae lecturae.

3. Declarantes ord. 3. pro hac provincia in capituto ultimo celebrato Romae 1694 factam, statuimus et concedimus, ut lectores morales conventum s. Petri Martyris et ss. Rosarii potiantur privilegiis, exemptionibus coeterisque gratiis, quibus lectores actuales, uti lectores morales collegii d. Thomae de Neapoli, gaudent, dummodo in illis conventibus huiusmodi lectores exercitia faciant sicut in collegio d. Thomae.

4. Confirmamus id, quod fuit pluries ad petitionem provinciae sancitum pro conventibus Neapolitanis, ut in capitulo generali Romae 1629 et 1644, et ad omnes conventus huius provinciae extendentes statuimus pro tota provincia, quod inter patres a consiliis post magistros et patres provinciae, qui fuerint provinciales, vocandi et admittendi sunt illi patres, qui in eodem conventu fuere priores, utpote magis versati circa ea, quae ad gubernium conventus pertinent.

5. Cum ad petitionem huius provinciae conventus noster s. Petri Martyris Neapolitani in generale studium et conventus noster ss. Rosarii eiusdem civitatis in collegium paucis ab hinc annis erecti fuissent, ac experientia provincia ipsa comprobaverit, suas vires ad praefata studia generalia non sufficere, ad eiusdem provinciae petitionem erectionem praefatam revocamus et predictos conventus ad studia materialia, ut antea erant, reducimus. Volumus autem, ut regens, baccalaureus et magister studii actuales conventus s. Petri Martyris sua munia respective in eodem conventu compleant, illisque suffragetur, ac si esset studium formale. Conventus vero ss. Rosarii baccalaureus actualis legat in eodem conventu per biennium s. theologiam, eiusque lectura pro baccalaureatu computetur; et similiter actualis magister studentium secundam theologiae lectionem per annum perlegat, eique computetur pro magisterio studentium; regentem vero praefati conventus, qui iam suo gradu magisterii fruitur, ab onere complendi triennium sui regentatus liberamus.

6. Ad eiusdem provinciae petitionem statuimus, ut novitii post completum studium philosophiae per annum integrum instruantur in arte rethoricae ecclesiasticae aut ab eodem lectore, qui philosophiam eos docet, si talem artem notorie calleat, vel ab alio, qui illos instruere possit,

ita quod debeat dictare illis praecepta et regulas per unam horam cum explicatione, de qua materia teneantur collationes habere per aliam integram horam, et omnes discipuli saltem singulis mensibus teneantur bis compositiones conficere in aliqua materia a dicto lectore designanda, ut, quidquid doctrinaliter percipiunt, opere compleant, nec toto illo anno amoveantur aut applicentur studiis aliarum materiarum, et tantum circulis philosophiae interesse teneantur et in illis argumenta reassumere; quod observari volumus usque ad sequens capitulum generale.

7. Approbamus et denuo confirmamus concessionem et extensionem numeri magistrorum provinciae usque ad 18 in aliis capitulis factam; ut autem speciale praemium correspondeat iis, qui in sancta praedicatione gloriose se exercent, ad eiusdem provinciae suarum virium consciae petitionem concedimus duo loca magisterii supra numerum 18 concessum, ad quae promoveri valeant ii, qui in munere s. praedicationis laudabiliter et cum applausu auditorum per 12 quadragesimas in civitatibus conspicuis et in pulpitis primariis se occupaverint, salvo tamen iure provinciae, hos sicut et alios magistros acceptandi.

8. Attendentes autem, p. baccalaureum fr. Hyacinthum Mariam de Petris per plures annos cum decore ordinis et quadragesimas et conciones panegiricas in praecipuis civitatibus Italiae praedicasse, ultra lecturam per plures annos exercitam, ipsum promovemus ad unum ex praefatis duobus locis magisterii concessis et magistrum provinciae titulo praedicationis declaramus.

9. Damus in regentem studii generalis nostri conventus s. Dominici de Neapoli pro triennio primo p. bac. fr. Thomam Antonium Assanti de Neapoli, in baccalaureum ordinarium pro primo biennio p. lect. fr. Angelum Vanti, pro secundo biennio p. lect. fr. Thomam Amodio; et in magistrum studentium pro primo anno p. lect. fr. Ioannem Baptistam de Rita, pro secundo p. lect. fr. Cherubinum del Pomo, et pro tertio p. lect. fr. Erasmum de Caieta.

10. Instituimus baccalaureos de loco p. lect. fr. Seraphinum Piano de Monte Murro et p. lect. fr. Nicolaum de Crescentia, et praedicatorem generalem conventus de Majuri instituimus p. lect. fr. Albertum Nicolucci in locum actu vacantem per mortem p. praed. gen. fr. Seraphini Rota.

### Pro provincia Ungariae.

1. Concedimus huic provinciae, ut provincialis possit pro unica vice rehabilitare priores et dispensare super interstitiis, attenta penuria exposita virorum, sive ad clavum regiminis sive ad alia munia adhibendorum.

2. Concedimus professoribus in studiis nostris generalibus desudantibus, sive sint huius provinciae sive Theutoniae, pro loco tamen in ori-

ginaria eorundem provincia vacante, ut convenientibus gradibus condecorentur, idque enixe rogamus rev. magistrum ordinis.

3. Magisteria titulo praedicationis ad duo reducimus et decem sint titulo lectionis, sine praeiudicio tamen illius, qui de facto est in possessione tertii magisterii titulo praedicationis; petitiones autem ad gradus fiant conformiter ad id, quod pro toto ordine statutum est Romae 1629 ord. 18.

4. Iniungimus moderno p. provinciali, ut aliquem conventum designet pro novitiis simplicibus educandis, in quo teneantur omnes recipiendi habitu ordinis indui et professionem emittere.

5. Damus in regentem studii nostri generalis Viennensis p. praesentatum fr. Carolum Emmer, praefati studii baccalaureum, ad lauream doctoralem theologiae in alma universitate Viennensi actualiter assumptum.

### Pro provincia Theutoniae.

1. Committimus ad eiusdem provinciae petitionem rev. magistro ordinis, ut agat, quatenus antiqua resurgat provincia Saxoniae distincta et separata ab hac provincia Theutoniae, ut enixe desiderant principes et episcopi illarum ditionum.

2. Promovemus ad petitionem provinciae ad gradum magisterii in locis actu vacantibus p. praesentatum fr. Bernardum Driesch, p. praes. fr. Pium Hackel et p. praes. fr. Iosephum Dusacker; et ad gradum praesentaturae in illorum locis p. lect. fr. Liborium Trainer, p. lect. fr. Dominicum Asten et p. lect. fr. Gundisalvum Rastrup.

### Pro provincia Angliae.

1. Concedimus huic provinciae omnia et singula privilegia et gratias, quae per capitula generalia pro bono regimine et conservatione provinciae Hiberniae eidem sunt concessa, benigneque haec ad provinciam Angliae extendimus cum plena eisdem utendi ac fruendi facultate.

2. Committimus rev. magistro ordinis, ut collegium Lovaniense praefatae provinciae in studium formale erigatur, si ita videbitur expedire.

3. Promovemus ad gradum magisterii p. praesentatum fr. Raymundum Greene in locum vacantem ob mortem p. mag. fr. Guilielmi Collins et fr. Dominicum Williams in locum vacantem p. mag. fr. Thomae Bianchi.

### Pro provincia Poloniae.

Confirmamus et approbamus studium generale in conventu nostro s. Hyacinthi Varsaviae a rev. magistro ordinis erectum et ex decreto generalis capituli ultimo celebrati Romae 1694 huic provinciae concessum.

### Pro provincia Aragoniae.

1. Confirmamus ordinationem in variis capitulis provincialibus huius provinciae factam et statuimus, ut nullus recipiatur ad habitum, nisi de

licentia p. provincialis in scriptis obtenta, exceptis quatuor principalioribus provinciae conventibus; iniungentes p. provinciali pro tempore, ut facilis non sit ad huiusmodi licentiam concedendam.

2. Ut malo multitudinis lectorum et studiorum cum paucitate studentium, quod provincia deplorat, possit ipsa mederi, ut petit, eidem in memoriam revocamus, quod circa numerum studentium requisitum, ut lectoribus lectura valeat pro gradibus obtinendis, in variis capitulis generalibus, praesertim Parisiis 1611 et Valentiae 1647, pro hac provincia sancitum est et a moderno magistro ordinis in specialibus ordinationibus innovatum; et ad huius faciliorem observantiam iniungimus moderno superiori provinciae, ut lectores et studentes, praesertim theologiae, omnino amoveat a conventibus, in quibus non est studium generale, ut numerus praescriptus possit studiis generalibus assignari.

3. Conformiter ad ord. 7. pro hac provincia factam in capitulo generali Romae 1670 declaramus, quod praesentati numerales sive titulo lectionis sive praedicationis debent praecedere supernumerarios, si qui sint sive titulo lectionis sive titulo praedicationis; praesentati vero supernumerarii utroque titulo debent tenere locum inter se secundum antiquitatem suae promotionis, sicut hunc ordinem observant numerales.

4. Confirmamus et specialiter innovamus ea, quae a moderno magistro ordinis pro bono regimine et incremento regularis observantiae et studiorum huius provinciae saepius ordinata sunt, quae tanquam in iis actis expressa volumus inviolabiliter observari.

5. Cum ad instantiam praeteriti provincialis et graviorum patrum provinciae suspensa fuerit a magistro ordinis celebratio capituli provincialis electivi, quae debebat fieri sabbato ante dominicam « Deus qui errantibus » proxime praeteritam, donec aliter per ipsum provisum fuerit, declaramus, ut priores, qui sui officii triennium infra septuagesimam expleverunt vel postea terminabunt, a suo officio intelligantur amoti et conventus ad novi prioris electionem procedant. Similiter possunt patres vocales per assignationem a conventibus amoveri durante vacantia provincialatus.

6. Attendentes motiva, quae a praedictis exposita sunt magistro ordinis, ut de gubernio provinciae provideret, ob impossibilitatem celebrationis capituli per multum tempus duraturam, committimus eidem magistro ordinis, ne provincia diutius absque provinciali permaneat, ut auctoritate sui officii et praesentis capituli generalis provincialem quantocius instituat ac nominet, quem in domino iudicaverit expedire; dispensando etiam, si opus fuerit, super lege alternativae in hac provincia stabilitae.

7. Acceptantes et approbantes lecturam plusquam 20 annorum s. theol. in universitate Valentina p. praes. fr. Vincentii de Blanes in illa linguae sanctae perpetui moderatoris, ipsum promovemus ad gradum ma-

gisterii in locum actu vacantem pro rata filiorum regni Valentiae per mortem p. mag. fr. Ludovici de Blanes; et ad praesentaturam, quam titulo praedicationis habebat de numero pro rata filiorum praefati regni praedictus p. praes. ad magisterium assumptus, promovemus p. praed. gen. fr. Iosephum de Agremunt cum retentione suae praedicaturae.

**Pro provincia Bohemiae.**

1. Ordinamus et stricte praecipimus priorissis trium monasteriorum sanctimonialium in dicta provincia sub cura nostra degentium, ut sororibus suis de more et consuetudine provinciae annuum praebeant vestiarium, ita ut eis in victu et vestitu eadem necessitate et honestate, uti fratribus consuetum est, provideatur.

2. Pro pace et quiete praefatorum monasteriorum statuimus, ut in illis vidua non recipiatur ad habitum sine licentia expressa magistri ordinis; nec in posterum plures recipiantur moniales, quam permittat numerus cellarum, ut unaquaeque in sua possit habitare.

3. Declaramus, praefata monasteria sanctimonialium non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus nostrae curae esse subiecta; quapropter statuimus, ut in singulis angariis ab eorum vicariis revideantur ratiocinia oeconomiae exhibenda a capitaneis, monasteriorum bona, villas et oeconomiam ruralem administrantibus, et in annua visitatione a p. provinciali visitentur, universalesque computus conventus et oeconomiae de more solito approbentur.

4. Ordinamus, ut nullus permittatur publicas conciones facere, nisi completo studio theologiae prius examinetur in aliquo studio generali.

5. Ad provinciae petitionem transfiliamus p. fr. Dominicum Negedli a conventu suo originali Nimburgensi ad conventum s. Aegidii Pragensem et huic incorporamus cum omnibus gratiis et iuribus, quibus filii dicti conventus gaudent.

6. Commendamus in nostrae gratitudinis signum munificentissimam liberalitatem quondam excellentissimi d. d. comitis Francisci Antonii de Berka, qui propriis sumptibus conventui Iablonensi magnificam extruxit basilicam, ipsumque admittimus ad omnia ordinis suffragia, atque iniungimus moderno provinciali, ut pro eius anima per omnes conventus provinciae anniversarium solemne celebrari faciat, et quilibet sacerdos dicat unam missam.

7. Ad petitionem eiusdem provinciae committimus magistro ordinis, quatenus conventus Silesiae ad provinciam Poloniae nunc pertinentes, auditis patribus provinciae praefatae, incorporet huic provinciae Bohemiae, si ipse ita in domino iudicaverit expedire.

8. Promovemus ad gradum praesentaturae vacantis per mortem p. praesentati fr. Cornelii Perger p. lect. fr. Wenceslaum Fikelscher, et ad

eundem gradum vacantem per mortem p. praesentati fr. Lucae Lire p. lect. fr. Wenceslaum Lew.

## Pro provincia Provinciae.

1. Iniungimus p. provinciali moderno, ut pro suo zelo et conscientia in conventibus promoveat regularem observantiam tum abstinentiam a carnibus tum perfectam bonorum omnium communitatem fovendo, et in quibus tam abstinentia a carnibus quam perfecta bonorum omnium communitas stabilita nondum est, eas omni sollicitudine stabilire ac promovere satagat; invigiletque, ut in conventibus, in quibus iuvenes ad habitum ordinis recipiuntur et ad professionem emittendam probantur, in iis perfecta observantia secundum constitutiones nostras vigeat, ut in capitulis generalibus ac moderno etiam constitutum est.

2. Cum in hoc capitulo generali graves poenae renovatae sint contra fratres, qui famam fratrum nostrorum denigrant aut defectus eorum revelant, qui tales inventi fuerint, poenis in hoc capitulo inflictis subiiciantur.

3. Confirmamus specialiter pro hac provincia, quae in capitulis generalibus statuta sunt circa priores, qui sex fratres absque sua culpa alere non possunt, penisque subiicimus fratres, qui sub hoc praetextu electiones priorum provincialium perturbare praesumunt; quas protestationes nullas ac frivolas dicimus.

4. Iniungimus moderno provinciali, ut in conventibus parvis de numero fratrum provideat, quatenus in iis divinum possit in choro recitari officium, quodque in omnibus conventibus devote ac pie horis constitutis persolvatur, prout in rubricis ac ritu nostro statutum est.

## Pro provincia Dalmatiae.

1. Nullum novitiorum studiorum causa a provinciali pro tempore in alienam provinciam mitti volumus, nisi prius de literis ac moribus in consilio patrum conventus Iadrensis fuerit approbatus.

2. Ad instantiam provinciae utriusque Lombardiae inhibemus provincialibus et prioribus pro tempore huius provinciae Dalmatiae sub poena absolutionis ab officio, ne recipiant ad habitum iuvenes Italos, eosdem statim professos ad praefatam provinciam Lombardiae mittendos, ut perperam atque praepostere fieri solebat.

3. Ordinamus, ne ullus possit eligi in priorem conventus Iadrensis, ubi viget studium generale, qui per aliquot annos in lectura philosophiae et theologiae non se exercuerit; quod si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

4. Ordinamus, quod nullus gaudere possit privilegiis lectoribus et praedicatoribus generalibus concessis, nisi prius in studio generali Iadrae examen subeat et contributionem praestet taxatam pro manutentione eiusdem studii.

## Pro provincia Trinacriae.

1. Ordinamus et inviolabiliter observari volumus, ut non ponantur studia in conventibus, in quibus novitii professi studentes non possunt habitare in dormitorio separato a dormitoriis patrum et conversorum, et quod habeat suam ianuam sera claudendam, prout in nostris constitutionibus conformiter ad decreta apostolica de novitiorum instructione statuitur. Quapropter studia prohibemus collocari in conventibus parvis et sine debitis officinis, qui actualiter fabricantur vel restaurantur, quia collapsi per terraemotus.

2. Amovemus intolerabilem abusum assignandi duobus lectoribus unum tantum studentem, sed quilibet lector sive theologiae sive philosophiae pro sua lectione habet quatuor vel ad minus tres studentes; nec assignari volumus in aliquo conventu minus quam quatuor vel tres novitios professos.

3. Admonemus, ut in conventibus, in quibus fuerunt aliquando studia generalia vel collegia vel novitiatus, non eligantur in priores, qui per aliquot annos theologiam non legerint vel alterius non fuerint conventus priores vel non sint praedicatores generales, prout pro conventibus, in quibus actu sunt studia generalia vel collegia vel novitiatus, fuit admonitum in capitulo generali Romae 1686.

4. Declaramus, alternativam ad recipiendos hospites ex alienis regnis advenientes Messanam, quae servatur inter duos conventus eiusdem civitatis, esse in posterum sic observandam, ut uno anno incipiat in mense ianuario a conventu s. Dominici et anno sequenti incipiat mense ianuario a conventu s. Hieronymi, et sic semper alternatim successive.

5. Concedimus, ut in civitate Carloleontinorum per duo milliaria supra conventum nostrum Leontinorum propter aeris perfectionem et salubritatem, et ut votis illius civitatis officialium ordini nostro bene affectorum satisfiat, possit fundari hospitium pro nostris religiosis.

6. Confirmamus, quod in capitulo Romae 1686 ordinatum fuit in favorem lectorum publicorum philosophiae et theologiae conventus nostri s. Iosephi Acis regalis, rogantes magistrum ordinis, ut tales lectores specialiter attendat pro officiis studiorum generalium.

7. Votis ill. d. d. fr. Francisci Ramirez, archiepiscopi episcopi Agrigentini, ex ordine nostro assumpti et de ipso optime meriti, et ipsius zelo pro promovenda angelici nostri doctoris doctrina satisfacere, ut par est, volentes, ad petitionem provinciae concedimus nostris lectoribus, qui in seminario Agrigentino, postquam fuerint examinati et approbati ad officia studiorum generalium coram magistro ordinis, secularibus per octo annorum spatium perlegerint, ut gaudeant meritis, ac in studiis generalibus officium magistri studentium et baccalaurei ordinis exercuissent.

8. Ad petitionem provinciae extendimus numerum praedicatorum generalium, qui solum erat viginti unius, ad viginti quatuor; et pro his tribus locis additis damus in praedicatores generales rr. pp. lectores fr. Michaelem Angelum Favazzi pro conventu s. Vincentii Castaniae, fr. Alphonsum Mariam Alossa et Burgio pro conventu designando in primo capitulo provinciali, et fr. Ludovicum Santonoceto pro conventu s. Vincentii Thermarum.

9. Damus in regentem studii generalis s. Dominici Panormi pro primo biennio p. bac. fr. Nicolaum Hellul, pro secundo p. bac. fr. Henricum Chiaramonte, in bac. ordinarium pro primo biennio p. lect. fr. Petrum Franciscum Castelli, pro secundo p. lect. fr. Thomam Pellizzi, et in magistrum studentium pro primo biennio p. lect. fr. Petrum Mayorana (1), pro secundo p. lect. fr. Thomam Pissimenti.

10. Damus in regentem studii generalis s. Dominici Messanae pro primo biennio p. bac. fr. Hyacinthum Guerrera, pro secundo p. bac. fr. Placidum Core; in baccalaureum ordinarium pro primo biennio fr. Vincentium Anfossi, pro secundo p. lect. fr. Dominicum Mariam Isola, et in magistrum studentium pro biennio p. lect. fr. Hyacinthum de Natali, pro secundo p. lect. fr. Vincentium Mariam Calabresi.

11. Damus in regentem collegii s. Dominici Drepani pro primo biennio p. bac. fr. Hieronymum Mariam Gallicia, pro secundo p. bac. fr. Thomam Russo; in baccalaureum ordinarium p. lect. fr. Carolum Lercaro, pro secundo p. lect. fr. Ioannem Sortino, et in magistrum studentium pro primo biennio p. lect. fr. Ioannem Vincentium la Rocca, pro secundo p. lect. fr. Vincentium Paula.

12. Instituimus baccalaureum de loco in locum actu vacantem p. lect. fr. Thomam Avegna; et concedimus p. fr. Thomae Parlatore privilegia magistri novitiorum iuxta formam capitulorum generalium, cum laudabiliter in eorum educatione per annos praescriptos laboraverit.

### Pro provincia Portugalliae.

Confirmamus erectionem conventus nostri de Porto in studium generale a rev. magistro ordinis ad petitionem provinciae factam.

### Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Concedimus huic provinciae facultatem magistros studentium instituendi; provincialibus similiter concedimus facultatem instituendi patres a consiliis, ita tamen ut non instituant ultra numerum duodenarium.

2. Statuimus, priores cum consilio patrum posse instituere magistrum conversorum, qui alias non sit supprior; volumus tamen, quod

(1) De fr. Petro Mayorana cf. SSOP. II, 796.

ad illud munus eligatur, qui sit pater a consiliis et ad minus 40 annorum et qui iam prius legitimo titulo a sequela chori nocturni exemptus sit; non enim volumus, quemquam eo solo praetextu, quod sit magister conversorum, a choro eximi.

3. Concedimus, quod petitiones provinciae quoad gradus fiant, sicuti pro hac provincia ordinatum est in capitulo generali Romae 1644, conformiter ad id, quod prius fuerat pro toto ordine ordinatum in capitulo generali Romae 1629; declaramus tamen super huiusmodi petitione posse magistrum ordinis dispensare, sicut et super iuribus et privilegiis provinciarum, ut declaratum fuit in pluribus capitulis generalibus.

4. Concedimus, ut numerus ordinarius magistrorum, licentiatorum et baccalaureorum seu praesentatorum non excedat pro qualibet natione numerum quaternarium; poterit tamen pro qualibet natione ex magistri ordinis gratia superaddi unus magister; licentiati autem aut praesentati non superaddantur.

5. Statuimus, ut numerus patrum a consiliis non excedat numerum duodenarium; similiter, ut patres non confessarii non admittantur ad mensam patrum a consiliis.

6. Pro devotione ss. Rosarii promovenda statuimus et ordinamus, ut in omnibus conventibus publice rosarium recitetur cum assistentia unius religiosi, qui mysteria contemplanda explicet, saltem ter in hebdomada; ubi vero sic recitatur singulis diebus, servetur usus.

7. Pro bono regimine nostri conventus Antverpiensis ordinamus, ut eiusdem sindicus et sacrista teneantur singulis trimestribus suos reddere computus coram patribus a consiliis.

8. Continuamus in regentem studii nostri generalis Lovaniensis per biennium r. adm. p. fr. Hyacinthum de Baets actualem regentem et praesentis capituli diffinitorem, et p. fr. Augustinum d' Elbecque in suppriorem conventus Braniensis ad aliud biennium.

9. Reassignamus p. fr. Ioannem Delmotte conventui suo Montensi et illum instituimus procuratorem eiusdem conventus, ut possit felicius fabrica ecclesiae promoveri.

10. Suspendimus studium philosophicum conventus nostri Mosae Traiectensis, donec de eo plenius informatus sit rev. magister ordinis; permittimus autem, ut in conventu nostro Namurcensi philosophicus cursus instituatur pro iuvenibus ibidem existentibus.

### Pro provincia Apuliae.

1. Ordinamus, quod in conventibus Barensi, Melfitensi, s. Mariae Magdalenae Brundusii, Tranensi, Foggiarum, Castellanetensi, Vigiliensi et Bituntino possint eligi et assumi in priores etiam ii, qui actu in aliis conventibus minoribus prioratus munus exercent.

2. Concedimus, ut conventus noster s. Mariae de Constantinopoli Terrae Pali gaudeat titulo prioratus sine voce, et pro prima vice instituimus in priorem illius p. lect. fr. Ludovicum de Mola, vicarium illius actualem.

3. Ordinamus et sub poena absolutionis ab officiis et inhabilitatis ad illa stricte mandamus omnibus prioribus conventuum, ubi sunt novitii professi, ut non permittant novitiis vitam communem, quam professi sunt in anno probationis, in aliquo relaxare.

4. Acceptamus in civitate Iuvenacii conventus fundationem a quondam ill. d. Iosepho Bonhomo, ecclesiae cathedralis primicerio, in suo ultimo testamento relictam et singulari zelo ac amore erga ordinem ill. et rev. d. d. fr. Hyacinthi Chiurlia, eiusdem civitatis episcopi ex ordine nostro assumpti, executioni iam demandatam, et in nostrae gratitudinis signum ill. d. fundatorem ad suffragia omnia ordinis admittimus eiusque animam orationibus fratrum commendamus. Ill. etiam d. episcopo totius religionis nomine grates impendimus enixeque rogamus, ut curam fabricae, quam sibi ipse pro sua benignitate imposuit, non omittat, donec ad finem desideratum perveniat.

5. Cum pro hac provincia statutum sit, ut priores conventuum, qui suis prioratibus renuntiaverint, non possint eligi vel assumi in priores aliorum conventuum, nisi per aliquod tempus vacaverint, declaramus, debere vacare tanto tempore, quanto debuerit in prioratu renuntiato perseverare, et sic volumus intelligi atque declaramus intelligendas esse ordinationes super hoc a capitulis generalibus factas.

6. Admonemus, non esse in potestate priorum novitios professos a provinciali missos non recipere, immo iniungimus p. provinciali, ut omnino ipsos priores compellat ad illos recipiendos, si alias iudicaverit conventus sufficientes habere facultates, ut illos alant.

7. Ordinamus, ut pro mensura viatici fratribus assignandis dandi a conventibus, a quibus removentur, dentur duo grana pro quolibet milliario usque ad conventum, cui assignantur, ut iam in ea provincia stabilitum est et executioni demandatum.

8. Approbamus, prout ipsa provincia petit, collectam fieri seu contributionem a quolibet conventu huius provinciae solvendam ad summam usque trium aureorum de moneta regni Neapolitani, qua augeantur contributiones persolvendae a provincia magistro ordinis et procuratori generali ordinis ac provinciali eiusdem provinciae pro tempore; sitque stabilitum, ut ex hoc novo augmento addantur contributioni, quam solvit provincia magistro ordinis pro literis, 20 scuta monetae Romanae ultra id, quod hucusque solita est solvere; procuratori vero generali ordinis solvat pro literis scuta Romana 13 et 8 iulios.

9. Approbantes et commendantes zelum huius provinciae in promovenda angelici doctoris doctrina, cuius patrocinio specialiter est innixa, concedimus ad eius petitionem, ut lectores, qui functi sunt per septem annos officio lectoratus philosophiae et theologiae et postea fuerint examinati et approbati a magistro ordinis ad officia studiorum generalium, si contigerit vocari ad lecturam philosophiae ac theologiae in seminariis secularium Monopolitano, Barensi, Neritonensi ac Tarantino in gratiam ill. illarum ecclesiarum praelatorum, salutarem doctrinam divi Thomae pro suis ovibus sollicitantium, et per octo annos laboraverint legendo in supradictis seminariis, gaudeant meritis, ac si in studiis generalibus magistri studentium et baccalaurei ordinarii munera subiissent.

10. Ad huius provinciae petitionem extendimus numerum praedicatorum generalium usque ad 22, et pro sex praedicaturis noviter concessis instituimus in praedicatores generales ad provinciae petitionem pp. fr. Antoninum de Conversano pro conventu de Aquaviva, fr. Dominicum Mariam Goffredi pro conventu Medunei, fr. Dionysium Galbano pro conventu Neritonensi, fr. Ioannem Thomam Bardaro pro conventu de Galatone, fr. Petrum Martyrem Majulari pro conventu de Bitunto et fr. Antoninum Christophoro pro conventu s. Mariae Magdalenae de Brundusio.

11. Damus in regentem studii generalis conventus s. Ioannis de Ayme Liciensis p. mag. fr. Thomam Sarnelli, in baccalaureum ordinarium pro primo triennio p. fr. Dominicum Mariam Lafratta, pro secundo p. lect. fr. Petrum Paulum Moya, et in magistrum studentium pro primo biennio p. lect. fr. Urbanum Giannelli de Troya, pro secundo p. lect. fr. Thomam de Ostunio.

12. Damus in regentem conventus nostri de Barulo p. mag. fr. Dominicum Maggiore, in baccalaureum ordinarium pro primo triennio p. lect. fr. Franciscum de Monterone, pro secundo p. lect. fr. Dominicum Cyani, et in magistrum studentium pro primo biennio p. lect. fr. Antoninum Villagomez, pro secundo p. lect. fr. Vitum Iacovone de Matera.

13. Promovemus ad gradum magisterii pro octo locis actu vacantibus de numero provinciae rr. pp. fr. Dominicum Favale, fr. Thomam Sarnelli, fr. Dominicum Maggiore, fr. Hyacinthum Amone, fr. Leonardum Melpignani, fr. Alexandrum Mariam Pepe de Altamura, fr. Aloysium Core et fr. Thomam Carignani.

### Pro provincia Calabriae.

1. Ordinamus, ut fratres conversi, antequam ad annum probationis admittantur, per sex saltem annos vel per annos quatuor, si in conventibus novitiatus simplicis eos morari contigerit, in habitu tertiariorum permaneant, prout in capitulo generali Valentiae 1647 fuit ordinatum; et singulis annis fiat de eorum vita et moribus scrutinium per vota se-

creta a patribus a consiliis, et si ad religionem non inveniantur idonei, consulto p. provinciali a religione expellantur; si vero bonis moribus sint praediti, detur eis fides iurata de vita et moribus a singulis conventibus, in quibus commorati sunt, sine qua ad annum probationis non admittantur iuxta ordinationem a moderno magistro ordinis editam; similiter ad tunicam ordinis non admittantur sine licentia magistri ordinis in scriptis obtenta, quae debeat patribus a consiliis manifestari et in libro consiliorum registrari sub poena nullitatis receptionis.

2. Confirmamus, quod a pluribus magistris ordinis fuit ordinatum, et inviolabiliter observari volumus, ut subditi temporali iurisdictioni conventus s. p. n. Dominici in Suriano ad habitum nostri ordinis non recipiantur, nisi de licentia magistri ordinis pro tempore speciali.

3. Ordinamus, ne transfiliationes fraudulenter fiant, ut in posterum absente maiori parte filiorum conventus sive a quo sive ad quem, transfiliationes fratrum non fiant.

4. Concedimus eidem provinciae, ut prior pro tempore conventus s. Mariae Gratiarum de Cutro nuper a s. congregatione super disciplina regulari pro rigorosa observantia destinati, dummodo haec perseveret, gaudeat loco et voce in capitulo provinciali, et conventus suum habeat praedicatorem generalem, et talem instituimus pro dicto conventu p. fr. Dominicum de Cassano.

5. Similiter ad petitionem provinciae conventum ss. Rosarii Flumariae de Muro erigimus in prioratum cum loco et voce in capitulo provinciali, et pro prima vice in priorem illius instituimus p. fr. Antoninum Saletta, actualem illius vicarium, et in praedicatorem generalem instituimus p. fr. Thomam Saletta.

6. Ad petitionem provinciae in gratiam ill. d. d. Dominici Bernardini, episcopi Militen., de nostro ordine et provincia bene meriti, concedimus p. lect. fr. Paulo Reale provinciae Apuliae, qui s. theologiam legit in seminario episcopali Militen., eandem gratiam, quae pro similibus lectoribus ad petitionem suae provinciae Apuliae praesenti capitulo generali concessa est et sub iisdem conditionibus.

7. Confirmamus, prout iam confirmatum et innovatum fuit in capitulo generali Romae 1670, ut fratrum defunctorum vestimenta tam exteriora quam interiora spectent et mittantur ad novitiatus simplices Altimontis et s. Georgii, Calabriae nempe citerioris ad conventum Altimontis, et ulterioris ad conventum s. Georgii, ut deserviant iuvenibus habilibus, qui in ingressu religionis de seculo vestimenta non deferunt, cum aliunde tales conventus ob reddituum tenuitatem illis subministrare non possint; praecipientes omnibus et singulis prioribus vel conventuum praesidentibus, ut prompte et fideliter omnia vestimenta fratrum, quos

in suis conventibus mori contigerit, mittant aut consignari faciant ad novitiatus supradictos, fidem a magistro novitiorum accipiendo, quam provincialis in sua visitatione perquirat, et contravenientes huic ordinationi a suis officiis absolvat.

8. Ordinamus, studentes novitios tam philosophiae quam theologiae non minus quam quatuor destinari in conventu, ubi a provinciali aliquis lector pro illis instituitur.

9. Promovemus ad gradum magisterii in duobus locis ex octo actu vacantibus rr. pp. baccalaureos fr. Dominicum Gentile et fr. Dominicum de s. Angelo, baccalaureos de loco in locis vacantibus instituimus p. lect. fr. Dominicum de s. Onuphrio et fr. Thomam Ferrari de Altilia; instituimus denique praedicatores generales in locis actu vacantibus p. fr. Ioannem Baptistam Grimaldi de Seminara pro conventu de Seminara et p. fr. Dominicum Grimaldi de Monte alto pro conventu de Bisignano.

10. Damus in regentem studii generalis conventus nostri Cosentini p. fr. Dominicum Basile, in baccalaureum ordinarium p. fr. Thomam Bartholi, et in magistrum studentium pro primo biennio p. lect. fr. Vincentium Prezza ab Amigdalaria, pro secundo p. lect. fr. Antonium Giancotti.

11. Damus in regentem collegii nostri Regii p. lect. fr. Antoninum Piccine, in baccalaureum ordinarium p. lect. fr. Hyacinthum Leuzzi, et in magistrum studentium pro primo biennio p. lect. fr. Ludovicum Pucci, pro secundo p. lect. fr. Albertum Aloysium de la Saracena.

12. Damus in theologiae lectores conventus s. p. n. Dominici in Suriano pro prima vacantiae occasione pp. lectores fr. Albertum Gallo et fr. Ludovicum Fagnani, quibus concedimus, ut huiusmodi lectura valeat ipsis, ac si magisterium studii exercerent in studio generali.

13. Attendentes p. lect. fr. Thomam Gentile, postquam per plures annos philosophiam et theologiam perlegerit in ordine nostro et coram magistro ordinis approbatus fuerit ad officia studiorum generalium, cum habitus nostri decore et patrum Cisterciensium fructu in eorum monasterio Calabriae theologiam perlegisse et legere, lecturam hanc acceptamus, ac si magistri studentium officium exerceret in aliquo studio generali.

### Pro provincia Hiberniae.

1. Concedimus pro pace electionum provincialis et rectoris collegiorum huius provinciae et ordinamus alternativam quatuor provinciarum, ex quibus componitur, et sic provinciales et collegiorum rectores in posterum alternative eligantur ex quatuor nationibus, dummodo digni et habiles ibi reperiantur; studentes autem promiscue in studiis recipiantur citra ullam particularitatem nationum, idque sub poena absolutionis ab officiis praelatis contrarium molientibus iubemus.

2. Rogamus rev. magistrum ordinis, ut, supposita haece provinciarum aequalitate, alumni respective uniuscuiusque dictorum collegiorum praeponantur alumnis aliorum tam in officio lectoratus quam in aliis muneribus in respective collegio, cuius sunt alumni.

3. Ordinamus, sicut fuit ordinatum a rev. de Marinis et confirmatum a ss. d. n. Alexandro papa VII., ut rector collegii Ulysipponensis et vicarius monasterii monialium Boni Successus eiusdem civitatis praefatae provinciae sint semper religiosi Hiberni.

4. Ordinamus, ut in praefato collegio Ulysipponensi instituatur cathedra scripturae sacrae et controversiarum pro collegialibus missionariis, cuius moderatores sint, qui ad minus per tres annos theologiam docuerunt, cum assistentia p. regentis pro tempore, et his moderatoribus locum damus in scholis post baccalaureum.

5. Declaramus, numerum quadragenarium pro monialibus Boni Successus regulatum a rev. de Marinis et confirmatum a ss. d. n. papa Innocentio XI. debere intelligi de nobilibus Hibernis, includendo tamen quatuor loca fundatricis; extraordinarias vero vel extranumerarias Lusitanas, quae titulo eximiae dotis vel eleemosynae in praefato monasterio recipiuntur, nullatenus praeiudicare dicto quadragenario Hibernarum numero.

6. Ordinamus, sicut pro toto ordine saepius ordinatum est, ut confessarii dicti monasterii ultra triennium non continuentur sine speciali licentia magistri ordinis, sintque semper religiosi Hiberni ex maturioribus et bene versatis in lingua Hibernica, Anglica et Lusitana.

7. Hortamur in Domino provinciales et priores locorum aliarum provinciarum, ut benigne tractent viros religiosos, quos collegium Lovaniense in alienas provincias quaestus causa mittit, neque ipsis sint impedimento ad collectas peragendas.

8. Ut qui totam pene vitam in missionibus Hiberniae agunt, dignis honoribus compensentur, concedimus eidem provinciae ad sui petitionem quatuor magisteria et tòtidem praesentaturas titulo praedicationis, et ad magisteria promovemus pp. fr. Antoninum Mac Guier, fr. Dominicum Mac Gennis, fr. Antonium O Connor et fr. Dominicum O Carol; ad praesentaturas vero pp. fr. Hugonem Mac Donogh, fr. Hyacinthum Grace, fr. Dominicum Mony et fr. Ioannem Cani.

9. Promovemus ad gradum magisterii titulo lectionis pp. praesentatos fr. Ludovicum O Garuan, fr. Ioannem O Preine, fr. Christophorum Frenche, fr. Edmundum Burke et fr. Petrum Mac Dermott; et loco illorum instituimus praesentatos p. fr. Ioannem Roche, fr. Christophorum Connel, fr. Thomam Kennedii, fr. Ioannem Morreè et fr. Ioannem Magheè.

## Pro provincia Mexicana.

1. Confirmamus erectionem domorum s. Ioannis Baptistae de Cujoacam, s. Dominici Oaxtepech, assumptionis b. Mariae de Amecamecca, ss. Philippi et Iacobi de Ascapotzalco, s. Dominici de Taquiltenango et s. Iacobi de Quautla in prioratus, ad provinciae petitionem a magistro ordinis factam.

2. Concedimus eidem provinciae, ut electiones dictorum priorum et aliorum conventuum, qui simul sunt parochiae, fiant in praecipuo regali Mexicano conventu a p. provinciali et duodecim antiquioribus patribus, sicut antiquitus fiebat ex apostolica concessione f. r. ss. d. n. Alexandri papae VII. Quod etiam extendimus ad electiones priorum conventuum de Queretaro et s. Ioannis del Rio ob illorum distantiam a civitate Mexicana; declarantes electiones praefatas debere esse canonicas.

3. Declaramus, officia socii p. provincialis seu superioris provinciae et procuratoris generalis provinciae eximere praedicatores generales a residentia in conventibus suae praedicaturae ita, ut dum illa exercent, possint habere vocem in capitulis provincialibus, licet non resideant.

4. Confirmamus ordinationem factam in capitulo provinciali huius provinciae anno 1697 celebrato et ordinamus, ut ad subdiaconatus ordinem suscipiendum, qui artium cursu completo s. theologiae saltem per unum annum non studuerit, ad diaconatus vero ordinem, qui eodem philosophiae curriculo peracto theologiam per duos annos non audierit, ad presbyteratum autem, qui post artium studium theologiae operam non dederit per triennium, omnino inhabiles ad praedictos ordines habeantur; quod inviolabiliter observari volumus.

5. Confirmamus etiam ord. 8. eiusdem capituli, nempe ut suppetant, qui Indorum populis sacramenta ministrent, Mexicani idiomatis cathedram in Mexicano conventu assidua exerceri lectione.

6. Et ut qui Mexicani idiomatis lectioni per septem annos vacaverit, praesentaturae gradu decoretur, et qui per annos duodecim, magisterii laurea insigniatur. Concedimus eidem provinciae ad sui petitionem ultra numerum graduum eidem concessorum unum gradum magisterii et alterum praesentaturae titulo lectionis idiomatis Mexicani pro illis, qui per tempus supradictum respective eidem lectioni operam dederint.

7. Restituimus huic provinciae quinque praedicaturas generales, quas auctoritate apostolica eidem concessit em. Galaminius, ipsasque volumus esse pro linguis et titulo linguarum conferri; et ut lex alternativae in his etiam possit melius observari, illas extendimus ad numerum senarium, et in praedicatores generales illarum instituimus pp. fr. Ludovicum de Guzman ex natis in Hispania, fr. Franciscum Tovar, fr. Michaelem de la Cruz, fr. Antonium de Villalobos Ahumada, fr. Franciscum Ryoxa et fr. Ioannem de Roxas ex natis in India.

## Pro provincia Peruana.

Cum experientia monstraverit, quanta mala et provinciae et ordini illata sint ex multitudine procuratorum ab hac provincia in Europam missorum et ex longa illorum mora, qua in Europa absque iusta causa detinentur, ordinamus et inviolabiliter observari mandamus, quatenus provincia non mittat procuratorem ob motivum deferendi decretum electionis provincialis vel ob aliud simile, sed solum quando provinciae urget aliquod negotium grave in Europa peragendum, et quod tale iudicatum sit per vota secreta a maiori parte omnium patrum magistrorum provinciae Limae existentium, de quo procurator deferat fidem autenticam ab illis subscriptam; quod fieri prohibemus sub poena privationis graduum, officiorum ac utriusque vocis incurrenda tam ab illis, qui aliter procuratorem mittent, quam ab ipso misso; et sub eisdem poenis praecipimus procuratori sic legitime misso, ut negotio peracto prima nactus occasione, quam expectare debeat in aliquo ex conventibus provinciae Bethicae, qui in locis maritimis existunt, in suam provinciam redeat.

## Pro provincia de Chiapa et Guatemala.

1. Huic provinciae ad sui petitionem restituimus facultatem, ut illius conventus possint eligere socium prioris euntis ad capitulum provinciale, servatis tamen, quae pro huiusmodi electione in nostris constitutionibus et actis capitulorum generalium stabilita sunt.

2. Ad petitionem similiter provinciae erigimus conventum nostrum Civitatis Regalis in studium generale illius; volumus tamen, ut lectores ibi legentes teneantur pro gradibus obtinendis ad minus per biennium theologiam legere in conventu s. Dominici de Guatemala.

3. Concedimus huic provinciae ad sui petitionem sex praedicaturas generales titulo linguarum, videlicet pro Guatemala pro lingua Kahchiquel, pro lingua Quiche, pro lingua Pocoman et pro lingua Mexicana; pro Chiappa pro linguis Cocin et Cendal et pro lingua Coque.

## Pro provincia Occitana.

1. Usum ac laudabilem consuetudinem in hac nostra provincia introductam, qua nullus praecedit suppriorem, nisi sit magister, approbamus; et cum in hac provincia non sint licentiati, sed solum baccalaurei, etiam si tempus regentiae in studio generali expleverint, declaramus, quod huiusmodi baccalaurei suppriores praecedere non debent.

2. Iniungimus p. provinciali pro tempore, quod promoveat regularem disciplinam in omnibus conventibus et praecipue in conventibus, in quibus novitii in anno probationis educantur et in conventibus, in quibus professi instruuntur in studiis philosophiae et theologiae, praesertim in studio generali Aginensi, in quibus omnibus studiis et novitiatibus

observantiam secundum etiam rigorem constitutionum nostrarum servari mandamus; et si priores pro tempore negligentes fuerint, eorum negligentia per provincialem ab officiis suspensione puniatur; et si moderatores aut lectores studiorum laxitati occasionem dederint, prius admoniti una vel altera vice, lectura priventur et ad gradus nullo modo promoveantur, studentesque compellantur ad eandem observantiam et semper sint sub cura magistri novitiorum, qui ad eorum regimen sedulo invigilet nec sinat eos per conventum vagari, sed horis studii in cellis se contineant.

3. Iniungimus moderno provinciali, ut in conventibus parvis, qui nondum restaurati sunt, quantum fieri poterit, de sufficienti numero fratrum provideatur, qui devote ac religiose pro more ordinis et ritu nostro horis constitutis divinum in choro persolvant officium.

**Pro provincia Venetiarum.**

1. Confirmamus omnes ordinationes pro hac provincia in capitulis generalibus Romae 1670 et 1694 sancitas necnon omnes alias sive conventuum provinciae sive studii generalis Patavini a moderno magistro ordinis in actuali visitatione eiusdem provinciae factas, quas omnes, utpote dictae provinciae ac studio valde utiles, exequutioni mandari volumus.

2. Ordinationem tamen 20. pro studio Patavino declarando statuimus, quod quatuor ultimi studentes formales teneantur exercere hebdomadariam, non solum quando numerus studentium est completus, sed semper, etiam si essent tantum quatuor vel tres; et pariter omnes quatuor teneantur adesse choro; et quando unus ex studentibus officio hebdomadarii fungitur, alius ex studentibus officium diaconi faciat, exceptis tamen diebus, in quibus publici professores, nempe theologus et metaphysicus publicas lectiones habent in universitate; declaramus enim, quod tunc non omnes quatuor, sed ille dumtaxat, qui hebdomadarii officio fungitur in choro, ad omnes horas tenebitur; nec in dictis diebus poterit aliquis studentium assumi ad officium diaconi, sed omnes studentes formales praeter illum solum, qui hebdomadarius erit, debeant et teneantur associare seu comitari publicos professores et eorum publicis lectionibus adesse.

3. Cum in proxime praeterito capitulo generali Romae 1694 commissum fuerit moderno magistro ordinis, ut pro iustitia et conscientia sua cogat conventus congregationis b. Iacobi Salomonii ad solvendas solitas contributiones pro celebratione capituli provincialis, etiam quando illorum priores ad illud non accedunt, in praesenti decernimus et statuimus, quod huiusmodi contributiones solvant conventus Civitatensis cum Rosaciensi vicariatu, Parensis, Iustonopolitanus et s. Secundi, qui

primitus, antequam erigeretur dicta congregatio, erant iam provinciae; quos p. provincialis ad solutionem cogere poterit, sicut, quando aderant, faciebat.

4. Cum in hoc capitulo generali ordinatum fuerit, quod omnibus Italiae provinciis taxaretur aliqua determinata summa solvenda p. procuratori generali ordinis pro literis per cursores missis, et pro hac provincia taxata sint 7 scuta monetae Romanae, ordinamus et statuimus praedictam taxam exigi debere per p. provincialem a conventibus ultra contributionem, quam provincia eidem p. procuratori generali solvere solet.

5. Ad eiusdem provinciae petitionem conventus nostros s. Laurentii de s. Vito et s. Rochi de Marostica erigimus in conventus collegiatos cum voce in capitulis provincialibus et cum omnibus gratiis, privilegiis, iurisdictionibus ac praerogativis, quibus caeteri conventus collegiati in hac nostra provincia frui solent ac consueverunt.

6. Damus ad provinciae petitionem in regentem nostri studii generalis Patavini p. bac. fr. Dominicum Donatum Savoldelli, in baccalaureum ordinarium p. lect. fr. Innocentium Ponte, et in magistrum studentium p. lect. fr. Dionysium Cagioli.

**Pro provincia de Oaxaca.**

Ad petitionem huius provinciae concedimus, quod, ut aliquis in ea fruatur gratiis et privilegiis magistris novitiorum concessis, sufficiat huiusmodi munus saltem per octo annos exercuisse; dispensantes ad hunc effectum super ordinationibus, quae longius tempus requirunt.

**Pro provincia s. Petri Martyris.**

1. Ordinamus, quod in posterum non fiant renuntiationes unius ad alterum muneris theologi Taurinensis post expletum tantum triennium eiusdem officii, declarantes, nullam fore talem renuntiationem, nec substituto suffragari munus in eadem universitate, ac si legisset in studio generali s. Eustorgii.

2. Statuimus, ut in absentia unius ex quinque moderatoribus vel examinatoribus, videlicet prioris conventus studii generalis s. Eustorgii Mediolani, regentis, baccalaurei, magistri studentium et alicuius magistri in provincia, si in conventu extiterit, vocentur, ut interveniant ad examina tum studentium formalium tum lectorum baccalaurei in provincia, qui fuerunt moderatores et alias degunt in eodem conventu usque ad complementum numeri quinarii examinatorum, relictis philosophiae et bibliae lectoribus.

3. Iniungimus strictissime p. provinciali moderno, ut toto conatu procuret in conventu s. Petri Martyris Barlacinae omnino stabilire strictam observantiam et perfectam vitam communem pro communi bono et utilitate provinciae.

4. Declaramus, in collatione graduum magisterii provinciae iis, qui in studio generali s. Eustorgii explevere munia sive regentatus sive baccalaureatus debere omnino servari tenorem brevis apostolici ss. d. n. papae Urbani VIII. sub datis Romae 23. decembris 1628 pro regimine huius provinciae, necnon declarationis eiusdem brevis a s. congregatione super negotiis et consultationibus episcoporum et regularium praeposita emanatae die 29. ianuarii 1672.

5. Committimus rev. magistro ordinis, ut pro consolatione provinciae ac praemio illorum, qui in scholis insudant, agat cum sanctissimo de augmento numeri magistrorum provinciae, ut ipsa suarum virium conscia postulat, et similiter de magistris in theologia cum solo titulo, ut in provincia utrisque Lombardiae, introducendis.

6. Cum incrementum religionis ex bona novitiorum disciplina maxime resultet et p. lect. fr. Vincentius Lanoya summopere in officio magistri novitiorum laboret in conventu s. Eustorgii Mediolani, ad petitionem prioris dicti conventus et huius capituli diffinitoris assignamus praefatum patrem in eodem conventu ad illud officium, ut maiores deinceps colligantur fructus.

### Pro provincia Aprutina.

1. Ordinamus et iniungimus superioribus pro tempore tam huius provinciae quam conventus nostri s. Severi Maioris de Neapoli pro novitiatu simplici destinati, ut totis viribus curent manutentionem vitae communis et regularis observantiae, diligenterque invigilent circa educationem novitiorum, prout pro toto ordine statutum est.

2. Confirmamus translationem studii generalis a collegio Aquilano ad conventum s. Dominici de Sulmona a magistro ordinis factam, donec restauretur collegium Aquilanum, gratiisque studii generalis praefatum conventum potiri volumus, dummodo habeat sex studentes formales et in ipso exercitia scholastica philosophiae et theologiae fiant, atque in illo observari statuta collegii Aquilani curent.

3. Ordinamus, ut studentes non mittantur ad studium extra provinciam; et si missi fuerint, conventus originalis non teneatur eisdem providere de vestitu et aliis.

4. Committimus capitulo provinciali proxime celebrando, ut pro promptiori reparatione collegii Aquilani statuat aliquam taxam in omnibus provinciae conventibus iuxta illorum facultates, quae ad illum dumtaxat effectum debeat applicari; similiter statuat aliquid exigendum a concionatoribus de eleemosinis habitis tempore quadragesimae.

5. Declaramus conformiter ad id, quod in aliis capitulis, praesertim Valentiae 1647 pro provincia Bethica num. 6. et Romae 1670 pro provincia Aragoniae num. 9. declaratum est, pp. magistros et praedicatores

generales in locis actu vacantibus rite institutos, qui fuerunt a provincia in huiusmodi gradus et officia postulati, alia acceptatione provinciae non indigere, sed tunc petitionem pro acceptatione habendam esse, et sic promotos vel institutos debere frui loco, voce aliisque gratiis magistrorum vel praedicatorum generalium a die promotionis vel institutionis eorum.

6. Concedimus eidem provinciae, ut pro votis civium civitatis Guardiae Gleris curet restaurationem conventus nostri olim suppressi in dicta civitate, et de hoc agat cum rev. adm. p. magistro procuratore generali ordinis, ut Romae pro religione partes faciat, cui hoc negotium commendamus.

7. Declaramus, conventum nostrum s. Dominici de Planella esse pro natione Etrusca, omninoque prohibemus aliquid circa hoc quovis titulo innovari.

8. Damus in regentem studii generalis conventus s. Mariae ab Arcu p. bac. fr. Vincentium Aspielli et in baccalaureum ordinarium p. lect. fr. Seraphinum Giordanum.

9. Damus in regentem studii generalis conventus de Sulmona p. bac. fr. Quodvultdeus Toppi, et in baccalaureum ordinarium p. lect. fr. Hyacinthum Luiggi.

10. Instituimus in praedicatorem generalem conventus s. Severi Neapolitani p. fr. Antoninum Constantini in locum actu vacantem ob mortem p. praed. gen. fr. Alberti Giglio.

### Pro provincia Parisiensi.

1. Regularem observantiam zelo moderni p. provincialis fr. Natalis Alexandri (1), doctoris Parisiensis, in conventu Cenomanensi laudabiliter introductam promovere et fovere cupientes, ne successu temporum ac fragilitate humana labatur, eundem conventum regimini ac gubernio patrum congregationis nostrae Britanicae provinciae Parisiensis pro voto ill. ac rev. eiusdem civitatis episcopi subiiciendum duximus, ita ut in posterum in praefato conventu nullus in priorem aut suppriorem aut vicarium, etiam in capite, seu dicti conventus praesidentem eligi aut institui possit, nisi ex fratribus praenominatae congregationis Britanicae; quamcumque aliam electionem vel institutionem factam nullam et irritam dicimus et declaramus, ipsumque conventum iuxta literas patentes magistri ordinis in hoc capitulo generali datas unimus et incorporamus eidem congregationi Britanicae provinciae Parisiensis cum omnibus iuribus, privilegiis et immunitatibus, quibus coeteri conventus dictae congregationis potiuntur et gaudent.

---

(1) De fr. Natale Alexandro cf. SSOP. II, 810.

2. Laudabilem consuetudinem et constitutionibus nostris conformem ac consonam, qua qui priores provinciales in ea provincia Parisiensi extitere, etiamsi sint filii congregationis Britanicae, gaudent praecedentia super suppriorem, insuper voce activa in capitulis provincialibus potiuntur, confirmamus et approbamus; eaque praecedentia futuris temporibus, qui fuere provinciales, etiamsi sint alumni et filii congregationis Britanicae, ubique potiri debent.

3. Confirmamus omnia et singula privilegia congregationis Britanicae provinciae Parisiensis concessa tum in capitulis generalibus Valentiae 1647 et Romae 1650 tum a praedecessoribus magistris generalibus, ac si eorum tenor his in actis capituli generalis insertus esset.

**Pro provincia Angelopolitana.**

1. Declaramus, provincialem facultatem habere imponendi praecepta, et hanc ipsi concedimus, ad terminos nostrarum constitutionum et capitulorum generalium reducentes, quidquid in contrarium fuerit ordinatum; et ut quieti conscientiae fratrum nostrorum consulamus, conformiter ad ea, quae in aliis capitulis declarata sunt, praecepta a praedecessoribus generalibus in actis vel ordinationibus imposita perdurare nolumus, revocantes quamcumque ordinationem in contrarium.

2. Praecipimus in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto et sub poena excommunicationis latae sententiae, una pro trina canonica monitione praemissa, patribus prioribus seu principalibus praesidentibus et depositariis pro tempore conventus nostri Angelopolitani, ut singulis annis summam illam pecuniarum, quibus ex fundatione tenetur conventus pauperes mulieres nubiles singulis annis destinandas dotare, in deposito communi in quadam capsula ad hoc destinata deponant et conservent, ut suo tempore absque conventus gravamine possit illas dotes dispensare. Mandamus autem sub eodem praecepto et censura omnibus supradictis, ne praedictam coacervatam pecuniam quovis titulo vel quaesito colore, etiam ratione mutui, possint tollere vel expendere in alios usus praeterquam ad solutionem dotium.

3. Concedimus, ut, quando ob necessitatem ministerii fratres a superiori provinciae mittentur ad Indorum populos, antequam tempus studiorum suorum compleant, possint praedicti fratres ad gradus caeteraque officia ordinis promoveri, hoc impedimento non obstante, super quo ad illum dumtaxat finem dispensamus.

4. Concedimus denique eidem provinciae ad sui petitionem 8 praedicaturas generales titulo linguarum, pro quibus praedicatores generales instituimus p. fr. Andream de Lubana et p. fr. Didacum Mobellan titulo linguae Mistecae superioris, p. fr. Michaelem Negreros et p. fr. Iosephum de Rojas titulo linguae Chochonae, p. fr. Ildephonsum de Vergara et p.

fr. Lucam Ramirez titulo linguae Mexicanae, p. fr. Iosephum Zedeño et p. fr. Antonium de Ledesina titulo linguae Mistecae inferioris.

**Pro provincia s. Ludovici.**

1. Cum haec provincia s. Ludovici avulsa fuerit a provincia Tholosana, in eaque ad instar ipsius exacta observantia secundum rigorem nostrarum constitutionum absque ulla dispensatione instituta fuit, ut in ea eadem observantia confirmetur et roboretur, omnino mandamus; nec liceat ulli ex superioribus provinciae pro tempore eam minuere aut aliquid in praeiudicium disciplinae regularis introducere; iniungentes patribus provincialibus pro tempore, quatenus sedulo invigilent, ne praefata observantia ac perfecta communitas laedatur aut minuatur.

2. Verum cum ex educatione novitiorum et eorum instructione maxime pendeat tota spes conservationis regularis observantiae, serio admonemus patres a consiliis conventuum, in quibus novitii enutriuntur, ut eligant in magistros novitiorum viros aetate graves ad minus 40 annorum, prudentes, observantiae regularis tenaces, moribus probatos ac bonis literis instructos; si secus fecerint, iniungimus p. provinciali pro tempore, ut non solum huiusmodi electiones magistrorum novitiorum non approbet, sed non habentes praefatas qualitates ab officio magistri novitiorum amoveat et vel alium instituat vel compellat patres a consiliis dignum et praefatis dotibus ornatum eligere.

3. Quamvis ea in provincia invaluerit usus, quod nulli sint magistri in theologia gaudentes privilegiis per constitutiones nostras huic gradui concessis, aliumque usum eam in provinciam introduci nolimus, tamen sicut in provincia Tholosana consuetum est, ut aliquis vel aliqui vel de consilio provinciae vel de consilio patris provincialis cum aliis gravioribus patribus deputentur, ut in universitatibus lauream magistralem suscipiant et pro cathedris in iis universitatibus pro more et praxi uniuscuiusque universitatis in concursu aliorum disputent, ut eas ascendere valeant, absque ullo observantiae regularis detrimento et absque ullo privilegio, ita declaramus, fieri posse et debere in hac provincia. Quare confirmamus et approbamus, quod p. fr. Franciscus de Pallieres nominatus in capitulo provinciali Cadomensi actus suos exercere possit usque ad magistralem lauream inclusive in ea universitate, salvis semper et intactis iuribus huius provinciae.

4. Concedimus, immo declaramus ad instar praxis provinciae nostrae Tholosanae, quod, qui fuerunt provinciales in hac provincia s. Ludovici, praecedentia dumtaxat in actuali capitulo provinciali a primo die, quo incipit, usque ad ultimum, quo terminatur, gaudere debeant sicut voce activa, nec in hac praecedentia posse a quoquam molestari.

**Pro provincia s. Rosae.**

1. Confirmamus et approbamus incorporationem ac unionem conventus Leodiensis huic nostrae provinciae factam, sicque unitum et incorporatum dicimus et declaramus.

2. Concedimus, quod ad instar provinciae Germaniae [inferioris] magister conversorum a patribus a consiliis eligatur; qui sit ad minus etatis 40 annorum et unus ex patribus a consiliis atque alias legitimo titulo a chori nocturni sequela exemptus, nec alius quocumque praetextu eligi possit aut institui.

3. Acceptamus donationem duarum domorum factam hospitio nostro seu vicariatui Cameracensi per rev. adm. d. Antonium Treca, sacerdotem canonicum et p. mag. fr. Reginaldi Treca fratrem germanum, quem suffragiorum ordinis ac votorum nostrorum in omnium nostrum gratitudinis testificationem participem facimus; similiter acceptamus donationem aliarum duarum domorum factam pariter eidem hospitio seu vicariatui per d. Mariam Birgittam Treca, viduam quondam d. Nicolai Gervais ac sororem germanam praenominati p. mag. Reginaldi Treca, quam participem etiam suffragiorum nostrorum facimus. Quas donationes cum suis oneribus acceptamus, nempe unius missae quotidianae ac perpetuae et duarum missarum solemnium quotannis in perpetuum cantandarum; quas quidem donationes, ut in archivio ordinis inserantur, statuimus.

4. Ordinamus, ut in conventu Andomarensi nulli novi camini in cellis extruantur praeter illum, qui est pro priore et alterum pro praedicatore, et si qui praeterea extructi sunt, obstruantur.

5. Ordinamus ac inviolabiliter observari volumus, ut pecuniae vestiariae pro ea tantum applicentur; et quia, ut accepimus, nonnullae in alios usus conversae sunt, districte praecipimus, ut ipsi vestiariae restituantur absque mora, et donec fuerint restitutae, eum ab officio suspendi volumus, qui illas alienavit.

6. Ordinamus, ut unquam in ea provincia matutinum dicatur nisi in media nocte, ut hactenus laudabiliter observatum est, nec in hoc unquam dispensari volumus. Nec permittantur compotationes extra horam refectionis sub poena absolutionis ab officio superioribus infallibiliter infligenda.

7. Ordinamus, ut nemo fiat pater a consilio nec ad eorum mensam accedat, donec ter examinatus et admissus fuerit in ordine ad confessiones recipiendas, nisi cum ipso fuerit a magistro ordinis dispensatum.

8. Pro devotione ss. Rosarii promovenda statuimus, ut in omnibus conventibus publice recitetur rosarium cum assistentia unius religiosi, qui mysteria explicet contemplanda, saltem ter in hebdomada.

9. Instituimus in praedicatorem generalem conventus Iprensis p. fr. Hyacinthum Sloovere in locum actu vacantem per mortem rev. p. praed. gen. fr. Henrici Delvoye.

### Pro congregatione Sardiniae.

1. Ad enixas et repetitas instantias patrum huius nostrae congregationis per ser. regem catholicum nobis commendatas congregationem erigimus in provinciam sub eodem nomine aut titulo s. p. n. Dominici in Suriano cum omnibus gratiis, iuribus ac privilegiis aliarum provinciarum ordinis, habebitque in ordine provinciarum locum 48. Et pro prima vice instituimus, damus, creamus et facimus priorem provincialem huius novae provinciae p. mag. fr. Nicolaum Cani cum omni auctoritate et iurisdictione tam in temporalibus quam in spiritualibus super conventus et fratres et etiam super monasteria et moniales et personas etiam tertii ordinis ad praefatam congregationem pertinentes cumque omnibus iuribus et privilegiis, quibus ceteri provinciales rite instituti frui solent et debent; cuius quadriennium incipiet a die iuridicae intimationis faciendae de hac nostra erectione et institutione.

2. Et pro novae provinciae bono regimine, studiorum incremento ac regulari observantia promovenda committimus rev. magistro ordinis, ut in ea sui officii ac praesentis capituli auctoritate ordinet, statuat et disponat, quod sibi in domino videbitur expedire.

### Pro congregatione Ragusina.

Committimus zelo et prudentiae ac iudicio rev. magistri ordinis et ipsum enixe rogamus, ut hanc congregationem in pristinum splendorem et antiquam ipsius observantiam reducat ac pro illius reformatione mittat vicarium, quem iudicet idoneum ad hunc effectum, illum instituendo ac nominando sua ac huius capituli auctoritate cum omnibus facultatibus necessariis, omneque studium impendat, ut ad tam desideratum finem hoc negotium perducat.

### Pro congregatione Sanitatis.

1. Ordinamus, ne in posterum concedatur tunica tertiariorum alicui seculari in aliis conventibus congregationis praeterquam in conventu s. Mariae Sanitatis de Neapoli, servatis tamen iis, quae pro toto ordine in praesenti capitulo pro tertiariorum receptione ordinata sunt.

2. Concedimus eidem congregationi facultatem, ut erigat novitiatus professorum tam in conventu s. Dominici de Benevento quam in conventu s. Mariae de Vico de Argentio, dummodo in ipsis sit novitiorum domus, et illorum fabricae continuatio non impediatur, possitque in illis regularis observantia rigorosa manuteneri, et non aliter.

3. Damus in regentem nostri collegii Montis Dei p. bac. fr. Ildephonsum Parrelli, in baccalaureum ordinarium pro primo triennio p.

lect. fr. Athanasium Garzillo, pro secundo p. lect. fr. Philippum Mariam Giaimo, et in magistrum studentium pro primo biennio p. lect. fr. Gundisalvum Borrelli, pro secundo p. lect. fr. Philippum Bonavoglia.

4. Promovemus ad eiusdem congregationis petitionem ad gradum magisterii in locum actu vacantem p. bac. fr. Emanuelem Rosa.

**Pro congregatione s. Marci de Gavottis.**

1. Confirmamus, approbamus et inviolabiliter observari volumus ordinationes a rr. magistris ordinis olim factas et successive approbatas in variis capitulis generalibus pro manutentione observantiae regularis rigorosae huius congregationis, praecipue sequentes a moderno magistro ordinis confirmatas et innovatas, quas pro pace huius congregationis cum provincia Regni, cuius est membrum, fovenda ac conservanda visum est nobis hic apponere.

2. Ordinamus itaque, ut in posterum provinciales pro tempore praefatae provinciae se in gubernio congregationis non intromittant, nisi circa institutionem priorum et visitationem congregationis semel in anno; neque eis liceat aliquid innovare contra ordinationes pro congregatione sancitas sub poena nullitatis omnium, si aliter fiat.

3. Cum iuri communi et municipali nostrarum constitutionum consentaneum sit, ut fratrum expostulationes ab immediato superiore audiantur, statuimus et statuendo inhibemus, ne quis frater dictae congregationis audeat in prima instantia, omisso suo superiore immediato et postposito vicario congregationis, ad p. provincialem recurrere, nec provincialis dictum recursum acceptare; et si secus factum fuerit, totum sit irritum et inane.

4. Ordinamus, quod priorum congregationis institutio non fiat a p. provinciali nisi secundum directionem vicarii generalis; contrarium quomodolibet factum vel tentatum nullum, irritum et inane ex nunc decernentes.

5. Ordinamus, provinciales non per commissarios vel aliam interpositam personam, sed per se ipsos personaliter vel vicarios generales pro tempore dumtaxat posse praefatam congregationem visitare, nisi expressum per literas magistri ordinis mandatum accedat, et non aliter nec alio modo. Volentes illum, cui munus visitandi a provinciali commissum sit sine mandato magistri ordinis, pro visitatore recipi aut admitti non posse.

6. Ordinamus, a provinciali pro tempore non posse fratres intra vel extra congregationem assignari, sed hoc privative ad auctoritatem magistri ordinis pertinere; in eadem autem congregatione de conventu ad conventum assignare iure ordinario ad solum vicarium spectat. Vicarii vero generales teneantur bis in anno tempore sibi viso conventus

suae congregationis cum omni vicarii visitatoris auctoritate et iurisdictione visitare. Admonemus tamen p. vicarium congregationis, ne in sua visitatione revocet, quae a p. provinciali per suam disposita et ordinata fuerint tam circa bonum commune conventuum quam circa particulares fratres, nisi nova superveniente causa, de qua consulet rev. p. magistrum ordinis.

7. Statuimus et ordinamus, quod excepto magistro ordinis nullus potest fratres congregationis licentiam adeundi Neapolim impertiri, exceptis casibus gravis necessitatis, in quibus poterit p. vicarius illam dare.

8. Confirmamus et, quantum opus est, de novo concedimus moderno vicario eiusque successoribus pro tempore omnem auctoritatem, potestatem et iurisdictionem super capita et membra et omnes religiosas personas utriusque sexus, conventus et domos congregationis, quibus vicarii huiusmodi de iure et approbata consuetudine frui in ordine solent et debent.

9. Iniungimus tamen moderno vicario congregationis eius conscientiam in diem domini onerantes, ut omnino invigilet in conventibus congregationis exactam observantiam nostrarum legum perfectamque vitam communem manutenere et fovere, extirpando abusus, si qui sint introducti, ut congregatio floreat in eodem spiritu ac fervore religionis, quo fundata fuit. Praecipue stricte mandamus, ut omnino curet in omnibus conventibus congregationis numerum esse sufficientem fratrum, ut officium divinum horis constitutis in choro recitetur.

### Pro congregatione ss. Sacramenti in comitatu Venesino.

1. Confirmamus et approbamus concessa huic congregationi sub titulo ss. Sacramenti in ultimo capitulo Romae celebrato privilegia, uti patres graviores dictae congregationis per epistolam Vasione datam die 9. aprilis enixe postulant.

2. Annuimus in favorem huius congregationis, quod patres graviores illius per vicarium generalem in conventu sibi beneviso possint convocari; in quo congressu exponant magistro ordinis, si quae sint gravia negotia et quae ad maiorem observantiam et ad studia promovenda conducant. Similiter quos digniores ad officium vicarii generalis per magistrum ordinis instituendi proponant ad minus tres, ut, si magister generalis in domino expedire iudicaverit, unum in vicarium generalem instituat; nullum tamen fiat de huiusmodi propositione scrutinium, sed semper in sua viridi observantia maneat usus, quo magistri ordinis vicarium instituunt.

### Pro congregatione ss. Nominis Iesu in America ditioni christianissimi regis subiecta.

1. Nihil magis consonum est instituto nostro, quam missiones ad fidelium salutem et gentium conversionem fovere ac promovere; cum

enim a multis annis zelo maiorum nostrorum in insulis Americanis regis christianissimi ditioni subiectis multae fuerint, benedicente Deo, domus institutae, in quibus fratres nostri curae animarum incumbunt, ut illae firmius stabiliantur, censuit modernus magister ordinis una cum gravium patrum consilio eas missiones sub una congregatione reducere; quod et feliciter perfecit, easque domos in congregationem sub protectione ac titulo ss. Nominis Iesu reduxit ac erexit; quam erectionem decreto huius capituli generalis confirmamus et approbamus ac confirmatam et ratam declaramus.

2. Insuper eidem ac successoribus eius committimus, ut, si in domino expedire iudicaverit, eam congregationem possit dividere ac alteram congregationem erigere, praesertim ex domibus ac missionibus, quae sunt in insula s. Dominici, et nunc pro tunc ratum habemus, quidquid ab ipso aut a successoribus eius actum fuerit.

3. Confirmamus et approbamus omnes ordinationes et statuta facta ab eodem moderno magistro ordinis pro bono regimine tam spirituali quam temporali praefatarum missionum, quaeque typis editae sunt ac praefatis missionibus significatae, ac si eorum tenor his actis insertus esset, quarum ordinationum observantiam inculcamus et mandamus.

4. Committimus moderno magistro ordinis, ut omni cum sollicitudine satagat circa modum mittendi missionarios ex provincia Galliarum ad praefatas missiones, ut ante discessum e Gallia in aliquo conventu sibi bene viso, in quo vigeat exacta observantia, probentur et instruantur. Et quando fieri poterit, fundetur conventus ad missionarios probandos, ita tamen quod domus missionum expensas pro sustentatione horum religiosorum vel pro erectione conventus et fundatione omnino providere, succurrere ac subvenire debeant.

**Suffragia pro vivis.**

Pro ss. d. n. Clemente XI. et felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro augustissimo imperatore Iosepho I., augustissima coniuge serenissimisque prolibus q. s. u. m.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XIV. et serenissimo delphino et serenissimis prolibus q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo V. et seren. regina q. s. u. m.

Pro eminentissimo ac reverendissimo d. cardinali Marescotti, ordinis nostri protectore, q. s. u. m.

Pro eminentissimis et reverendissimis dd. cardinalibus Ursino et Ferrario, ex ordine nostro assumptis, et universo sacro collegio eminentissimorum dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro illustrissimo ac reverendissimo d. archiepiscopo Compostellano, alias ordinis nostri generali vigilantissimo, q. s. u. m.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque reverendissimo capite totius ordinis magistro generali et sociis assistentibus et collaborantibus q. s. u. m.

Pro pace totius orbis christiani q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis litaniae b. Mariae Virginis, conversis vero decies pater noster et Ave Maria imponuntur.

**Suffragia pro mortuis.**

Pro animabus eminentissimi cardinalis Casanate et omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Pro anima excellentissimi ac reverendissimi d. d. fr. Ioannis Thomae de Rocaberti, archiepiscopi Valentini ac Hispaniarum generalis inquisitoris, alias ordinis nostri generali magistro vigilantissimo, q. s. u. m.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore capituli ultimi generalis in domino obierunt, q. s. u. m.

Ubi sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis tertia pars psalterii rosariani iniungitur.

Committimus r. adm. p. mag. procuratori generali ordinis, ut collectis omnium fratrum nominibus, qui in diversis provinciis ordinis cum opinione singularis virtutis obierunt, ea patribus secretariis huius capituli consignet, hisce actis suo loco addenda.

Praecipimus denique in virtute Spiritus sancti et sanctae obedientiae sub formali praecepto omnibus et singulis provinciarum et congregationum praesidentibus, ut huius capituli acta in omnibus conventibus suae curae creditis quamprimum legere et publicari faciant omnemque operam adhibeant, ut inviolabiliter exequutioni mandentur, et saltem quater in anno in cuiuslibet conventus refectorio legantur; volentes, ut exemplaribus sigillo rev. p. magistri ordinis munitis et manu secretarii subscriptis fides ubique habeatur eadem, quae illorum originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Fr. Antoninus Cloche
magister ordinis.

Fr. Paulus Maria Cauvinus mag. ac theologus Casanatensis.
Fr. Augustinus Pipia mag. ac theologus Casanatensis.
Fr. Albertus Oswaldus mag. ac theologus Casanatensis.

Loco † sigilli.

Fr. Thomas Ripoll
magister et socius.

# ACTA CAPITULI GENERALIS PROVINCIALIUM ET DIFFINITORUM ROMAE CELEBRATI IN CONVENTU SANCTAE MARIAE SUPER MINERVAM ORDINIS PRAEDICATORUM DIE XXXI. MAII MDCCXXI.

Sub reverendissimo patre fr. Augustino Pipia, sacrae theologiae professore eiusdemque ordinis magistro generali, in praedicto capitulo electo diffinientibus rr. adm. pp. provincialibus et diffinitoribus:

fr. Francisco Moreno mag. provinciali Hispaniae,
fr. Iosepho Boissiere sac. theol. prof. provinciali Tolosano,
fr. Ioanne du Clot mag. provinciali Franciae,
fr. Hyacintho Felice Mazzucchi mag. provinciali utriusque Lombardiae,
fr. Thoma Aloysio Missini mag. provinciali Romano,
fr. Ioanne Leonardo Cardelli mag. provinciali Regni,
fr. Dominico Twinger mag. provinciali Hungariae,
fr. Candido Gieseke mag. provinciali Theutoniae,
fr. Thoma Enguer mag. provinciali Poloniae,
fr. Thoma Ripoll mag. provinciali Terrae sanctae,
fr. Alberto Leopoldo Panhans mag. provinciali Bohemiae,
fr. Andrea Roth mag. provinciali Saxoniae,
fr. Emanuele a s. Iosepho praesentato provinciali Portugalliae,
fr. Thoma du Iardin mag. provinciali Germaniae inferioris,
fr. Urbano Giannelli mag. provinciali Apuliae,
fr. Thoma Piatti mag. provinciali Calabriae,
fr. Antonio Magueir mag. provinciali Hiberniae,
fr. Iosepho Maria Riva mag. provinciali s. Petri Martyris,
fr. Seraphino Cimorelli mag. provinciali Aprutino,
fr. Hyacintho Snopkuski mag. provinciali Russiae,
fr. Romualdo Sankorriz praesentato provinciali Lithuaniae,
fr. Augustino Guttierrez mag. diffinitore Hispaniae,
fr. Iosepho Roux sac. theol. prof. dif. et priore Tolosano,
fr. Stephano Bonet diffinitore Franciae,
fr. Victorio Mazzocca mag. exprovinciali et dif. utriusque Lombardiae,
fr. Dominico Milanesi mag. diffinitore prov. Romanae,
fr. Alphonso Macciò mag. diffinitore Regni,
fr. Leopoldo Oberhueber mag. priore Graecensi et dif. Ungariae,
fr. Nicolao Kessel mag. diffinitore Theutoniae,

fr. Dominico Wiliams mag. diffinitore Angliae,
fr. Ambrosio Kozielski mag. diffinitore Poloniae,
fr. Raphaele Figuerola mag. diffinitore Aragoniae,
fr. Costantino Lemmichen mag. priore Pragensi et dif. Bohemiae,
fr. Ioanne Ferler mag. diffinitore Saxoniae,
fr. Bartholomaeo Vita mag. exprovinciali et diffinitore Trinacriae,
fr. Iosepho a Purificatione mag. diffinitore Portugalliae,
fr. Andrea Alvarez mag. diffinitore Bethicae,
fr. Hyacintho du Mont mag. exprovinciali et dif. Germaniae inferioris,
fr. Archangelo Ciccarelli mag. dif. Apuliae,
fr. Sylvestro Gatti mag. dif. Calabriae,
fr. Patritio Plunket mag. dif. Hiberniae,
fr. Christophoro de Molina mag. dif. Peruano,
fr. Petro Masustegui mag. dif. s. Antonini de Novo Regno,
fr. Bernardo d' Arcet mag. dif. provinciae Occitanae,
fr. Thoma Angelico Ferrari mag. dif. Venetiarum,
fr. Leandro de Aranda mag. dif. de Quito,
fr. Bernardino Membrive praesentato dif. Philippinarum,
fr. Iosepho Antonio Balmaza mag. dif. s. Petri Martyris,
fr. Nicolao Cannarsi mag. priore s. Severi dif. Aprutino,
fr. Iosepho Mossarski mag. exprovinciali et dif. Russiae,
fr. Bernardo Mosnier mag. dif. provinciae Parisiensis,
fr. Remigio Mosakovski mag. exprovinciali et dif. Lithuaniae,
fr. Ludovico Thoma Leal mag. dif. Canariarum,
fr. Petro Paramo praesentato dif. provinciae Angelopolitanae,
fr. Philippo Eugenio de Surmont lect. dif. prov. s. Rosae in Belgio,
fr. Antonio Bardon mag. cathedratico Casanatensi et secretario capituli generalis.

Universis et singulis patribus et fratribus
totius ordinis praedicatorum
fr. Augustinus Pipia, sacrae theologiae professor
ac eiusdem ordinis humilis generalis magister et servus,
salutem et regularis disciplinae studium.

Quanti sint operae pretii ac momenti sanctissimae illae leges, quae ad formandos mores et avitum disciplinae regularis vigorem retinendum identidem in generalibus ordinis nostri comitiis praescribi solent, sedulo cogitantes, fratres in Christo dilectissimi, confestim acta ultimi capituli generalis, in quo praeter meritum et expectationem nostram ad clavum totius praedicatorum ordinis moderandum solius divinae misericordiae

beneficio fuimus electi, publica luce donare et ad vos, quorum permagni interest, transmittere necessarium duximus, ut caelestia illa instituta, quae in cordibus vestris impressa et consignata esse debent, diligenti cura, studio et contentione iugiter teneatis, vel si alicubi iniuria temporum collapsa sint, illa actutum instaurare atque ad praxim redigere totis viribus studeatis. Eo autem lubentius huiusce capituli generalis acta publici iuris fecimus, quod cum fuerit celebratum die 31. mensis maii in pervigilio Pentecostes anni labentis 1721, invenimus, habita ratione temporum, illud eo anno esse indictum, quo seculum quintum iam expletum numerare cepimus ab eo capitulo generali, quod sanctissimus patriarcha Dominicus Bononiae convocavit in pervigilio Pentecostes anni 1221, indeque occasionem apposite sumpsimus, vobis ob oculos ponendi supremam voluntatem ss. p. n. Dominici, qui zelo flagrans salutis animarum, nihil tam curae ac cordi habuit, quam ut in eo, cui praeerat, capitulo generali Bononiensi praeciperet filiis suis, ut saluti animarum consulerent et quasi nubes in aera sublatae totum, qua late patet, orbem non solum divino Verbo et evangelii copioso imbre, sed etiam proprio sanguine irrigarent. Hanc illustrem provinciam filiis suis demandavit ss. ille patriarcha eamque ipsemet ardentissimo zelo suscepisset, nisi altero mense post celebratum istud capitulum generale Bononiense iam caelo maturus ad vitam immortalem migrasset, postquam filiis suis, quos in sinu suo gestabat, charitatem, humilitatem et voluntariam paupertatem, ceu pretiosa monilia ac veram et unicam paternam haereditatem, condito testamento, reliquisset. Hanc porro supremam s. p. Dominici voluntatem omni procul dubio adimplebitis, fratres dilectissimi, si vos imitari non pigeat maiores vestros, qui statim post obitum s. p. Dominici, paterna illa haereditate sibi ab eo relicta, nihil antiquius habentes, sese totos animarum saluti consecrarunt, fidem catholicam contra haereticos strenue defenderunt, errantes veritatem docuerunt, peccatores ad sinceram poenitentiam adduxerunt, barbaris populis in tenebris et in umbra mortis sedentibus fidem evangelii intulerunt atque suo in promovenda animarum salute zelo ubique suis temporibus opera apostolorum innovarunt ac longe lateque propagarunt.

Sed et alia suppetit ratio, quae nos ad promulganda istius capituli generalis acta maxime permovit, quaeque ex eo potissimum capite petitur, quod ultimum istud capitulum generale indictum sit eodem mense maio anni 1721, quo, universa plaudente Ecclesia et conspirantibus omnium votis, ad summum pontificatum provectus fuit ss. Innocentius XIII. ex antiquissima principum a Comitibus oriundus familia, quae inter plures, quos ecclesiae dedit Romanos pontifices, tres praesertim omni exceptione maiores Innocentium III., Gregorium IX. et Alexan-

drum IV. enumerat. Quorum primus post habitam celebrem illam visionem, in qua s. Dominicum suffulcientem suis humeris collabentem Lateranensem ecclesiam conspexit, filios sancti illius patriarchae, quorum doctrinam ac pietatem probe noverat, glorioso praedicatorum nomine donavit; alter vero seu Gregorius IX. s. patriarcham Dominicum solemni ritu sanctorum fastis adscripsit; postremus seu Alexander IV. nascentem praedicatorum ordinem non solum innumeris gratiis ac privilegiis cumulavit, sed etiam illum a nonnullis id temporis aemulis obtrectatoribus acerrime impetitum apostolica auctoritate egregie vindicat. Quid igitur mirum, si totus praedicatorum ordo, Romae in ultimis comitiis generalibus mense maio proxime elapso congregatus, incredibili laetitia gestierit, dum vidit in sede sancti Petri collocatum Innocentium XIII. pontificem maximum, qui eximias Innocentii III., Gregorii IX. et Alexandri IV. virtutes in se uno collegit, miram videlicet in tractandis ecclesiae negotiis et administranda publica re solertiam, morum severitatem cum elegantia, cum urbanitate gravitatem, maiestatem cum modestia, exquisitam prudentiam cum candore summo et effusissimam in omnes cum incorrupta aequitate benignitatem, praesertim in ordinem nostrum, quem hactenus praesidio suo fovit, paterna complexus est benevolentia atque s. Thomae Aquinatis, angelici praeceptoris nostri doctrinam constanti quadam et perpetua voluntate ab initio semper coluit pontifex maximus.

Ut igitur tam singularem ss. pontificis Innocentii XIII. benevolentiam magis ac magis vobis deinceps conciliare possitis, fratres in Christo dilectissimi, debetis non magni praedicatorum nominis umbra gloriari, sed potius prae oculis semper habere et pro viribus aemulari heroica gesta maiorum vestrorum, praecipue indefessum laborem, quo vastissimas regiones praedicationis causa pedibus circumcursantes, innumeros filios in Christo multo sudore genuerunt, eorum fidei morumque integritatem, ardentissimum observandi disciplinam regularem studium, reverentiam summam erga sedem apostolicam et in ea colenda tutandaque invictam animi fortitudinem, firmum de omnibus benemerendi et nullis detrahendi propositum, solida denique et inconcussa s. Thomae doctoris angelici pro aris ac focis propugnare dogmata, a quibus ne latum quidem unguem desciscere oportet.

His maiorum vestrorum vestigiis, ut facilius ac securius inhaerere valeatis, fratres dilectissimi, transmittimus ad vos acta ultimi capituli generalis, ad quorum normam vitam moresque vestros exigere par est et in hac tutissima via ambulare, nec ad dexteram nec ad sinistram unquam deflectere. Harum igitur serie nostrique auctoritate officii praecipimus vobis, ut haec acta capituli generalis, quod celebratum post invocatam in solemni missa, ut moris est, Spiritus sancti gratiam fusasque

ante electionem solitas preces, praesentia sua cohonestavit nomine et speciali summi pontificis diplomate, quod statim subiicitur, eminentissimus cardinalis Davia ea, qua par est, obedientia excipiatis, ad summos iuris apices observetis, in sinu vestro circumferatis, singula in his, quae ad studium et disciplinae regularis observantiam spectant, cognoscere, disquirere altiusque animis vestris infigere satagatis. Denique unicuique vestrum istud saluberrimum inculcamus praeceptum, quod apostolus Paulus dat charissimo suo disciplo Timotheo in priori, quam ad illum scripsit epistola cap. 4. (1), ubi haec habet: « Haec meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus. Attende tibi et doctrinae, insta in illis. Hoc enim faciens et teipsum salvum facies et eos, qui te audiunt ».

Valete, nostri in vestris orationibus semper memores.

Datum in nostro conventu s. Mariae super Minervam die 5. iulii anni 1721.

Diploma summi pontificis Innocentii papae XIII.

Dilecto filio nostro Ioanni Antonio S. R. E. praesbytero cardinali de Via nuncupato.

Innocentius papa XIII.

Dilecte fili noster, salutem et apostolicam benedictionem. Cum sicut accepimus, capitulum generale ordinis fratrum praedicatorum in alma Urbe nostra propediem, benedicente domino, celebrandum sit, nos cupientes, ut capitulum huiusmodi recte et feliciter ad Dei laudem et gloriam dictique ordinis utilitatem celebretur, te, de cuius pietate, prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in domino confidimus, in praefato capitulo generali nostro et sedis apostolicae nomine praesidentem cum auctoritate, facultatibus, honoribus et oneribus similibus praesidentibus competentibus et aliis solitis et consuetis ac cum facultate, quando tu actibus capitularibus interesse non poteris, aliquam personam in dignitate ecclesiastica constitutam, tibi benevisam, in tui locum ad huiusmodi praesidentis munus obeundum cum auctoritate et facultatibus tibi per praesentes concessis substituendi apostolica auctoritate tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus, teque in domino hortamur et monemus, ut capitulum huiusmodi feliciter regere ac in illo omnia et singula, quae ad prosperum totius ordinis huiusmodi regimen et gubernium pertinent, decerni, statui et ordinari cures et facias; mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae dilectis filiis dicti ordinis superioribus, quocumque nomine nuncupatis, caeterisque fratribus et specialiter vocalibus in praedicto capitulo generali congregatis aliisque, ad quos pertinet, ut

(1) Vers. 15 sq.

te in eiusdem capituli nostro et sedis praefatae nomine praesidentem reverenter suscipiant tibique et per te substituendae personae praefatae in omnibus ad praesidentis huiusmodi officium pertinentibus pareant, obediant et assistant, tuaque et eiusdem personae a te substituendae salubria monita et iussa reverenter suscipiant et efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac dicti ordinis etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub anulo piscatoris die 29. maii 1721, pontificatus nostri anno primo.

F. cardinalis Oliverius.

Acta capituli generalis provincialium et diffinitorum Romae in conventu s. Mariae super Minervam ord. praed. celebrati in festo ss. Pentecostes die 31. maii 1721 sub reverendissimo patre fr. Augustino Pipia, s. theol. professore eiusdemque ordinis magistro generali in praedicto capitulo electo.

In nomine sanctissimae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti, nec non beatae Mariae semper virginis, et beati patris nostri Dominici, omniumque sanctorum.

## Denuntiationes.

1. Denuntiamus, die 31. maii labentis anni 1721 pervigilio Pentecostes singulari Spiritus sancti afflatu, ut pie creditur, vocalium corda fortiter ac suaviter inflectente, rite, canonice summaque cum pace in reverendissimum totius ordinis fratrum praedicatorum magistrum generalem selectum esse p. fr. Augustinum Pipia, gente Sardum, perinsignis conventus Maioricensis filium, ex provincia Aragoniae, sac. theol. profes., s. congregationis Indicis meritissimum secretarium, quem eadem electionis die, cum pomeridianis horis se ad sui totiusque sacrae religionis uberiorem commendationem ss. d. n. Innocentio XIII. supplicantium agmine praesentem stitisset, sanctitas sua summa cum benevolentia et humanitate excepit.

2. Denuntiamus, ss. d. n. Innocentium XIII. pro sua in ordinem singulari benevolentia fratribus nostris, qui ad pedum oscula processio-

nali ritu accesserunt, indulgentias concessisse rr. adm. patribus sacerdotibus trecentas, caeteris vero tum clericis tum conversis ducentas.

3. Denuntiamus, anno 1724 habendum esse capitulum generale, quod erit provincialium, ubi magistro ordinis visum fuerit.

4. Denuntiamus, Urbanum VIII. constitutione incipiente « Exponi nobis » 3. decembris 1635 constitutione 205. approbasse et confirmasse excommunicationem latae sententiae reservatam magistro ordinis vel eius vicario generali latam in capitulo generali Romae 1612 adm. 3. et Bononiae 1615 conf. 3. contra fratres ordinis nostri, qui per se vel per alium in Romana curia negotium aliquod, inconsulto procuratore generali ordinis, tractare audent; praelatis vero imponitur poena absolutionis a suis officiis ipso facto incurrenda. Unde admonemus fratres omnes totius ordinis iis subesse poenis, si causas aliquas in curia Romana tractare praesumpserint sine facultate procuratoris generalis, aut saltem ipso inscio, nec saeculares procuratores in hac curia deligere valeant uti causarum patronos, nisi quem procurator ordinis elegerit, cum causis et litibus, quae hac in curia ventilantur, vix unquam alias possit occurri.

**Confirmationes.**

1. Confirmamus, quae in capitulo Romano 1677 conf. 3. quaeque fere in omnibus capitulis generalibus statuta sunt ad coercendos vagos frequentesque fratrum discursus absque superiorum licentia et quae in constitutionibus nostris dist. 2. cap. 13. text. 2. et in glos. ipsius lit. C. quod, si aliqui incedant absque litteris testimonialibus, cum in aliquem pervenerint conventum, carceri mancipentur, imposita etiam ipsis poenitentia coram toto conventu, nempe disciplinae et sessionis in terra cum pane et aqua per triduum; qua peracta, aut detineantur in carcere, quoadusque magister ordinis aliter disposuerit, vel remittantur ad suam provinciam. Supplicamus magistro ordinis, ne hisce in poenis facile dispensare velit, cum fratrum discursus, ex quibus tot damna et scandala ordini eveniunt, nisi poenarum rigore coerceri non possint; quare mandamus superioribus conventuum, quod itinerantium testimoniales litteras indispensabiliter legant, ut iuxta conditionem uniuscuiusque fratris eos ad hospitalitatis officia suscipiant.

2. Confirmamus et, quatenus opus est, innovamus, quae toties per tot varia capitula generalia sancita et confirmata sunt, ut gravissimum malum, quod dira pestis vocitatur, ab ordine nostro eliminari possit, quodque nondum post sanctas inhibitiones, summorum pontificum decreta et constitutiones et capitulorum generalium sanctiones eradicari potuit, in diemque magis ac magis pullulat totiusque religionis regimen enervat domusque Dei decorem denigrat, videlicet dirum illud et grave malum, quo fratres suae vocationis et sanctarum legum immemores ad extraneo-

rum favores, ut gratias ordinis, munia, officia, dignitates, gradus et lecturas consequantur, recursum habent. Quod malum, ut omnino poenarum et censurarum terrore eliminare possimus, quae in conf. 8. cap. generalis Romae 1650 celebrati statuta sunt, quaeque etiam magister ordinis in epistola transmissa ad omnes fratres totius ordinis sub die 28. aug. 1691 statuit, mandavit et innovavit, confirmamus et innovamus, ac si de verbo ad verbum his actis capitularibus inserta essent, quoad poenas et censuras quomodolibet latas, etiam excommunicationis, declarantes, quotiescumque ex commendatione extraneorum sive a superioribus provinciarum aut congregationum vel conventuum sive a magistro ordinis aliquae gratiae conceduntur, non idcirco exemptos esse eos fratres, quibus conceduntur, a poenis, censuris et excommunicatione et aliis, quae a summis pontificibus Gregorio XIII. et Clemente VIII. et capitulis generalibus imponuntur, sed eas omnino incurrere, indeque ipsos habendos esse uti ordinis destructores totiusque religionis publicos hostes.

3. Confirmamus, quae toties ordinata sunt in capitulis generalibus circa commune depositum cuiuscumque conventus, etiam parvi, ut inviolabiliter stabiliatur, in quo omnes pecuniae undequaque advenientes omnino reponantur; in quo communi deposito constituatur arca, quae tribus seris claudatur, sintque tres claves distinctae, quarum prior aut praesidens conventus unam habeat, alias duas patres duo depositarii moribus et fidelitate probati, ne ex legum depositi communis inobservantia conventus nostri in dies dilapidentur.

4. Confirmamus conf. 7. capituli Romani 1650 et conf. 1. capituli Romani 1677, attendentes, quod non modica relaxatio in quibusdam provinciis irrepsit ex eo, quod novitii professi non maneant in novitiatu usque ad sacerdotium sub cura magistri, gravis et prudentis, zelum religionis et observantiae regularis habentis; idcirco vetamus, ne novitii aliis extra novitiatum fratribus, cuiuscumque conditionis sint, ad obsequia etiam religiosa in cameris praestanda deputentur, ne cito spiritum regularis observantiae, in qua in anno probationis instructi sunt, omnino amittant.

## Declarationes.

1. Declaramus, quod in omnibus provinciis habentibus magistros vel praesentatos titulares annumerandos inter graduatos provinciae nemo gaudere possit loco, iuribus et privilegiis magisterii vel praesentaturae, nisi post acceptam confirmationem actorum capituli provincialis a magistro ordinis faciendam.

2. Declaramus, quod omnes sententiae a iudicibus designatis latae, quae in praesenti diffinitorio generali comprobatae sunt, manu secretarii capituli subscriptae ordinisque sigillo munitae valeant suoque in robore consistant.

**Admonitiones.**

1. Admonemus iuxta tenorem sacrarum nostrarum constitutionum et uti in multis capitulis generalibus statutum est, ut provinciarum et congregationum superiores necnon conventuum priores quam diligentissime attendant in recipiendis fugitivis, unde tot mala et scandala pullulant in dedecus religionis, nec immemores sint poenarum nostris constitutionibus variisque capitulorum generalium sanctionibus constitutarum adversus eos, qui huiusmodi religiosis scandalosis praesidium vel asilum praebent, eoque pacto in causa sunt, ne crimina poenis debitis afficiantur.

2. Declaramus et admonemus omnes superiores provinciarum, congregationum et conventuum, ut pro viribus satagant omni honoris, obsequii et humanitatis impendio rev. adm. patres clericos regulares scholarum piarum tamquam de ordine nostro, de angelici nostri praeceptoris doctrina deque bonae memoriae magistro ordinis Antonino Cloche optime meritos praevenire, eorum zelum in populis commendare exantlatosque labores in iuvenibus informandis tum ad pietatem tum ad doctrinam celebrare.

3. In memoriam revocamus omnibus, ad quos spectat, exactam observantiam decreti Urbani VIII. super regularibus a sanctae inquisitionis officio punitis, cuius tenor est: Feria 5. prima octobris 1626 in generali congregatione S. R. E. universalis inquisitionis, habita in palatio apostolico montis Quirinalis coram ss. d. n. d. Urbano divina providentia papa VIII. ac illustrissimis et reverendissimis dd. S. R. E. cardinalibus in universa republica christiana adversus haereticam pravitatem inquisitoribus generalibus, a sancta sede apostolica specialiter deputatis, ss. d. n. iustis de causis animum suum moventibus decrevit et statuit, ut in posterum regulares omnes cuiusvis ordinis, religionis, societatis et instituti, quibus pro delictis ad sanctae inquisitionis officium spectantibus poenitentiae genus aliquod impositum fuerit, salutaribus poenitentiis exceptis, eo ipso ad omnes religionis suae gradus et officia inhabiles censeantur et deinceps, etiamsi poenitentiae tempus expleverint vel gratiam receperint, ad illa tamen promoveri nullatenus possint, nisi prius obtenta a ss. d. n. vel ab hac sacra congregatione coram sanctissimo habenda speciali et expressa rehabilitationis gratia; alias promotio quaelibet nulla sit, et promoventes ipsi privationem suorum officiorum ac praeterea vocis activae et passivae ipso facto incurrant, ad quae restitui nisi ab eodem ss. d. n. vel ab eadem sacra congregatione coram sanctissimo habenda non possint. Praesens autem decretum omnibus religionum superioribus intimari mandavit idem ss. d. n.

Thomas de Federicis S. R. ac universalis inquisitionis notarius substitutus de mandato etc.

**Ordinationes pro studiis.**

1. Ordinamus ad solidam s. Thomae doctrinam magis ac magis in dies promovendam, ne quis theses publicas praelo committat, nisi simul comprobatae sint subscriptionibus regentis vel prioris conventus, si magister sit aut s. theol. professor, et primarii lectoris aut alicuius in sacra theol. magistri, qui eo in conventu reperiatur, aut demum alicuius perdocti religiosi a rev. p. provinciali in quolibet conventu, ubi viget studium generale, deputandi, quemadmodum prudenter ordinatum est in capitulo generali Romae 1694 ord. 1. pro studiis.

2. Ordinamus, ne communes ac publicae scholarum nostrarum feriae concedantur nisi a vigilia s. Mariae Magdalenae usque ad festum s. Crucis ; et si in aliqua hebdomadae die festum aliquod occurrerit de praecepto vel ex devotione, quod ab universo clero tam seculari quam regulari solemniter celebretur, illud pro die feriali scholae computabitur.

3. Ordinamus, ut quibus diebus solemnes apud alios theses habentur, ad quas invitati sunt nostri, nihilominus scholae apud nos sint; publicae vero theses, quantum fieri poterit, illis dumtaxat diebus habeantur, quibus aliunde a scholis vacandum esset. Lectorum denique examina aut confessariorum nonnisi ferialibus diebus fieri volumus ; iniungentes rr. pp. prioribus, regentibus et lectoribus, ut praetextu thesium, quae apud exteros habentur, aut quia studentium aut lectorum vel confessariorum examen fieri debet, nullo pacto exercitia scholastica intermittant.

4. Ordinamus, ut lectores statuto tempore cursum lectionis suae incipiant et peragant; quod si in aliquibus provinciis studiorum rigor maior sit assiduitate ac diuturnitate lectionum, omnino servari volumus.

5. Memores sint lectores, eos in capitulo generali Bononiensi anno 1615 privatos esse voce activa et passiva et inhabilitatos perpetuo ad omnes gradus, qui in theologicis doctrinam d. Thomae, ut est in littera, expresse non docuerint; quod statutum praedicti capituli innovamus et observari mandamus ac hortamur omnes tam lectores quam studentes, ut, quantum fieri poterit, etiam textum d. Thomae memoriae commendent eiusque stylo ac verbis assuefiant. Item innovamus ordinationes editas de sequenda d. Thomae sententia communiter recepta, maxime circa materiam de auxiliis, praesertim a tempore congregationum de auxiliis, tum circa gratiam seipsa et ab intrinseco efficacem, quae liberum arbitrium maxime perficit, tum circa praemotionem seu praedeterminationem physicam, non modo ad actus bonos, verum etiam ad materiale peccati sive ad actum eius, quatenus entitas est realis et physica. Minime approbamus, sed reiicimus libellum, cui titulus : « Doctrina s. Thomae in materia de gratia ab erroribus ipsi falso impositis liberata » sub nomine rev. adm. p. magistri Sebastiani Knipenberg Coloniae typis da-

tum contra disertam inhibitionem rev. p. generalis p. men. fr. Antonini Cloche, sub praecepto formali eidem prius significatam, quod thomisticae doctrinae palam sit infestus et omnino contumeliosus in permultis rebus permagni momenti. Item iterum in scholis nostris improbamus Iosephi nostri de Vita Siculi volumen inscriptum « De proprio peccati principio » licentia publicandi operis data primum, tum a generali magistro revocata; cuius Iosephi liber a generali magistro huius temporis apud nostrates interdictus fuit post detectas authoris artes et censorum iudicia libro praefixa nullius aut certe suspectae fidei. Declaramus, ordinis nostri fratres manifestos s. Thomae doctrinae communiter receptae in scholis nostris hostes ipso facto incurrere poenas, quae toties in constitutionibus nostris et capitulorum generalium sanctionibus positae sunt. Item huius capituli auctoritate innovatur excommunicatio maior latae sententiae in fratres nostros posita in capitulo generali Romae celebrato a. 1644 ord. 6. libros, inconsultis superioribus legitimis, typis edere praesumentes.

Decreta pontificia cum ad regularem observantiam servandam tum ad studia fovenda in ordine fratrum praedicatorum iuris publici facta in his actis capitularibus.

Laudabilem eam consuetudinem inserendi actis capitulorum generalium decreta pontificia, quae pro regularis disciplinae observantia aut pro studiorum incremento emanarunt, ab exordio nostrae religionis universus praedicatorum ordo suspexit, laudavit atque inviolabiliter observavit. Cum igitur nobis cordi sit et regularem disciplinam collapsam instaurari et studia litterarum pene labentia ad primaevum splendorem restitui patrumque nostrorum vestigiis inhaerere, idcirco varia summorum pontificum decreta, quae ad utrumque finem collimant, ad litteram et ut dicitur de verbo ad verbum in fine huiusmodi actorum capitularium duximus esse referenda. Alterum quidem Innocentii papae XI. circa disciplinam regularem, quod incipit, « Cum nos alias », alterum vero Innocentii papae XII. circa studiorum profectum, provisiones graduum, exemptiones aliaque id genus, quod incipit « Ex iniuncto nobis ».

**Ordinationes pro regimine.**

1. Ordinamus, neminem ad ordinem nostrum recipiendum esse nisi ex legitimo matrimonio procreatus, uti in constitutionibus nostris dist. 1. cap. 13. text. 4. statutum est, moribusque probatus et in litteris grammaticis sufficienter instructus ac ex honesta familia natus sit; fiatque diligens horum omnium inquisitio et examen, sicut ex Clemente VIII. demandatur, in gloss. constit. cap. et dist. supradictis text. 2. lit. F. fusius declaratum est; hoc autem examen in parvis conventibus fieri non posse decernimus, inconsulto priore provinciali, qui examinatores designet cum

integro consilio patrum maioris conventus, salvis earum provinciarum legibus, ubi in capitulis provincialibus recipiendorum examinatores deputantur aut ubi in maioribus etiam conventibus provincialis assensus ad receptionem exigitur.

2. Ordinamus, neminem gaudere posse voce activa in electionibus canonicis, nisi qui semel saltem ab ordine fuerit approbatus ad confessiones, non equidem statim, sed opportuno deinceps tempore excipiendas, quo superiores pro animarum etiam fratrum nostrorum salute expedire in domino iudicaverint, cumque maturae aetatis erunt iuxta complures declarationes factas in variis nostris capitulis generalibus; et omnino iniungimus superioribus hanc ordinationem revocari ad praxim sub poena suspensionis ab officio.

Innovamus, quae in capitulo Romano anno 1694 admon. 6. habentur, cuius verba hic duximus exscribenda provincialium ac diffinitorum votis assentientes: « Admonemus omnes rr. pp. provinciales, ut in visitatione conventuum, quos ex fratribus nostris repererint, qui peracto studio cursus theologici, quique alias litteris et moribus idonei sunt, ad confessiones secularium audiendas se examini exponere recusaverint, eos etiam per privationem vocis activae et passivae ad examen subeundum compellant; alios vero fratres, quos etiam consummato cursu theologiae insufficientes probaverint, in poenam negligentiae ad biennium voce activa et passiva privatos declarent, nisi ante biennium expletum sufficientiam suam in examine probaverint ».

3. Ordinamus ad penitus eliminandum intolerabilem abusum, qui irrepsit grassaturque in multis provinciis, ne priores a suis conventibus absint ad conciones habendas toto tempore vel adventus vel quadragesimae, eo quippe tempore arctior in conventibus vigere debet observantia; ideo prohibemus omnibus prioribus, sicut in capitulo Valentino 1647 ord. 15. inhibitum est sub poena absolutionis ab officio ipso facto incurrenda et ad quam declarandam sola notorietas facti legitime probata sufficiat, ne praedictis temporibus respective sub quovis quaesito colore a suis absint conventibus. Eadem lex habeatur de lectoribus foras prodeuntibus ad conciones habendas tempore adventus vel quadragesimae, non obstante quacumque glossa constitutionum nostrarum.

4. Ordinamus, ut, si grassante peste in Europa habendum sit capitulum generale electivum, rev. pater vicarius generalis ordinis pro tempore consulat rr. adm. pp. provinciales omnes, qui suum hac de re calculum de graviorum patrum provinciae suae assensu, scriptis sigillo provinciae munitis, quantocius fieri poterit, Romam transmittant, et pro maiori numero calculi provincialium celebretur aut minime celebretur capitulum generale electivum.

## Ordinationes pro regimine monialium.

1. Declaramus, non minus ad moniales et sorores ordinis nostri respective pertinere, quae in capitulis generalibus sancita sunt et quae sororum professioni et statui consona sunt, et ad ea servanda omnino teneri; quare iniungimus rr. pp. provincialibus et monasteriorum visitatoribus, ut quae in his actis capitularibus ordinantur et constituuntur, quaeque fratribus et sororibus communia sunt, ea vulgari idiomate monasteriis omnibus sanctimonialium nostrarum faciant significare.

2. Ordinamus in sororum monasteriis, in quibus nondum est instituta ieiuniorum exacta observantia vel a carnibus rigida abstinentia secundum nostrarum constitutionum rigorem, si quae sint sorores, quae iis dispensationibus frui aut uti nolint, quod priorissae victui eiusmodi necessaria suppeditare teneantur, nec praelatus aut earum confessarius sororibus ipsis impedimento sint nec eas a tam sancto proposito revocare praesumant.

3. Ordinamus ad extirpandum penitus vitium proprietatis, ne fratres aut sorores notabilem pecuniae summam aut quidquam pretiosum cuiuscumque conditionis hominibus largiantur in praeiudicium communitatis suae, cui haec bona incorporata et unita dicimus, quacumque non obstante licentia obtenta a superioribus provinciarum aut conventuum, quam hac ordinatione revocamus et revocatam esse declaramus; volumusque adamussim servari debere constitutionem Clementis VIII., quae inscribitur « De largitione munerum », quam prae oculis semper ac inviolabiliter habeant tum subditi tum superiores provinciarum, congregationum, conventuum necnon etiam priorissae, ne bona conventuum hisce largitionibus per nefas inductis dilapidentur.

## Commissiones.

1. Committimus rev. p. magistro generali, ut nominet tres viros ex ordine aptos et eruditos, qui acta huius capituli generalis examinent, approbent ac subscribant, quo deinceps publici iuris fiant ad gloriam Dei nostraeque sanctae religionis publicam utilitatem.

2. Committimus eidem reverendissimo, ut eligat quatuor religiosos nostros ex doctioribus, provectioribus magisque informatis, quibus demandetur provincia revidendi constitutiones earumque glossas et ordinationes ac referendi futuro capitulo generali 1724, quaenam exigant correctionem vel emendationem sive declarationem et aliam provisionem in omnibus his, quae spectant statum et commodum religionis ac observantiam et disciplinam regularem; atque desuper a praedicto capitulo statuatur, ad formam constitutionum tamen, ut in posterum omnes tollantur occasiones quaestionum et dubitationum, et cum primis circa institutionem et remotionem superiorum et consimilium; et quoties in

glossis constitutionum nostrarum laudantur literae pontificiae vel decreta sacrarum congregationum vel alia id genus auctoritatis, ad codices authenticos et posteriores derogationes, si quae sint, recurratur, et cum his corrigantur et ad literam recitentur; et haec omnia fiant a praedictis religiosis, eminentissimo protectore consulto approbante, et suprascripta omnia serventur in posterum semper, ac constitutiones imprimendae sint cum aliqua mutatione sive in ipsis sive in glossis, ut tandem Deo benedante nostrarum constitutionum editio prodeat correcta, expers confusionis numerisque omnibus absoluta, quae hactenus invidia temporum minime fuit executioni data.

3. Committimus rev. p. magistro ordinis, ut vel attenta plurimorum conventuum extrema necessitate aut spectata missarum fundatarum imminutione proventuum iniuria temporum, bellorum, pestis aut quavis alia ex causa legitima, supplicet ss. d. n. Innocentio XIII. aut sacrae congregationi concilii Tridentini interpreti pro missis ab antiquo fundatis reducendis ad certam eleemosynae quantitatem.

4. Committimus eidem reverendissimo, ut omni sollicitudine causas b. Ceslai et venerabilis matris Agnetis a Iesu aliorumque venerabilium ordinis nostri, quae sunt in congregatione sacrorum Rituum pro eorum beatificatione, canonizatione aut extensione cultus et divini officii satagat ad felicem finem perducere, qua ex re pendet gloria et honor ordinis.

5. Committimus rev. p. magistro generali, ut famosam, antiquam et dispendiis celebrem litem ortam occasione collegii s. Ludovici in provincia Angelopolitana, quamcitius fieri poterit, dignetur dirimere, pro singulari qua valet prudentia et aequitatis studio.

6. Litem Lituanos inter et Ruthenos iam a longo annorum curriculo excitatam super nonnullis conventibus, an iure ad unam vel alteram spectent provinciam, remittimus magistro ordinis, ut in actuali visitatione harum regionum causam dirimat pro sua singulari prudentia et iustitia.

## Concessiones.

1. Concedit rev. magister ordinis omnibus ac singulis fratribus ac sororibus ordinis nostri eius curae subiectis, ut semel aliquem ex ordine nostro approbatum patrem confessarium sibi deligere possint, qui eos in actuali sacramenti poenitentiae administratione ab omnibus peccatis et censuris ante horum actorum publicationem quomodolibet contractis absolvere possit, a quibus ipsemet rev. magister ordinis absolvere valeret, si eorum respective sacramentalem confessionem exciperet.

2. Concedimus omnibus rr. pp. provincialibus necnon diffinitoribus, qui hocce in capitulo generali diffinierunt, ut quilibet eorum possit unum ex fratribus suae provinciae, poenae gravioris culpae ante huius capituli

celebrationem addictum, ad omnes gratias ordinis restituere, dum tamen post correctionem religiosius se gesserit.

### Pro provincia Hispaniae.

1. Innovamus ac insimul confirmamus conf. 16. capituli generalis Romae celebrati anni domini 1694, qua vi rescripti sacrae congregationis demandatur, ut in omnibus conventibus vita communis perfectaque communitas inducatur.

2. Ordinamus, ut in capitulo provinciali proxime futuro designentur unus vel alter conventus strictioris observantiae, in quo vel in quibus studentes absolutis philosophiae ac theologiae studiis per biennium in rebus moralibus lectorem ad id muneris specialiter institutum diligenter ac sedulo audiant, neque ad examen pro excipiendis secularium confessionibus admitti valeant, nisi qui a praefato de sufficientia et profectu literas habuerint testimoniales.

3. Cum pro concionatoribus, qui in permagno sunt numero, pauci gradus praesentaturae a provincia sint designati, concedimus, ut adaugeantur et protendantur ad numerum duodecimum, addendo quatuor gradus super octo, quos antea habebat, iuxta provinciae consuetudinem distribuendos, ac inter illos dumtaxat, qui praedicationis officium per quindecim annos laudabiliter impleverint, dummodo per quatuor saltem annos ex illis quindecim in magnis civitatibus aut suggestis insignioribus praedictum munus magna cum laude obierint.

4. Declaramus, minime fas esse prioris sanctimonialium ordinis nostri recipere ad habitum vel professionem novitias absque interventu vicarii ipsarum et in eius absentia sine praesentia ipsarum confessarii iuxta declarationem prius editam in capitulo Tolosano celebrato a. d. 1628 necnon secundum praxim communem.

5. Confirmamus omnia privilegia, quibus ex immemoriali consuetudine gaudet provincia, ea tamen lege, ut nullam irrogent iniuriam auctoritati magistri ordinis.

### Pro provincia Tholosana.

1. Confirmamus et sartas tectas esse volumus provinciae Tolosanae laudabiles omnes consuetudines circa observantiam constitutionum ad literam, ita ut nullae concedantur dispensationes quocumque praetextu nisi iuxta tenorem constitutionum nostrarum, nec in priores confirmentur, qui erga solita vitae regularis exercitia male affecti sunt.

2. Confirmamus unionem seu incorporationem trium conventuum in provincia Tholosana, scilicet conventus Viennensis in Delphinatu anno 1697, Aniciensis anno 1699 et Claromontani in Alvernia anno 1701; quae unio seu incorporatio facta est auctoritate rev. p. magistri generalis piae mem. Antonini Cloche.

3. Idoneis ducti rationibus ad annum prorogamus provincialatum adm. r. p. s. theol. professoris fr. Iosephi Boissiere. Novi eligantur priores, si alii ante septuagesimam suo defuncti sunt officio, novique gaudeant voce activa in futuro capitulo provinciali post annum solito tempore congregando.

4. Confirmamus statuta pro professoribus in academia Tholosana recenter institutis facta in ultimo capitulo Anicii celebrato anno 1717 et a b. mem. rev. p. magistro generali Antonino Cloche firmata et roborata, quorum is est tenor: I. Professores nostri in universitate Tholosana nominentur in consilio patrum, sicut nominari solent antecessores universitatis Avenionensis. II. Professores universitatis iisdem solum dispensationibus utantur, quibus alii lectores actu legentes secundum approbatam provinciae nostrae consuetudinem frui solent, cum sit par utrorumque labor. III. Stipendiis ad eorum victum et vestitum assignatis uti non possint ad libitum, sed in manus sindici consignentur; conventus autem iisdem professoribus de omnibus, quae eis necessaria fuerint, providebit. IV. Si ob infirmitatem aliquam temporalem docere non possint in universitate, ad ipsos non pertinebit alium subrogare, sed ad consilium conventus Tholosani. V. Si ad prioratum aliquem, etiam conventus Tholosani, vel ad provincialatum assumpti fuerint, alius professor in eorum locum nominetur, et ipsi suo iuri cedere teneantur. VI. Unus sit duorum professorum socius, cum in eadem schola successive lectiones habeant; iunior sacerdos, quantum fieri poterit, eis assignetur; si autem studentem clericum in novitiatu detentum eis concedere necesse fuerit, is ad lectiones tantum et ad actus academicos, non autem ad alia negotia comes adhibeatur.

## Pro provincia Franciae.

1. Confirmamus fundationem cursus theologici pro saecularibus in conventu nostro Engolismensi ab illustrissimo abbate de Lage factam et a consilio regio comprobatam, ipsumque fundatorem de nobis optime meritum grati animi ergo ad omnia ordinis suffragia quam libentissime admittimus.

2. Lectores tum philosophiae tum theologiae a conventibus electi posthac voce non gaudebunt, nisi a priore provinciali pro tempore assignati sint.

3. Bono pacis monasteriorum sanctimonialium consulere cupientes volumus, ut earum confessarii iuxta ordinationes Clementis VIII. expleto triennio mutentur. Quod si magistro ordinis placeat eorum tempus prorogare, postulationem monasterii a duabus partibus monialium vocalium subscriptam requirat, digneturque rev. adm. p. provincialem ea de postulatione facere certiorem.

4. Ordinamus, ut confessarii sanctimonialium etiam a rev. p. magistro ordinis continuati in suo munere et pro maioribus conventibus moderandis electi priores ad huiusmodi dignitates acceptandas compelli valeant a provinciali.

5. Confirmamus ius provinciae in acceptandis affiliationibus, adeo ut, quae minime fuerint in posterum in aliquo provinciali capitulo acceptatae, nullae ac irritae habeantur.

6. Ordinamus, ut praedicatores generales a priore provinciali et diffinitoribus in posterum postulandi a rev. p. magistro generali non instituantur aut confirmentur, nisi per acta capituli provincialis certis constet documentis, eos per tres integras quadragesimas in aliqua bona civitate verbum Dei laudabiliter annuntiasse, atque in actis capituli facta fuerit mentio huiusmodi bonarum civitatum.

7. Ordinamus, ut electio provincialis, quae semel tantum post Ascensionem domini facta est iuxta statutum b. mem. rev. p. Antonini Cloche, iuxta antiquam consuetudinem provinciae sabbato ante dominicam tertiam post octavam Paschatis celebretur perpetuo ac inviolabiliter.

8. Ordinamus, ut priores, qui contributiones pro viatico provincialis et diffinitoris, qui ad capitulum generale venerunt, minime persolverunt, privati sint voce in capitulo provinciali.

9. Multis gravibusque permoti momentis ad annum prorogamus provincialatum adm. rev. p. magistri fr. Ioannis Duclot. Novi eligantur priores, si alii ante septuagesimam suum implevere officium, novique fruantur voce activa in futuro capitulo provinciali post annum solito tempore celebrando.

10. Districte volumus et iniungimus, ut nostra congregatio provinciae Franciae regularem sedulo ac diligenter servet observantiam, alias omni studio satagemus, ut adiungatur, uniatur et incorporetur provinciae Franciae, cuius e gremio prodiit sub obtentu strictioris observantiae.

## Pro provincia utriusque Lombardiae.

1. Pro utriusque Lombardiae provincia circa magistros novitiorum servetur id, quod sancitum fuit in capitulo Romano 1686 conf. 2., ut nimirum, qui per duodennium dicto muneri laudabiliter inservierint, voce activa in capitulis provincialibus gaudeant tamquam vocales provinciae, ea tamen lege, ut duodennium ipsis computari non incipiat, nisi postquam a diffinitorio provinciali fuerint ad id muneris deputati, illudque exercuerint saltem per sex annos in educatione novitiorum simplicium.

2. Circa confessarios monialium deputandos serventur ordinata Venetiis 1592 ord. 5. et Vallisoleti 1605 et illi caeteris paribus anteponantur, qui vel magisterio decorati fuerint vel saltem legerint theologiam et in audiendis saecularium confessionibus seduli fuerint. Innovamus insu-

per ord. 5. factam pro hac provincia in capitulo Valentino 1647, nimirum quod, qui quadriennio munere confessarii perfuncti fuerint, non possint iterum ad id muneris assumi sive in eadem sive in alia civitate per integrum quadriennium, quo tempore in officiis prioratus, supprioratus aut alio altiori occupentur, alias non possint amplius ad confessiones monialium excipiendas designari.

3. Circa concionatores serventur ordinationes capitulorum generalium praesertim Venetiis 1592 ord. 11. et Romae 1612 scilicet, ut deputetur conventus, in quo cupientes praedicationi navare operam ita possint instrui, ut concionatoris munus laudabiliter obeant; et propterea ex pluribus conventibus in ultimo capitulo provinciali propositis seligatur unus vel alter, qui aptior fuerit iudicatus, proponanturque praeceptores magis idonei, qui iuvenes docere valeant rhetorices ecclesiasticae regulas per biennium saltem; qui autem ad conciones habendas fuerint aptiores iudicati, in lectionibus non occupentur, sed philosophicis ac theologicis studiis absolutis, statim ad praedictum conventum mittantur, daturi operam studio sacrae rhetorices. Ut autem aliquo praemio frui possint, volumus, ut executioni omnino mandetur, quod in gratiam concionatorum pro hac provincia concessum fuit in capitulo Romano 1694 num. 19. scilicet ut, qui in illustrioribus ecclesiis cathedralibus vel insignioribus Italiae suggestis laudabiliter et cum decore ordinis fama publica per duodecim saltem annos laboraverint tempore quadragesimae, fruantur gratiis et privilegiis in dicto capitulo concessis, et non aliter.

4. Pro toto ordine lectores sive artium sive theologiae serio admonemus, ut suis in officiis sint diligentiores, quive fuerint negligentes a rev. p. provinciali in actuali visitatione suis ab officiis amoveantur; qui p. provincialis teneatur in actuali visitatione ipsos privatis in thesibus audire, quosve minus sufficientes repererit ab officio deponere, ac insuper invigilare, ne ultra leges vacationes protrahant, sed omnes in festo exaltationis s. Crucis suis in conventibus praesto sint; et qui secus fecerit, intelligatur ipso facto a suo officio absolutus, nisi forte necessaria causa iudicio r. p. provincialis constiterit. Quod autem spectat eorum privilegia, serventur ea, quae in multis capitulis sancita sunt, videlicet quod soli lectores actu legentes iis fruantur; quod si actu minime legerint, sive id ex eorum culpa sive ex auditorum defectu oriatur, teneantur ad sequelam chori sicut coeteri fratres atque etiam ad officium hebdomadarii.

5. Transeuntes ab una congregatione ad aliam, si ab ultima rececedant congregatione, ad eam spectabunt provinciam, cuius erat membrum ea congregatio, in qua primo fuerunt sine praeiudicio indultorum pontificiorum et regularis observantiae.

6. Cum illustrissimus ac excellentissimus dominus generalis comes Aloysius Ferdinandus Marsilius, nobilis Bononiensis, insignem typographiam nedum suae patriae, verum etiam totius Italiae utilitati publicae necnon splendori magnis expensis praeparet ac instruat eamque pro singulari sua erga nos benevolentia atque erga doctorem angelicum s. Thomam Aquinatem peculiari devotione ordini nostro in conventu Bononiensi publico instrumento adiudicaverit, ut, cum fuerit numeris omnibus absoluta, a fratribus nostris administretur sub certis capitulis mutuo constituendis, nos eidem excellentissimo et munificentissimo viro totius religionis nomine summas grates impendimus enixeque rogamus magistrum ordinis, ut suis curis dictum opus foveat et, cum perfectum fuerit, pro viribus promoveat.

7. Diris devoveri poenisque omnibus iam latis subiacere supra declaravimus conf. 2. omnes recursum habentes ad favores extraneorum pro consequendis dignitatibus, gradibus, officiis et lectionibus ordinis; volumus autem in provincia utriusque Lombardiae lecturas obtentas per recursum ad favorem extraneorum minime computari pro quindennio ad magisterium simplex seu sine loco et voce.

8. Quod spectat 7. petitionem provinciae postulantis a diffinitorio, ut propter egregia merita ad magisterium studentium acceptarentur et approbarentur p. fr. Ioannes Dominicus Agnani Mutinensis et p. fr. Placidus Seraphinus Rodenghi Brixiensis, ac si ad dictum munus magisterii studentium fuissent a provincia acceptati et approbati, censuit diffinitorium rem totam committere arbitrio et prudentiae magistri ordinis. Quod autem spectat postulationem rev. p. fr. Dominici Octavii de Orestis provinciae utriusque Lombardiae, s. theol. magistri titularis, cupientis, ut, primus annus lecturae suae anni labentis in celebri academia Taurinensi suffragetur ipsi intra suam provinciam pro anno magisterii studentium, de facto dispensat magister ordinis cum diffinitorio habita computatione. Circa vero alteram partem, qua praefatus orator enixe rogabat, ut lectura duorum annorum subsequentium in praedicta universitate pro biennio baccalaureatus, supplendo quantum opus est, postulationem provinciae, quatenus post tres annos scholasticos ab incepto praedicto munere theologi professoris in provinciae suae magistrum cum loco et voce admitti valeat, censuit diffinitorium rem illam committere arbitrio et prudentiae magistri ordinis. Item quod spectat rev. adm. p. magistrum Dominicum Antonium Giaconi, collegii Casanatensis nomine Italiae theologum, a generali diffinitorio postulantem, ut anni octo, quibus in academia Maceratensi theologiae professoris partes sedulo laudabiliterque implevit, itidemque anni quatuor et amplius transacti in collegio Casanatensi, computentur pro magisterio obtinendo in provincia utriusque Lombardiae,

praedictum diffinitorium votis suis quam benigne annuit, committens arbitrio et prudentiae rev. p. magistri ordinis, ut praefatum oratorem instituat et creet magistrum utriusque Lombardiae provinciae cum omnibus honoribus et privilegiis, quibus frui solent.

9. Diffinitorio placuit, ut lecturae p. fr. Antonii Baldovini provinciae utriusque Lombardiae tum in conventu et collegio Gratianopolitano, deinde in conventu Lugdunensi, denique in conventu et collegio Divinionensi, in quo theologiam docet etiam in praesenti, oratori suffragarentur, perinde ac si docuisset in eadem provincia sua, quatenus, postquam per quindennium docuerit, idque per authenticas attestationes in dictae provinciae suae capitulo provinciali de more producendas probaverit, ad lauream magisterii simplicis theologiae iuxta praxim eiusdem provinciae valeat postulari.

### Pro provincia Romana.

Cum propter vitandas provinciae Romanae expensas tum propter vocalium multiplicitatem eiusdem provinciae votis annuimus volumusque et mandamus, ne unquam in posterum priorum ad capitulum provinciale euntium socii eligantur.

### Pro provincia Regni.

1. Cum provincia Regni iam suo iure gaudebat ad lauream magistralem promovere supra numerum octodecim alios duos eiusdem provinciae fratres iuxta sancita in capitulo generali Bononiae celebrato mense iunii 1706 titulo pro provincia Regni § 7., ubi legitur: « Conceduntur duo loca magisterii supra octodecim, ad quae promoveri valeant ii, qui in munere sanctae praedicationis laudabiliter et cum applausu auditorum per duodecim quadragesimas in civitatibus conspicuis et in pulpitis primariis se occupaverint, salvo tamen iure provinciae, sicut et alios magistros acceptandi ». Pro iure praefato provinciae Regni votis assentientes declaramus et mandamus praefatae legis cum rigore observantiam, adeo ut conditiones omnes requisitae a praefato capitulo Bononiensi confirmentur et approbentur et nonnisi per scrutinium et examen eiusdem provinciae in diffinitorio capituli provincialis proponendum et cum diserta eiusdem provinciae postulatione.

2. Cum statutum sit per leges, lauream magistralem et baccalaurei titulum gradus fuisse ac esse in praemium distribuendos pro labore scholastico rite per cathedras exantlato, ut ii abusus, qui in hac provincia interdum irrepserunt, omnino eliminentur, consentimus ad huiusmodi baccalaureatus titulum, qui de loco etiam dicitur, eos dumtaxat probari idoneos, qui peracto triennio lecturae philosophiae necnon quadriennio theologiae et laudato examine coram rev. magistro ordinis vel eius vicario generali pro tempore, quod fieri statuitur pro gradibus consequen-

dis, exinde magisterio studentium penitus absoluto huiusmodi titulo et gradu potiri posse, at nonnisi vacante loco praeviaque eiusdem provinciae postulatione; volumusque eiusmodi baccalaureos non frui loco nisi post baccalaureum ordinarium et eos, qui fuerunt baccalaurei ordinarii.

3. Circa magistros in s. theologia laureatos de collegio s. Thomae Neapoli, qui voce ac loco gaudent in electione priorum provincialium, quibus minime subduntur, censuimus nil innovandum moremque pristinum omnino esse observandum, ne magistri ordinis, fratres in praedicto collegio ad nutum affiliantis, interposita nova conditione, ut de sinu provinciae Regni desumantur, auctoritati inferatur iniuria.

4. Cum alienatio bonorum immobilium eorumque commutatio vel applicatio fieri nequaquam possit, supposito etiam apostolico indulto, sine consensu consilii patrum et duarum partium eiusdem conventus iuxta capitulum generale celebratum Vallisoleti anno 1605 ord. 27. et praefatam applicationem ex restitutione capitalium in quibusdam nostris conventibus forensibus quandoque defecisse compertum fuerit, non quidem animi pravitate, sed incuria vel ignorantia, unde monasteriis grande malum accedit, idcirco sancimus et mandamus omnibus superioribus praedictorum conventuum, seu priores seu vicarii aut praesidentes sint, restitutorum capitalium applicationem in bonis stabilibus minime fieri sine assensu et diserta licentia in scriptis obtenta rev. adm. p. provincialis pro tempore in emptionis instrumento interponenda, ut plenum sit iudicium in re tam momentosa; itemque ordinamus pro illis forensibus conventibus, ut expensae extraordinariae minime fiant supra ducatos decem sine eiusdem p. provincialis expresso beneplacito et consensu, idque servandum omnino esse volumus pro communi provinciae bono conventuumque utilitate haud modica.

5. Cum in conventu nostro s. Brigittae loco novitiatus simplicis patres a consiliis vix contingat adesse tres vel quatuor ad summum, nec videatur plene tractari posse de approbatione novitiorum ad professionem, quae res permagni sane momenti est, idcirco ordinamus, ut tempore professionis emittendae p. provincialis pro tempore cum aliis patribus morum gravitate et prudentia conspicuis, supplendo defectum patrum a consiliis ibidem existentium, una cum illis habito consilio eisdemque patribus auditis, insimul decernant, quod expedire magis visum fuerit et nonnisi conclusum per secreta suffragia.

6. Studiorum profectui et decori provinciae Regni consulentes concedimus, ut Romam petere nequeant ad examen magisterii studentium coram rev. p. magistro ordinis subeundum, nisi qui post absolutum quadriennium praevio concursu coram rev. patribus s. theologiae magistris, tempore provincialis capituli peragendo, idonei reperti ac iudicati fue-

rint; quo peracto tres tantum per suffragia secreta deligantur, pro quibus fiant petitiones pro huiusmodi gradu et caeteris ad magisterium usque inclusive, non negata iis, qui minime postulati sunt, facultate iterum concurrendi in altero provinciali capitulo, prout necessitas exposcet; idque volumus intellectum salva et incolumi authoritate magistri ordinis, si quis iuremerito conqueratur de iniuria sibi irrogata.

## Pro provincia Hungariae.

1. Concedimus provinciae nostrae Hungariae omnia iura et privilegia provinciae Theutoniae pluribus capitulis generalibus asserta, quod olim ea cum provincia idem corpus constituens iisdem privilegiis imperturbate frueretur.

2. Residentias Lestinensem et Vaciensem erigimus in formales conventus omnibus cum iuribus ac privilegiis, ut sic primaevus nitor nostrae religioni in Hungaria decursu temporum restituatur, ea tamen lege, ut res proponatur magistro ordinis ab eoque comprobetur et confirmetur.

3. Nolumus, ut patres iuvenes non confessarii, quamvis sex post professionem annos in religione compleverint, admittantur ad canonicas electiones voce activa potituri iuxta id, quod superius sancitum est pro toto ordine ord. 2. pro regimine.

4. Quod spectat, ut Tridentini nostri conventus patres debitam provinciali Hungariae obedientiam praestent, Christi bonum odorem diffundant, regularem adamussim custodiant observantiam aut, ni eiusmodi praestent, a provinciae corpore avellantur, enixe rogamus magistrum ordinis, ut omni cura omnique studio dignetur in hoc monasterio collapsam religiosae familiae disciplinam in integrum restituere ac reducere.

## Pro provincia Teutoniae.

1. Extensionem graduum praesentaturae ad duos vel tres ultra praesentem novenarium eorum numerum concedimus arbitrio magistri ordinis.

2. Confirmamus ordinationem capituli generalis anno 1686 celebrati, qua fuit concessum, ut lectores primarii studiorum formalium relate ad gradus patribus baccalaureis studiorum generalium aequales habeantur, quod pares subeant labores; volumusque, ut praefata concessio speciatim in nostro studio formali provinciae obtineat.

3. Cum sorores nostrae tertiariae monasterii Osnabrugensis Westphaliae in congregatione sub perfecta communitate viventes anno 1705 ad supplicem earum instantiam a capitulo provinciali Francofurtano fuerint acceptatae, ad earumdem supplicem ac instantem petitionem ordini ac provinciae nostrae Teutoniae penitus aliorum instar conventuum unimus, adiungimus, incorporamus atque iurisdictioni p. provincialis eiusdem provinciae pro tempore committimus. Eamdem gratiam impartimur congregationi s. Catharinae Senensis civitatis Heidelbergensis in Palatinatu.

4. Conventus Luxemburgensis, qui ab origine sua a quadringentis et amplius annis provinciae Teutoniae constanter unitus fuit ultimisque dumtaxat belli temporibus ab eadem avulsus atque ad provinciam Germaniae inferioris translatus, incorporetur suae antiquae provinciae Teutoniae.

**Pro provincia Angliae.**

1. Ordinamus, quod, si propter grassantem haeresim ad capitulum prioris provincialis electivum minime convenire possint patres vocales, ut ex aliquibus a patribus provinciae nominatis rev. magister ordinis unum quendam dignetur instituere.

2. Erigimus in collegium cum omnibus gratiis, privilegiis et iuribus domum nostram Lovaniensem per testamentum eminentissimi cardinalis piae memoriae p. fr. Thomae Howard de Norfolcia eo intuitu fundatam, ut esset collegium pro studiis philosophiae peragendis, collegiorumque privilegiis frueretur in academia Lovaniensi.

3. Ob penuriam subditorum in hac desolata provincia dispensamus in sexennalibus interstitiis pro institutione priorum et priorissarum, adeo ut triennium sufficiat pro rehabilitatione ad eorum earumve respective officia.

4. Confirmamus provinciae Angliae communicationem privilegiorum cum provincia Hiberniae, quemadmodum in ultimo capitulo Bononiensi concessum fuit.

**Pro provincia Poloniae.**

1. Serventur iura, consuetudines et privilegia usu firmata. Concedimus, p. provincialem cum diffinitorio provinciae instituere posse praedicatores generales, ea tamen lege, ut instituti praedicatores generales indigeant deinde litteris patentibus magistri ordinis. Magistri studentium designabuntur et instituentur a provinciali cum provinciae patribus.

2. Confirmamus studium generale in conventu Varsaviensi s. Hyacinthi in Polona provincia erecti et concessi per generale capitulum provincialium Romae celebratum et per subsequens capitulum generale diffinitorum Bononiae anno 1706 approbatum et confirmatum.

3. Confirmamus, ut capitulum provinciale in provincia Poloniae celebretur mense septembri sabbato proximo ante festum Nominis beatissimae Mariae Virginis, sicut nunc celebratur ex concessione rev. p. magistri generalis p. mem. p. Antonini Cloche.

4. Placuit rev. p. magistro generali et rev. diffinitorio, ut in provincia Poloniae omnes sex vicariatus nationum seu contratae, scilicet minoris Poloniae, maioris Poloniae, Prussiae, Massoviae, Lublinensis et Volhiniae, maneant penes antiqua iura et possessionem conventuum, sicut nunc reperiuntur.

### Pro provincia Aragoniae.

1. Prorogamus idoneis ducti rationibus ad annum 1722 provincialatum rev. adm. p. provincialis Hyacinthi Santaromana volumusque, ut dictus provincialis perseveret in officio suo usque ad dominicam « Deus qui errantibus » anni proximi 1722, et capitulum pro electione futuri provincialis tunc celebretur. Novi deligantur priores, si alii ante septuagesimam suum complevere officium, novique fruantur voce activa in futuro capitulo provinciali.

2. Committimus rev. p. nostro generali, ut tam sua auctoritate quam capituli generalis, quando provincialis Romam appulerit, variis antea impedimentis itineris irretitus, petitiones, quas capitulo generali exponendas afferebat, sua paternitas reverendissima audiat et super eis provideat, prout expediens pro bono provinciae in domino iudicaverit.

3. Pro more aliorum capitulorum generalium a praesenti capitulo approbantur, acceptantur et confirmantur omnia et singula magisteria et gradus promotorum ea in provincia post immediate praeteritum capitulum generale Bononiae celebratum anno 1706 per b. mem. rev. p. nostrum magistrum generalem fr. Antoninum Cloche nuper defunctum et per rev. p. magistrum fr. Angelum Gulielmum Molum, dum munere vicarii generalis ordinis perfungebatur, collati et concessi usque ad praesens capitulum generale, omnesque sic promotos suis gradibus gaudere debere, declaramus.

### Pro provincia Bohemiae necnon Silesia eiusdem provinciae parte.

1. Circa nova festa, quorum celebrationem a nobis postulat Bohemiae provincia, tum ut consentiat cum metropolitanis harum partium ecclesiis tum ut fruatur possessione antiquae consuetudinis, omnino censemus adamussim servandas esse ordinis rubricas aut pro gratia fore recurrendum ad sacram congregationem Rituum.

2. Cum bellorum tum temporum iniuria complures conventus nostros in praesentia a viris saecularibus esse occupatos, gravissimo conficitur dolore provincia Bohemiae, hinc ne per adeo longam ordinis nostri iacturam praefati conventus penitus aboleantur aut eorum loca per alias monasticas religiones, uti alias passim factum esse dolentes experimur, ordini praeripiantur, concedimus p. provinciali nostro pro tempore facultatem, ut propter ordinis incrementum in hisce ad haereticos vicinis partibus de consilio aliquorum graviorum patrum pro praefatis in hac regione desolatis conventibus designare valeat priores titulares absque voce ac loco illisque eosdem recuperandi demandare provinciam.

3. Confirmamus studium generale Vratislaviense a magistro ordinis p. mem. Antonino Cloche anno 1707 in hac provincia erectum et in-

stitutum, cum hac diserta clausula professorum et moderatorum indiscriminatim sive ex natione Bohema sive Silesitica sive Moravica designandorum.

4. Circa nonnullorum manuscriptorum codicum restitutionem faciendam servetur iuris ordo, et proferant documenta iniuriae sibi factae aut per nefas aut per incuriam, qui postulant fratres.

5. Conventum Pilsnensem monialium s. Rosae erigimus in prioratum et fundatricem religiosam virginem Catharinam instituimus in primam priorissam ibidem.

6. Cum novem Silesiae conventus uno tantum magisterio gaudeant titulo praedicationis, concedimus et alterum, ut hocce veluti proposito praemio plures, qui sunt pernecessarii hisce in partibus utpote haereticis, invitentur ad habendas conciones et dotes, quibus eos ditavit dominus, magis ac magis impendant pro incremento catholicae religionis et decore ordinis.

## Pro provincia Saxoniae.

1. Confirmamus nostram provinciam Saxoniae cum titulo, loco et privilegiis provinciae Saxoniae iuxta decretum rev. p. magistri generalis Antonini Cloche piae recordationis.

2. Huic provinciae eamdem impartimur gratiam, quae provinciae Hungariae concessa est, videlicet quod gaudeat omnibus privilegiis provinciae Teutoniae, quia et haec provincia sicut Hungariae provincia fuit antea provinciae Teutoniae unita.

3. Cum haec provincia post divisionem factam adeo angustis contineatur finibus, ita ut ad summum provincialis biduo possit ab uno conventu ad alium venire, ideo concedimus, ut provincialatus officium ad triennium coarctetur, mandamusque, ut quotannis provincialis conventus visitet, ne diu versatus in uno magnis expensis ei molestiam et damnum afferat.

4. Cum Deo bene favente in multis huius provinciae monasteriis communitas aut ex integro aut ex parte inducta sit, quo tota in provincia uniformitas reperiatur, ad succurrendum conventibus indigentibus concedimus, ut per quindecim annorum curriculum dimidia pars patrimoniorum vel haereditatum eorum, qui sacram religionis nostrae vestem induerunt aut in posterum induent, pertineat ad conventum nativum, altera vero spectet ad massam provinciae pro erigenda et conservanda communitate totius provinciae deputata cum exactis ratiociniis tam provincialium quam priorum.

5. Concedimus, ut provincia erigat locum saltem unum, ubi vigeat perfecta observantia regularis, a carnibus abstinentia omnimoda, ibique sit novitiatus formalis; volumusque, ut post factam discussionem a p.

provinciali et diffinitoribus tam circa locum quam circa media prior loci minime audiatur, sed authoritati primorum patrum provinciae negotium committatur.

6. Pro stimulo concionatorum concedimus titulo praedicationis alterum magisterium, cum antea uno tantum gauderet.

7. Provincialis in arduis provinciae causis nihil faciat, nisi praehabito maturo consilio graviorum patrum provinciae.

**Pro provincia Trinacriae.**

Cum temporum iniuria haec provincia diffinitorio generali speciales postulationes proponere non potuerit, idcirco capitulum censuit committere magistro ordinis, ut pro sua singulari tum prudentia tum iustitia rebus provinciae Trinacriae quantocius dignetur consulere.

**Pro provincia Lusitaniae seu Portugalliae.**

1. Confirmamus et acceptamus gratiam a rev. p. magistro generali fr. Antonino Cloche piae recordationis ad petitionem provinciae concessam lectoribus actu legentibus pro forma et gradu magisterii, videlicet quod per tres annos completos lectionis cursus artium, in quibus sex conclusiones publicas moderabuntur, et post duodecim annos lectionis theologiae speculativae, in quorum quolibet duabus publicis praeerunt conclusionibus, poterunt lectores sic legentes gaudere omnibus gratiis, exemptionibus et privilegiis praeter locum, quibus praesentati in provincia frui solent, ea tamen lege, ut ad eiusmodi gratias obtinendas illis lectoribus necesse sit prius in capitulo provinciali fidem facere atque attestationem autenticam proponere de numero quindecim annorum lectionis completo et de conclusionibus propugnatis supradictis et a capitulo provinciali accipere literas patentes pro gratiis et exemptionibus consequendis, alias nullis potiantur privilegiis et exemptionibus.

2. Cum in hac provincia exuberent merita et praemia desint pro laborantibus in pulpito et cathedris theologiae moralis, concedimus duas supra iam taxatum numerum praesentaturas, alteram titulo moralis lectionis, alteram causa praedicationis; utque in posterum plurima vitentur inconvenientia, ordinamus, ut nullus deinceps admittatur ad gradum praesentaturae titulo lectionis moralis, qui per viginti annos theologiam moralem publice non docuerit, nec ad gradum praesentaturae titulo praedicationis, qui munus praedicandi per viginti annos laudabiliter non exercuerit.

3. Acceptamus breve ss. d. Clementis XI. fel. rec. confirmantis reformationem statutorum collegii s. Thomae Conimbricensis factam a provincia et itidem gratias tum lectoribus tum scholaribus concessas; quae omnia a capitulis provincialibus iam fuerunt approbata. Item acceptamus et confirmamus gratiam rev. p. magistri generalis fr. Antonini

Cloche p. mem. concessam praesentatis scholasticis quoad praerogativam loci.

4. Confirmamus determinationem rev. p. magistri generalis fr. Antonini Cloche b. mem. et capituli generalis, qua statutum fuit, lectores regalis collegii dominae nostrae de Scala graduatos esse titulo lectionis speculativae. Addimus, quod sint vel huiusmodi graduati vel lectores scholastici, qui post lectiones in studiis generalibus completas fruuntur privilegiis et exemptionibus graduatorum.

5. Confirmamus acceptationem erectionis domus de Montejunto in conventum ordinis ex gratia rev. p. magistri generalis fr. Antonini Cloche fel. rec. cum immediata subiectione ad magistrum ordinis pro tempore praeter visitationem generalem ab ipso commissam provinciali provinciae. Item acceptamus et confirmamus statuta facta pro ipso reformato conventu, quae iam a provincia fuerunt comprobata. Item erigimus in conventuum domum b. Ioannae.

6. Limitamus ordinationem capituli provincialis confirmatam a rev. p. magistro generali fr. Antonino Cloche p. mem. usque ad capitulum generale circa numerum decem annorum in habitu ordinis a conversis laicis habendum ante annum probationis in novitiatu, illamque ordinationem ad triennium revocamus.

7. Districte vetamus, ne illegitimi, cuiuscumque sint conditionis, qui suorum pene semper natalium redolent foeditatem, ad habitum ordinis admittantur, quod nostris cautum est constitutionibus, ut superius videre est titulo pro regimine ord. 1. Districte etiam mandamus, ut ad ordinis habitum minime admittantur pueri titulo educationis, qui 15. aetatis annum non compleverint; quod si aliqua tergiversatione fuerint sacra veste donati a provincialibus, praecipimus, ut fratres, quibus competit de iure suffragia ferre pro receptione ad habitum vel solemni professione, sua ipsis denegent suffragia.

8. Cum plures in hac provincia suis parentumque suorum expensis creati sint baccalaurei in academia Conimbricensi, sperantes gaudere privilegiis ac exemptionibus baccalaureorum ordinis, si a capitulo generali ad eiusmodi privilegia admittantur, definimus ac declaramus, illos minime admittendos esse ad gratias et iura presentatorum seu baccalaureorum ordinis, nisi iam habeant requisita ab ordine, ut eiusmodi quis potiatur privilegiis ac exemptionibus.

9. Ordinamus, ut fratres nostri exemptione a choro diurno aut nocturno gaudentes titulo, qui non sit vel lectionis actualis vel graduationis vel officii, illa exemptione minime fruantur in conventu Ulyssiponensi s. Dominici sub poena privationis praedictae exemptionis in praesens inflicta.

10. Revocamus ordinationem capituli generalis, qua concedebatur collegio s. Thomae propter summam, qua laborabat, rerum inopiam tertia pars spoliorum fratrum defunctorum, qui in ipso fuerant scholares, cum huius concessionis causa cessaverit, scilicet alere scholares, et ordinamus, ut illa tertia spoliorum pars, quae praedicto collegio fuerat attributa, illis obtingat conventibus, qui suis filiis in collegio quotidianam praestant sustentationem et alimenta.

11. Circa novum et proprium beatissimi patriarchae s. Iosephi in hac provincia recitandum officium pro gratia recurrat provincia ad sacram Rituum congregationem. In Lusitania in festo s. Iosephi adsint omnes fratres officio in choro persolvendo necnon missae conventuali decantandae, sicut et in aliis solemnioribus festivitatibus tenentur interesse.

12. Ne vitium proprietatis serpat apud moniales in Lusitania, districte praecipimus, ut nec in vita nec causa mortis quidquam pretiosum donare audeant, uti superius fuse declaravimus ord. 3. pro regimine monialium.

13. Cum vicariatus de Moncellos duodecim fratres alat, erigimus ipsum in conventum formalem provinciae, servatis de iure servandis.

14. Circa numerum iuvenum recipiendorum ad habitum ordinis ordinamus, ut provincialis eos admittat, prout in diffinitorio capituli provincialis electivo vel in qualibet congregatione intermedia numerus erit designatus iuvenum recipiendorum ad habitum in biennio immediate sequenti; et nullus provincialis ultra illum iustum numerum suscipere possit sub poena nullitatis ipso facto.

15. Acceptamus in monasterium ordinis congregationem sororum tertiariarum s. Rosae de Guimaraens a multis annis viventium in clausura sub cura et obedientia ordinis per acceptationem r. adm. p. fr. Thomae de la Eltteta, commissarii generalis rev. p. generalis Antonini Cloche nuper defuncti.

## Pro provincia Bethicae.

1. Cum in actis capitulorum generalium Romae 1694 et Bononiae 1706 ordinetur, quod lectores, postquam per octo annos sac. theologiam publice legerint, dispensationibus graduatorum ac privilegiis ipsis concessis fruerentur, absque tamen denominatione ac loco, et experimento comperiatur, huiusmodi ordinationem modo provinciae necnon conventibus plurimum nocere, quod multitudine dispensatorum, quibus hodie repleti inveniuntur, maxime gravantur, atque etiam quia tam brevi lectionis spatio perparum in rebus theologicis proficere valent, ac perinde viri eruditi, cuiusmodi desiderantur, evadere nequeant, votis provinciae assentientes revocamus praedictam ordinationem volumusque, ut tam le-

ctores theologiae, qui modo sunt, quam qui deinceps erunt, suis in lectionibus permaneant, donec gradum obtineant; ne autem lectores habituales, qui hodie in provincia versantur et in vi ordinationis praefatae completis octo annis ab actu legendi destiterunt, sine aliqua mercede relinquantur, provinciae postulationi annuentes volumus, ut huiusmodi lectoribus habitualibus, confirmatis sibi dispensationibus, locus antiquitatis concedatur post praesentatos immediate; quae quidem gratia ad alios quam ad lectores habituales theologiae, qui modo sunt, nullatenus extendatur. Et ne inter ipsos ob loci praerogativam controversia suboriatur, declaramus, illos praecedere debere, qui fuerint aliis professione antiquiores.

2. In aliquot provinciae conventibus irrepentem abusum nominandi praesentatum seu magistrum illum, qui hisce gradibus insignitus non est, eradicare volentes declaramus, eos qui eiusmodi titulos nondum sibi a religione collatos, quantovis donentur merito, inaniter ac iniuste contra legum nostrarum dispositionem praetendunt, subiacere poenae inhabilitatis ad gradus aliisque arbitrio superiorum imponendis. Item praecipimus omnibus, ut minime audeant praefatis nominibus illos deinceps decorare; quo submota confusione, quae rixas parit, consistat ordo hierarchicus et pax et concordia inter fratres concilietur.

3. Praecipimus in virtute spiritus sancti et sanctae obedientiae necnon sub formali praecepto, ut fratres clerici professi, dum sub cura magistri novitiorum educantur, minime dentur in cubicularios cuiquam, quavis auctoritate seu gradu fulgenti, etiam sub quovis praetextu, motivo aut causa.

4. Imponimus prioribus poenam absolutionis ab officio ipso facto incurrendam permittentibus extra claustra subditos habitare diu citra facultatem expressam s. congregationis aut magistri ordinis pro tempore ex causa legitima.

5. Confirmamus omnia, quae pro hac provincia sancita sunt in actis capitulorum generalium Romae 1686 et 1694, exceptis illis, quorum revocationem postulavit et obtinuit haec provincia, uti superius videre est numero 1.

## Pro provincia Germaniae inferioris.

1. Ordinamus pro toto ordine, ut sacerdotes non admissi ad confessiones audiendas saltem in ordine, careant voce activa in omni electione canonica iuxta ordinationem capituli Romae celebrati in conventu s. Mariae super Minervam die 28. maii anno 1694 adm. 6. Id facimus, quia vocis activae privatio unicum videtur esse remedium, quo permulti studentes ignavi et pigri excitentur ad gnavius studiis incumbendum, quo possint evadere in confessarios, quorum copia maxime indigent provin-

ciae Germaniae inferioris conventus ad excolendos terminos in pagis, quorum ex stipis coactione vivere solent. Hanc tamen pro toto ordine legem sic volumus intellectam sine praeiudicio eorum, qui iam fuerunt in constanti possessione vocis activae in canonicis electionibus.

2. Concedimus, ut antiqua praxis huius provinciae quoad reeligibilitatem patrum priorum et matrum priorissarum in eodem conventu habito interstitio triennii post expletum officium obtineat, cum longa sit compertum experientia, ad communem utilitatem id valde conferre.

3. Qui obtinent facultatem a magistro ordinis petendi Romam vel commigrandi ad aliam provinciam, teneantur hanc facultatem notam facere provinciali pro tempore, quo informet magistrum generalem, num haec licentia sit opportuna necne; ex praxi quippe contraria fluere magna inconvenientia et ingentia scandala, nemo non videt oculatus; excipimus tamen casum iustae appellationis ad magistrum ordinis interiectae.

**Pro provincia s. Thomae de Apulia.**

1. Cum promovendi ad gradum baccalaureatus ordinarii et ad officium regentis sint ferme quindecim et plusquam triginta ad gradus examinandi, ut possint ad magisterium studentium sublimari, eorumque numerus in dies magis ac magis augeatur, ne longa extra scholas mora, rerum scholasticarum species deterantur neve fructus incrementi studiorum, quem haec provincia prestolatur, funditus arescat, conventum s. Dominici in Suriano de Melphicto erigimus in collegium vel studium generale omnibus cum gratiis et privilegiis, quibus de iure aut ex consuetudine laudabili frui solent caetera nostra studia generalia; in quo praefato collegio sicut et in Barullano et Liciensi sola littera seu textus s. Thomae iuxta mentem capitulorum generalium praecipue Romani ord. 7. et Bononiensis ordinationibus 13. et 14. legatur.

2. Cum conventus s. Onuphrii de Novola, s. Dominici de Andrano, s. Angeli de Bovino et s. Ioannis Baptistae de Usaria summa rerum inopia laborantes unum dumtaxat vel alterum fratrem alere possint, in iisque regularis observantia in provinciae detrimentum penitus relaxata conspiciatur, idcirco graviorum patrum consilii determinationi stantes ac assentientes, indulgemus, quantum in nobis est, ut hosce conventus provincia dimittat sub episcopi diocesani respective cura necnon regimine, ideoque ad sacram congregationem regularium et episcoporum accedant, quae providebit, sicut in domino expedire videbitur.

3. Cum nonnulli fratres bona fide inveniantur affiliati per professionem in alio conventu ab eo, pro quo habitum susceperunt, atque per dictarum affiliationum discussionem haud levis in provincia suboriretur perturbatio, confirmamus praedictas affiliationes et, quatenus opus sit, eas persanamus, dummodo in posterum minime fiant sine licentia magistri ordinis.

4. Cum conventus ss. Dominici et Nicolai de Caballino tam gravi afficiatur inopia, ut praedicatorem generalem alere nequaquam valeat, huiusce conventus praedicatorem generalem transferimus ad conventum s. Spiritus de Muro.

5. Cum collegium s. Mariae Magdalenae de Barulo illustrissimi d. Antonii La Marra eiusdem civitatis quotidianis eleemosynis nedum summopere adiuvetur, verum etiam aere magno in restituenda maioris partis eiusdem collegii collabentis fabrica, idcirco grati animi causa tanti beneficii tamquam singularis erga nos benevolentiae ipsum uti benefactorem munificum ac protectorem eximium ad omnia ordinis beneficia libenti animo recipimus et admittimus.

6. Rectorem collegii Baruletani a rev. p. magistro generali ad petitionem provinciae institutum nullus omnino conventus provinciae in priorem sibi assumat nec provincialis pro tempore ipsum audeat confirmare, inconsulto et dissentiente magistro ordinis.

7. In conventibus, qui facultatem habent assumendi sibi in priores etiam eos, qui sunt actu aliorum conventuum priores, si devolvatur electio dictorum conventuum ad provincialem pro tempore confirmatorem, illo ipso iure gaudebit provincialis, quo praedicti conventus fruuntur, id est obtinebit facultatem assumendi eos etiam, qui sunt actu aliorum conventuum priores.

8. Cum a generali capitulo Bononiensi ultimo concessa sit nonnullis conventibus facultas assumendi priores, sed a conventibus minoribus, ne lis moveatur, quid intelligatur vocabulo minorum conventuum, respondemus, eos esse intelligendos, qui carent huiusmodi facultate assumendi.

9. Confirmamus concessionem provinciae factam a capitulo generali Romano anno 1694, quod scilicet magistri novitiorum simplicium expleto sexennio gaudeant voce activa in capitulis provincialibus, cum onere tamen prosequendi hoc munus suum ad annum usque duodecimum; magistri autem novitiorum professorum, in numero tamen senario, expleto octennio fruantur eadem voce cum simili onere prosequendi.

**Pro provincia Calabriae.**

1. Confirmamus omnes et singulas ordinationes iuxta earum formam et tenorem a praecedentibus magistris generalibus ordinis vel a capitulis generalibus hactenus factas sive pro regulari observantia sive pro disciplina et bono regimine insignis conventus s. Dominici in Suriano.

2. Cum illustrissimus et excellentissimus dominus Franciscus Spinelli, unus ex Hispaniarum optimatibus primi ordinis, princeps Scalae, dux Saracenae, pro sua, qua flagrat erga nostram religionem, devotione ac pietate nobis significaverit, augere se velle proventus conventus nostri pagi Saraceni, ut alendo competenti fratrum numero, ad hoc ut idem

conventus, qui modo vicariatus est, fieri possit prioratus, sufficiat, idcirco praefatum conventum s. Dominici praedicti pagi Saraceni in praesens erigimus in prioratum de titulo id est sine voce ac loco.

3. Conventum s. Dominici civitatis Tropeae a pluribus annis in prioratum de titulo creatum erigimus in prioratum cum loco ac voce in electione prioris provincialis Calabriae.

4. Circa rev. adm. p. magistri fr. Pauli Reale translationem ab affiliatione provinciae Apuliae, ad quam in praesenti spectat, ad hanc provinciam pro conventu benevolo, a quo fuerit legitime acceptatus, pro gratia impetranda recurrat provincia ad s. congregationem.

5. Ordinamns, ut officia regentiae necnon baccalaureatus ordinarii triennalia sint, prout sancitum est a rev. p. magistro generali fr. Ioanne Baptista de Marinis pro collegio Regino anno 1660 et studio generali Cosentino, iuxta id quod antiquitus observatum est ac prout statutum est in capitulo Bononiensi celebrato anno 1706.

## Pro provincia Hiberniae.

1. Confirmamus ordinationes omnes in praecedentibus capitulis generalibus factas necnon privilegia benigne concessa in gratiam provinciae Hiberniae.

2. Ordinamus, ut collegia ultramarina, Lovaniense, Ulyssiponense et Romanum sub solius provincialis Hiberniae iurisdictione, salva semper suprema magistri ordinis auctoritate, iuxta primaevam praedictorum collegiorum fundationem sint et permaneant.

3. Volumus, ut ordinatio facta in ultimo capitulo generali Bononiae celebrato anno 1706 circa alternationem quoad provinciales Hiberniae et superiores conventuum et collegiorum nostrorum Lovanii, Romae et Ulyssipone extendatur etiam ad regentes, lectores aliosque administros ac studentes in praefatis conventibus.

4. Concedimus, ut conventus monialium nostrarum, quae in civitatibus Dublinensi et Galviensi degunt, eligere sibi valeant priorissas iuxta nostras sacras constitutiones ac leges, volumusque, ut praedicti conventus sint incorporati et uniti ordini nostro et provinciali Hiberniae pro tempore subiecti.

## Pro provincia Peruana s. Ioannis Baptistae.

1. Ordinationes, gratias, directiones ac declarationes in Peruanae provinciae decorem ac profectum factas tum in capitulis generalibus tum a magistris ordinis confirmamus et mandamus, ut adamussim observentur; quarum ex observatione incrementum in literis floridosque progressus in religiosa disciplina provenire certo conspicitur.

2. Rev. magister generalis p. mem. Antoninus Cloche conventui Auquipensi proximo illius episcopatus concessit et ordinavit erectionem

domus novitiorum cum studiis formalibus artium ac theologiae scholasticae; pro quibus in actis capituli provincialis anni 1714 lectores instituti sunt nuntiati. Approbamus et confirmamus eiusmodi erectionem domus novitiorum simul et studia artium ac theologicae scholasticae praedicto conventui concessa et citra dubium instituta, ita ut lectores implentes ibi tempus pro aliis studiis generalibus praefixum ad promerendos honores titulo huius lectionis ad magisterii usque gradum valeant promoveri.

3. Ordinamus et patri provinciali pro tempore iniungimus, ut ex nunc lector pro seminario ecclesiastico de Guamanga nominetur nonnisi ille, qui cursum trium annorum in artibus et quatuor in theologia scholastica legens perfecerit; cui tempus, quod in lectione dicti seminarii consumpserit, computetur pro duodennio praefixo ad consequendum magisterii gradum titulo lectionis; volumusque, ut haec ordinatio sine mora executioni demandetur, lectorem ad libitum p. provincialis antea institutum, et si actu legens extiterit, auferri optione illi relicta, ut oppositione facta pro aliquo lecturae artium loco consequendo, sicut mos est in dicta provincia, denuo approbetur et pro aliqua lectione futura nominetur, si tamen huiusmodi nominatione dignus in iudicio inveniatur.

4. Pro studiorum incremento ordinamus, ut octo anni praefixi in provincia, ut ante illos expletos in lectionibus artium ac theologiae praesumat nemo accipere aut postulare praesentaturam, minime computentur, nisi certo constiterit, lectorem octo actus literarios per publicas theses mane ac vespere defensatas habuisse, ita ut, si forte litterarius actus in aliquo anno deficiat, in altero duplicato actu litterario fiat satis.

5. Ordinamus et praecipimus, ut in duobus conventibus Limanis, in quibus viget studium, nullus in priorem eligi valeat, nisi qui per octo annos legerit artes ac theologiam.

6. Prior conventus de Zungaii, oppidi siti in provincia de Guayla, diligentissime invigilet clausurae conventus sub poena absolutionis ab officio.

7. Praedicatores generales, si ad conventus, pro quibus sunt instituti, accedere recusaverint, sint voce activa privati in capitulo provinciali; ita fuit ordinatum Romae in capitulo generali anno 1612 adm. 1. Admonemus adm. rr. pp. provinciales, ne gravent conventus assignando in eis plures praedicatores generales, sed distribuant eos per conventus, pro quibus constituti fuerunt; quod si ad eosdem conventus accedere et in eis permanere recusaverint, sint privati voce activa in capitulo provinciali.

## Pro provincia s. Antonini Novi Regni Granatensis.

1. In conventu Cartaginensi necnon in conventu de Funxa vigeant exercitia scholastica, quemadmodum in conventu s. Fidei diligenter ser-

vantur, habeanturque publicae conclusiones, secus non computabuntur anni lectionis pro gradu magisterii. Invigilent utriusque praedicti conventus priores, ut lectores suis sedulo perfungantur officiis, sicut iure cautum est in ordine nostro.

2. Vocales non accedant ad conventum, ubi habendum est capitulum provinciale, nisi tempore constituto a p. provinciali, secus solvent pro victu suo.

3. In confirmatione prioris conventus s. Fidei prior provincialis advocet tres parochos sive, ut loqui solent, doctrinarios e locis vicinioribus.

4. Fratres fugitivi a propria provincia recipiantur in carceribus et quantocius remittantur ad suam provinciam expensis conventuum, quorum sunt filii.

5. In Christi visceribus admonemus r. adm. p. provincialem pro tempore, ut, quantum potest, per se visitet conventus provinciae aut saltem per alios ad sarciendam regularem disciplinam.

6. Circa magistri novitiorum institutionem servetur constitutio nostra et decretum Clementis VIII. et, si quae ea in re sunt invectae corruptelae, volumus statim eas eradicari maxime cura et studio rev. adm. p. provincialis.

7. Circa octavam solemnem s. Antonini, cuius nomenclatura et speciali praesidio insignitur haec provincia, solemnem quoque octavam s. Ludovici Bertrandi, patroni Novi Regni Granatensis, solemnem itidem octavam s. Rosae, Indiarum patronae, recurrat provincia, si placet, pro gratia ad s. Rituum congregationem.

8. Confirmamus ordinationes omnes factas pro hac provincia a rev. p. magistro generali Antonino Cloche piae recordationis.

9. Concedimus quatuor praesentaturas titulo mercedis iis, qui sedulam piae Indorum institutioni tum in fide tum in moribus navant operam.

### Pro provincia s. Dominici Venetiarum.

1. Lectores in studio Patavino iuxta eiusdem leges et statuta ad lectoratum promoti in provincia Lombardiae utriusque habeantur et agnoscantur lectores, ea conditione ac lege, ut studii Patavini regentes illos tantum studentes ad conclusiones privilegio gaudentes tuendas assumant, qui duos saltem studii formalis annos expleverint; aut si forte eas ante id temporis theses privilegio donatas defenderint, privilegio tamen illo ante biennium expletum minime fruantur, ut ad lectoris examen admittantur. Hanc inter provinciae Lombardiae et s. Dominici Venetiarum diffinitores factam conventionem approbamus et confirmamus ad communem utriusque studii Bononiensis et Patavini pacem fovendam omnesque occupandas lites, quae deinceps ea in re possent emergere.

2. Restituimus conventui s. Nicolai de Tarvisio provinciae s. Dominici Venetiarum ius suum, quo antiquitus et ab immemorabili tempore semper ac inviolabiliter gavisus est, scilicet studiorum suorum regentes seu lectores maiores nominandi et eligendi.

### Pro provincia s. Catharinae Martyris de Quito.

1. Rev. p. magister ordinis b. mem. Antoninus Cloche suis literis patentibus electionem et acta capitulorum quatuor provincialium huius provinciae dignatus est confirmare, quibus et alias ordinationes et declarationes adiunxit utilissimas pro bono regimine huius provinciae; quae omnia approbamus et confirmamus, cum maxime conferant ad regularis observantiae necnon studii incrementum.

2. Declaramus, omnino standum esse decreto p. mem. magistri ordinis Antonini Cloche, scilicet dictam provinciam propter alternationem cum Hispanis in electione prioris provincialis debere eligere in provincialem fratrem Hispanum ex provincia s. Antonini Novi Regni Granatensis aut ex provincia Peruana s. Ioannis Baptistae, si fratres Hispani in provincia de Quito minime versentur.

### Pro provincia ss. Rosarii Philippinarum Insularum.

1. Praecipimus vicario generali missionum sub poena inhabilitatis ad omnia officia ordinis exercenda atque etiam gerendam procurationem Matritensem, ut minime mittat assignationes ad conventus, sed ipsemet ad illos se conferat ad deligendos viros religiosos, quos viderit aptiores ad magnos labores subeundos, qui in illa provincia eiusque missionibus tolerantur; et cum primis ab eis sciat, num possint communem sectari vitam, chorum assidue inire, orationem mentalem per duas horas quotidie frequentare, haecque omnia sedulo praestare citra ullam vel minimam dispensationem etiam cum iis, qui provinciae moderatores fuerunt.

2. Districte praecipimus provinciali, prioribus, vicariis caeterisque administrantibus temporalia provinciae bona sub poena absolutionis ab officiis atque etiam inhabilitatis ad omnia officia, ut nullam pecuniam hominibus saecularibus mutuo dent; quod si persona sit talis, a qua multum pendet provincia vel eius negotia, poterunt pecuniae mutuo dari ea lege, ut relinquat pignora excedentia in tertia saltem parte valorem pecuniae illi mutuo datae a provinciali vel administratore, quibus sub poenis praedictis minime fas sit extrahere a communi deposito eiusmodi pignora sub quovis praetextu, donec pecunia mutuo data in integrum restituatur, ne provinciae bona dilapidentur. Itidem mandamus sub praefatis poenis tum provinciali tum caeteris praelatis, ut eligant depositarios fideles ac prudentes, saltem unum e patribus gravioribus, sine cuius scientia et praesentia pecunia nulla a communi deposito extrahatur.

3. Hortamur minis etiam intentatis, ut tam provincialis quam alii praelati omnesque subditi respective laudabiles provinciae consuetudines circa strictiorem observantiam regularem custodiant, sicut observabant decem ab hinc annis, scilicet quod constitutiones ad unguem custodiantur, vita communis inviolabiliter servetur, ita ut praelatus, ut tum moris erat, semel in hebdomada accipiat claves cellarum, et si quid invenerit curiosum vitaeque communi oppositum, subditus illo privetur ac puniatur. Item quod provincialis, dum versatur in Manilensi provincia et civitate non habitet in domibus nostris vicorum Manilensium, sed degat in conventu s. Dominici, ut chorum ac mentalem orationem frequentet, uti mos est in provincia pervetustus; ad huncque conventum inhabitandum veniant quoque capitulares tempore capitulorum provincialium, itidemque chorum frequentent, quia ex adverso regularis observantia ususque laudabiles provinciae in dies magis ac magis periclitantur. Item quod potus vulgo chocolate non detur nisi illis, qui iam trigesimum aetatis annum attigerint, cum aliis vero praelatus, cum sibi visum fuerit, dispensare valeat. Insuper mandamus praelatis omnibus, ut primordiales ordinationes, sub quibus haec provincia fundata est, quaeque fuerunt approbatae a multis capitulis generalibus, inviolabiliter observent atque a suis subditis faciant observari sub poena absolutionis ab officiis, quam propter nimiam distantiam gravioribus provinciae patribus duximus esse committendam.

### Pro provincia s. Petri Martyris.

Pro administratione muneris sodalitatis Suffragii in conventu s. Eustorgii Mediolani ordinamus, ut pater administer eiusdem, qui per consilium eligi debet, sit unus ex gravioribus patribus conventus. Item volumus, ut in caeteris observentur, quae in capitulo Bononiensi anno 1606 celebrato necnon a rev. p. magistro generali fr. Antonino Cloche fel. mem. circa eiusmodi officii administrationem fuerunt sancita et constituta.

### Pro provincia Aprutina seu s. Catharinae Senensis.

Cum Aprutinae provinciae conventuum numerus excreverit valde beneque in ipsa numerosa sit multitudo virorum religiosorum, qui tum philosophiae tum theologiae lectionibus summa cum laude ac publica utilitate sedulam navarunt operam, idcirco, ut praefatorum religiosorum labores literarii iustis honorum praemiis valeant cumulari, censuimus magistrorum illius provinciae numerum duodenarium esse ampliandum et protendendum ad numerum decimumquintum, obtento tamen indulto apostolico expensis provinciae Aprutinae.

### Pro provincia Russiae seu s. Hyacinthi.

1. Confirmamus gratias, indulta, privilegia, quorum viget usus, modo non sint in praeiudicium Lithuaniae.

2. Concedimus ampliationem ad quindecim magistros et quindecim praesentatos. Consentimus, ut duo, si laudabiliter in civitatibus conspicuis conciones habuerint per duodecim annos, magistri esse valeant titulo praedicationis, servato tamen numero quindecim magistrorum.

3. Nulli ad petitionem solius provincialis gradus conferantur iuxta constitutiones nostras dist. 2. cap. 14. text. 8., et prout fuit ordinatum Romae anno 1580 et confirmatum 1583 et 1589; si quis ita promovetur, inhabilis sit ad gradus postea consequendos.

### Pro provincia Lithuaniae.

1. Quod spectat reductionem missarum, recurrat provincia ad s. congregationem, quae pro iustitia annuet eius votis.

2. Magna lis de gravamine ac possessione viginti conventuum intra Lithuaniam Polonicam sub cura provincialis Russiae a diffinitorio capituli generalis, assentientibus partibus, demandata est provincialibus Poloniae, Terrae sanctae necnon Bohemiae, ut causam quantocius terminarent; at cum multis gravibusque de causis huic liti finem imponere haud quaquam potuerint, idcirco diffinitorium hanc controversiam remisit arbitrio magistri ordinis, ut in actuali visitatione litem finiat pro sua singulari prudentia et aequitate.

3. Confirmamus decreta lata in capitulo Romano anno 1686 die 1. iunii pro provincia Lithuaniae de conventu Verkoviensi congregationis s. Ludovici applicando provinciae Lithuaniae.

4. Circa magistros, praesentatos ac praedicatores generales, quos provincia postulat, et quorum parvum dicit esse numerum, providebit magister ordinis, prout iure cautum est.

5. Confirmamus privilegium provinciae de magistris studentium studii generalis Vilnensis instituendis in capitulo provinciali, uti videre est apud Fontana parte 2. columna 322. titulo pro provincia Lithuaniae; id tamen intelligimus, praehabita significatione magistro ordinis. Item volumus, ut iuxta morem antiquum computentur anni laboris theologici professorum ad gradum magisterii, prout expressum est in actis capituli provincialis praeteriti.

6. Conformiter ad acta capituli provincialis modo praeteriti vicariatum Hofzezeviensem bene provisum absque gravi missarum onere erigimus in prioratum cum voce ac loco. Item approbamus et acceptamus novam fundationem Zabielcensem, de qua in actis nominati capituli actum est.

7. Ordinamus, ut provinciale capitulum celebretur tempore, quo antea habebatur.

### Pro prov. s. Mariae de Candelaria insularum Canariarum.

1. Confirmamus ordinationes novissime a rev. p. vicario et procuratore generali die 1. aprilis subscriptas pro bono huius provinciae regi-

mine. Item ordinationes rev. p. generalis Antonini Cloche b. mem. pro huius provinciae administratione digestas die 18. decembris anni 1693, quae iam a duobus capitulis generalibus confirmatae fuerunt. Denique ordinationes rev. p. de Marinis die 1. iunii 1662 pro reformatione et vita communi perfecte et sine dispensationibus in duobus conventibus designatis introducenda; proindeque confirmamus taxam et regulationem in illis primo numeratis ordinationibus factam tum circa numerum graduum tam lectionis quam praedicationis tum circa annos praedicationis ss. Rosarii pro praedicaturis generalibus et praesentaturis requisitos.

2. Confirmamus ordinationes capitulorum generalium pro ista provincia, videlicet illam capituli generalis Valentini 1647 circa gradus acquirendos per postulationem provinciae; proinde sub poena privationis iuris ad gradus per decennium prohibemus singulis et universis fratribus huius provinciae alumnis recursum ad gradus consequendos furtim et privatim omnibusque significamus, universos subiacere debere postulationi provinciae. Item confirmamus ordinationem capituli generalis Romani anno 1694, qua prohibetur compatibilitas duorum graduum in eodem subiecto. Postremo confirmamus ordinationem capituli generalis Romani anno 1686 circa graduatos, quae quidem vim habeat, prout superiores conveniens iudicaverint, sub poena privationis utriusque vocis per annum, si ob affiliationem sibi quis ius arroget ad degendum in uno potius quam in alio conventu.

3. Ordinamus, ut in posterum priores et priorissae officia sua ante biennium abdicantes, tamquam si priores seu priorissae minime fuissent, habeantur. Ordinamus etiam, ut lectores, magistri novitiorum et praedicatores ss. Rosarii suis in officiis consistere nequeant, quin diffinitorio literas testimoniales iuratas exhibeant de suorum adimpletione onerum; lectores a priore, regente et uno titulo lectionis graduato, magistri novitiorum et Rosarii praedicatores a priore, suppriore et uno graduato vel antiquo patre subscriptas; addentes, quod suorum officiorum expleto tempore nullus illorum gratiis et privilegiis potiri valeat, quin in actis capitularibus certis constet documentis, illos digne, laudabiliter magnaque cum utilitate sua munia implevisse.

4. Confirmamus dispensationes, quibus iampridem pacifice gaudet provincia tum circa socios priorum ad capitulum provinciale non eligendos tum circa suffragium in provinciali capitulo a solis tribus magistris novitiorum conferendum. Item confirmamus ordinationes capitulorum generalium, quae hic vel in praecitatis actis minime fuerint abrogatae, volumusque suam plane vim sortiri, ac si verbo ad verbum hisce ordinationibus insertae fuissent.

5. Committimus rev. p. magistro generali, ut accepta a diffinitore informatione aliquos divellat redditus conventuum pro uniuscuiusque

communibus necessitatibus iuxta ordinationem capituli generalis Romani anno 1694. Item volumus, ut praefiniatur et praestituatur contributio provinciae, quae hactenus facta non est. Postremo volumus, ut contributio, quam conventus persolvere debent conventui Lavinensi pro collegio et scholaribus iuxta ordinationem capituli Romani anno 1650, quae ad praxim redacta fuit a consilio provinciae anno 1664, reducatur ad certam modicam quantitatem, prout conventuum paupertas exposcit; quae facta semel reductio semper ac inviolabiliter observetur appliceturque libris emendis, qui ad scholarium huius collegii utilitatem conferre valeant.

### Pro provincia Angelopolitana.

1. Circa litem celebrem, quam provincia Angelopolitana habet ab anno 1661 cum provincia s. Iacobi de Mexico super proprietate collegii s. Ludovici Angelopolitani rogat diffinitorium magistrum ordinis, ut litem dignetur dirimere intra certum tempus.

2. Pro huius provinciae bono specialiter admonemus priores provinciales necnon priores conventuales, ut fratres fugitivos minime recipiant, neque immemores sint poenarum sacris nostris constitutionibus inflictarum his, qui eiusmodi fratribus per nefas asylum et auxilium praebent.

### Pro provincia s. Hippolyti Martyris de Oaxaca.

1. Declaramus, confirmamus et, quatenus opus sit, denuo concedimus numerum graduum, quibus per varias concessiones hactenus potita est, videlicet octo magisteria, sex praesentaturas lectionis titulo, sex item causa praedicationis ac tredecim praedicaturas generales, nempe septem pro septem conventibus, tres pro natione Zapoteca, unam pro natione Mixteca, unam pro natione Mixe et unam pro natione Chontal.

2. Ordinamus et sub nullitate facti prohibemus, quod nullus lector, dum actu legit, possit eligi in priorem provincialem huius provinciae, ne, dum aliquis lector sibi ac provinciae invenitur utilis pro lectione, eius cursus et lectiones in eorum praeiudicium interrumpantur.

### Pro provincia s. Crucis Indiarum Occidentalium.

Cum rev. adm. p. provincialis s. Crucis Indiarum Occidentalium detineatur Tirolum versus ob notum pestis impedimentum et Romam tempore capituli generalis petere nequeat, idcirco, si petitiones provinciae defert, ut creditur, eas magister ordinis audire dignetur et pro sua solita benignitate super eas sua et capituli generalis auctoritate resolvere, quod magis in domino expediens iudicaverit.

### Pro provincia s. Vincentii Martyris de Chiappa et Guatemala in Indiis Occidentalibus.

1. Ordinamus ad huius provinciae petitionem, ut in ea designetur aliquis conventus pro exacta regulari et nostrarum sacrarum constitutio-

num observantia servanda; unde praefatae provinciae priori provinciali committimus, ut omni studio curet huiusmodi conventum designare, prout in singulis provinciis consimiles conventus esse designandos leges ordinis nostri statuunt ac decernunt.

2. Confirmamus, quae pro hac provincia statuta sunt tum a capitulis generalibus tum a magistro ordinis Antonino Cloche fel. rec. pro bono regimine provinciae et specialiter statuta ab ipsomet nuper defuncto comprobata pro collegio domestico recenter erecto et fundato in conventu Guatemalensi ad maiorem studiorum utilitatem.

### Pro provincia s. Ludovici regis Galliarum.

Cum frater Michael Lequien ordinis praedicatorum s. theol. professor et conventus Parisiensis s. Mariae Annuntiatae alumnus, qui pluribus iam editis praeclaris lucubrationibus rempublicam literariam illustravit, propediem in lucem emissurus sit opus, non minus mole quam eruditione immensum, cui titulum fecit: « Christianus oriens insuper et Africa », aliaque deinceps literaria opera lucubrare velit et indigeat, ut ipsi assignentur literarii laboris socii duo religiosi, videlicet fr. Franciscus Barbier et fr. Prudentius Rameaux, eiusdem conventus Parisiensis ordinis praedicatorum alumni, qui praeter emensa integra philosophiae ac theologiae magna cum laude curricula linguis orientalibus, praesertim Graecae, ipso praeceptore incubuerunt, praedictos assignamus in laborum socios ad edenda volumina amplissima volumusque eos frui dispensationibus, quibus actu legentes in ordine nostro gaudere solent, ut suscepta studia persequi et p. Lequien praestare operam valeant. Insuper confirmamus duo diplomata, quibus rev. p. generalis b. mem. Antoninus Cloche concessit praedicto p. Lequien immunitates, dispensationes, iura et privilegia, quibus s. theologiae professores actu in ordine nostro legentes frui ac potiri solent.

### Pro congregatione s. Mariae Sanitatis.

1. Nihil volumus innovari circa privilegia et praerogativas congregationi s. Mariae Sanitatis concessas tum a summis pontificibus tum a magistris generalibus ordinis, imo potius firmari volumus unitatem praedictae congregationis in suis exemptionibus, uti primitus fundata fuit.

2. Ordinamus, ut nullus extraneus frater alienae provinciae possit huius congregationis conventibus affiliari nisi de assensu vicarii congregationis et maioris partis vocalium conventus, cuius cupit esse filius et alumnus.

3. Circa bonam tertiariorum educationem, habitus ordinis susceptionem, tempus inchoandi novitiatus, dormitorium, in quo versentur, magistrum, cuius studio informentur in bonis moribus, doctrina christiana necnon regularibus observantiis, omnino volumus servandam esse laudabilem congregationis consuetudinem.

4. Pro sanctae praedicationis incremento et alumnorum profectu ordinamus, ut novitii huius congregationis per annum integrum vacent studio ecclesiasticae rethorices vel in tertio anno philosophici curriculi unam lectionem metaphysicae alteramque rethoricae recipiendo vel alio tempore prudentia superioris designando, eiusque professores iisdem gaudeant exemptionibus, quibus lectores philosophiae actu legentes frui solent in praefata congregatione.

5. Ordinamus, ut in posterum nulli lectiones conferantur neque philosophiae neque theologiae usque ad magisterium studentium inclusive, nisi prius coram iudicibus ad id muneris designatis eas per concursum adipiscantur, et aptiores ac doctiores praeeligantur et anteponantur.

6. Omnes magistros post ultimum capitulum generale iam institutos acceptamus et approbamus, videlicet adm. rr. pp. magistros fr. Nicolaum Santoro, fr. Philippum Mariam Giaimo, fr. Augustinum de Simeonibus, fr. Hyacinthum Mariam Auxilio, fr. Thomam Mariam Sanfelicem, fr. Henricum Mariam Balsamo.

### Pro congregatione Britanniae Minoris s. Vincentii Ferrerii.

Cum Vesuntinus conventus congregationi Britannicae, quae vitae regularis disciplinam servat, fuerit traditus et adiunctus atque a capitulo generali Romae habito anno 1656 eidem congregationi incorporatus cum gratiis et privilegiis aliorum conventuum absque separatione a provincia Parisiensi, idcirco nolumus praedictum conventum vel in provinciam Franciae vel in eius congregationem vulgo Gallicanam transferri, sed districte mandamus rev. adm. p. vicario congregationis Britannicae pro tempore, ut insignis huius conventus filios et alumnos vel in provincia Parisiensi vel in congregatione Britannica citra causam gravem ac momentosam versantes quantocius Vesuntionem mittat suoque in conventu nativo assignet poenisque iuris assignationi suae curet eos morem gerere, quo ferventius religionem colant, fidelius nostras servent constitutiones, ardentius maiorique cum reverentia divinum persolvant officium, fidelium confessionibus excipiendis operam navent, ad populum publicas habeant conciones, novitiis ibi informandis Christi sint bonus odor, studium seu philosophiae seu theologiae florere ac vigere satagant, uno verbo conventus sui splendorem ac utilitatem procurent cum in bonis spiritualibus tum in temporalibus.

### Pro congregatione s. Marci de Cavotis provinciae Regni.

Erigimus vicariatum Annuntiatae urbis de Morcono, quae diocesis est Beneventanae, in prioratum cum voce ac loco, ea tamen lege ac conditione, ut alat duodecim fratres ibidem assignatos, quo divinum offi-

cium, qua par est reverentia, persolvatur et disciplina regularis adamussim servetur.

### Pro congregatione s. Ludovici Bertrandi in Polonia.

1. Non eligantur et confirmentur priores, nisi qui studia tum philosophica tum theologica per triennium absolverint; praelatorum quippe munus est subditos pascere verbo Dei et in viam salutis dirigere, de quibus dictum est, lucere vanum, ardere parum, lucere et ardere perfectum.

2. Hanc congregationem tot tantisque laboribus rr. patrum magistrorum generalium sacri ordinis nostri in vastissimo Poloniae regno erectam et auctam confirmamus et in perpetuum stabilimus cum iuribus, gratiis et privilegiis, quibus de more potiri solent congregationes in ordine nostro.

3. Pro meliori conservatione in posterum uniuscuiusque in individuo conventus huiusmodi congregationis, praesertim in hisce longinguis regionibus Sarmaticis, ubi commune theatrum frequentius exercetur bellorum, omnino volumus ac mandamus, ut affiliationes concedantur fratribus nostris ad conventus iuxta praescriptum sacrarum constitutionum nostrarum, ne bona conventuum dilapidentur.

4. Circa erectionem trium conventuum praefatae congregationis in prioratum, conventus videlicet Lublinensis ad ecclesiam s. Crucis, conventus Magnoculensis, vulgo Wielleoocensis, et conventus Terespoliensis bonis documentis magister ordinis informetur, qui pro singulari sua prudentia et benevolentia providebit.

5. Cum candidus noster ordo nonnihil denigretur per vagationes fratrum nostrorum de una provincia ad aliam, frivolas et inanes vagationis suae causas proferentium, ad eiusmodi fugitivorum fratrum temeritatem proscribendam, audaciam compescendam, libertatem irreligiosam coercendam omnino volumus ac praecipimus, ut quatenus non obstantibus capitulorum generalium ordinationibus summo studio per provincias quoad fratres errones et vagos huius congregationis observentur specialiter a pie defuncto rev. p. magistro generali Antonino Cloche pro ista congregatione ordinationes sub renovatis decretis poenisque gravioribus taxatis, editis formalibus praeceptis et aliis poenis anno 1713 die 26. augusti regist. lit. N. pag. 9. et anno 1699 die 19. septembris fol. 376. litera I.

### Pro congregatione Alsatiae.

Omnino volumus et mandamus, ut circa regimen congregationis Alsatiae, quam iam ante annos triginta, cuius patres theologiae magistri, priores conventuales, praedicatores generales et alii discreti nunquam a praedicto tempore vocati vel citati fuerunt ad aliquod capitulum provin-

ciale, quatuor conventibus fratrum et octo monasteriis sororum constantem, sub omni cura sua et vicariorum generalium provisione rev. p. magister generalis p. mem. Antoninus Cloche ita sollicite suscepit, ut hodiedum, Deo sint laudes, semper sub possibili regulari observantia, religiosa disciplina et studiorum incremento fuerit educata et enutrita, crescente numero fratrum ex Alsatia, regi christianissimo subiecta, oriundorum, ita quidem ut numerus fratrum Alsatorum in quatuor conventibus nostris minime fundatis sit octuagesimus; his ergo aliisque de causis gravibus ac momentosis omnino, inquam, volumus et mandamus, ut circa regimen hodiernum Alsatiae nihil penitus innovetur; insuper praefatos Alsatiae conventus erigimus ac stabilimus in perpetuum in formam congregationis cum gratiis ac privilegiis, quae caeteris sacri ordinis nostri congregationibus de iure aut ex consuetudine concessa sunt, ea tamen lege, ut magister ordinis pro tempore ius habeat nominandi et eligendi vicarium generalem praedictae congregationis.

**Suffragia pro vivis.**

Pro ss. d. n. Innocentio papa XIII. et felici statu S. R. E. q. s. u. m.

Pro augustissimo imperatore Carolo VI., augustissima coniuge serenissimisque prolibus q. s. u. m.

Pro christianissimo Galliarum rege Ludovico XV. q. s. u. m.

Pro catholico Hispaniarum rege Philippo V., serenissima coniuge serenissimisque prolibus q. s. u. m.

Pro rege Lusitaniae Ioanne V., serenissima coniuge serenissimisque prolibus q. s. u. m.

Pro eminentissimo ac reverendissimo d. card. Marescotti, ordinis nostri protectore q. s. u. m.

Pro eminentissimo et reverendissimo d. cardinali Ursino, ex ordine nostro assumpto, q. s. u. m.

Pro universo sacro collegio eminentissimorum et rev. dd. cardinalium q. s. u. m.

Pro bono statu totius nostrae religionis eiusque capite rev. totius ordinis magistro generali ac sociis assistentibus et collaborantibus q. s. u. m.

Pro pace totius orbis christiani q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, fratribus clericis litaniae omnium sanctorum, conversis una decas orationum dominicalium cum totidem salutationibus angelicis iniunguntur.

**Suffragia pro defunctis.**

Pro anima ss. d. n. Clementis XI. recens vita functi q. s. u. m.

Pro animabus eminentissimorum et rr. dd. cardinalium Ursini et Iustiniani, ex ordine nostro assumptorum, qui perpetuam eleemosynam capitulis nostris generalibus ex testamento legarunt, q. s. u. m.

Pro anima eminentissimi et rev. d. cardinalis Casanatae q. s. u. m.

Pro anima eminentissimi et rev. d. cardinalis Ferrari, ex ordine nostro assumpti, q. s. u. m.

Pro anima rev. p. fr. Antonini Cloche, totius ordinis fratrum praedicatorum generalis magistri, nuper gravissimos inter labores pro religione nostra toleratos pie functi, q. s. u. m.

Pro anima rev. adm. p. magistri Ambrosii Sczepano Vuski, diffinitoris huius capituli generalis nomine provinciae Poloniae, qui ex conventu Thoronensi ad hoc capitulum profectus, in conventu Cracoviensi pie obiit die 18. martii anno 1721, q. s. u. m.

Pro anima rev. adm. p. praesentati fr. Petri Paramo, diffinitoris provinciae Angelopolitanae, qui obiit in mari Mediterraneo recedendo ab hocce generali capitulo, q. s. u. m.

Pro animabus fratrum ac sororum ordinis nostri, quotquot a tempore ultimi capituli generalis in domino obierunt, q. s. u. m.

Pro animabus omnium benefactorum ordinis nostri q. s. u. m.

Ubi patribus sacerdotibus missa, clericis officium defunctorum unici nocturni, conversis tertia pars psalterii rosariani imponuntur.

Damus rev. p. magistro generali totam nostram auctoritatem circa omnia et singula praemissa, ut ea declarare possit, quae declaratione indigent, iustis de causis dispensare ac denique omnia facere, quae nos ipsi et capitulum facere posset.

Denique universis et singulis provinciarum et congregationum seu vicariatuum praesidentibus in virtute Spiritus sancti, sanctae obedientiae sub formali praecepto mandamus, ut haec acta, quamprimum ad manus pervenerint, iubeant publicari, eorumque observantiam urgeant; volentes, quod exemplaribus sigillo rev. magistri ordinis munitis eadem ubique adhibeatur fides, quae originali debetur. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Hocce capituli generalis decreto, uti videre est inter denuntiationes num. 3. magistri ordinis arbitrio prudentiaeque commissum est praefigere locum, in quo capitulum generale anni 1724 habendum sit; re igitur mature perpensa libratisque ultro citroque momentis, visum est magistro generali ordinis, designare conventum s. Pauli Vallisoletanum in provincia Hispaniae.

Fr. Augustinus Pipia
magister ordinis.

Innocentius papa XI.

Ad perpetuam rei memoriam. Cum nos alias de iis, quae ordini fratrum praedicatorum necessaria atque utilia erant, satis edocti quasdam ordinationes ad dilectum filium nostrum Palutium S. R. E. presbyterum cardinalem, de Alteriis nuncupatum, dicti ordinis apud nos et sedem apostolicam protectorem, transmitti mandassemus, quae a capitulo generali eiusdem ordinis novissime celebrato fieri deberent, ipsaeque ordinationes die praecedenti electionem novi magistri generalis ordinis praefati coram omnibus diffinitoribus de mandato et in praesentia dicti Palutii cardinalis et protectoris nomine et iussu nostro in publico diffinitorio lectae ibique ab omnibus eiusdem capituli generalis vocalibus cum humili illarum observantiae professione acceptatae et statutae fuissent, et postridie statim facta electione dilecti filii moderni magistri generalis dicti ordinis, idem novus magister generalis, antequam in ecclesiam ad recipiendam a fratribus obedientiam descenderet, iuxta easdem ordinationes illarum observantiam coram toto capitulo promisisset ac promissionem huiusmodi publico iuramento in manibus praefati Palutii cardinalis protectoris et capituli praesidentis praestito confirmasset, recursum habuerunt ad nos quatuor deputati a capitulo generali praedicto, nobis humiliter supplicantes, ut praeiudicia, quae toti ordini praedicto ex observantia aliquarum ex dictis ordinationibus nascitura supponebant, perpendere ac desuper opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos vero eius rei cognitionem demandavimus memorato Palutio cardinali et protectori, qui auditis et mature discussis rationibus per eosdem deputatos tam viva voce quam scripto deductis, easdem ordinationes iussu nostro moderatus est et redegit in formam tenoris, qui sequitur, videlicet:

Ordinationes et statuta facienda in capitulo generali ordinis praedicatorum, antequam deveniatur ad electionem magistri generalis a magistro noviter electo iuramento promittenda coram capitulo electorum statim post electionem, antequam in ecclesiam ad recipiendam obedientiam descendat, idemque a successoribus in futuris electionibus praestandum. Primo statuendum est, quod observentur constitutiones apostolicae ac illae religionis super celebratione capituli generalis quolibet triennio, non autem ultra, absque licentia summi pontificis, quodque in fine cuiuslibet capituli generalis statuatur tempus et locus futuri capituli. Secundo est statuendum, quod generalis teneatur personaliter et per seipsum peragrare universam Europam ac visitare religionem eiusque conventus, ita ut id sequatur de omnibus conventibus vel eorum maiori parte, non autem de magis conspicuis tantum vel in locis transitus. Quodque id agat cum ea maiori modestia et parsimonia, quam religiosa humilitas exigit tam circa numerum sociorum aliorumque comitum et

familiarium, ut non excedatur numerus sex vel octo, quam circa victum aliasque expensas, ne conventus nimium graventur; ideoque omnes expensae non possint excedere scuta quatuor quolibet die; quodque mora sit omnino brevis nisi ex aliqua iusta causa, quae concernat visitationem et correctionem eiusdem conventus, et non alias, et ei videatur necessaria talis mora; super quae eius conscientia graviter onerata sit; neque super hac obligatione visitandi capitulum generale dispensare valeat absque apostolica auctoritate. Tertio quod circa gradus magisterii debeat omnino servare constitutionem Bonifacii IX. quae incipit: « Dilectos filios » sub datum Romae apud s. Petrum quinto kalendas maii pontificatus anno XIII., neque illi derogari valeat. Et quarto quod non possit alterare praesentia statuta vel alias constitutiones vel acta et decreta capitularia; quodque acta et decreta capitularia debeant subscribi ab eminentissimo protectore et a tribus qualificatis religiosis a capitulo generali deputandis, atque alias non possint imprimi vel publicari, nullamque faciant fidem vel robur habeant.

Ordinationes et statuta facienda in capitulo generali ordinis praedicatorum post sequutam electionem generalis. Eligantur quatuor vel sex religiosi ex doctioribus et provectioribus magisque informatis, quibus committatur cura revidendi constitutiones earumque glossas et ordinationes ac referendi capitulo generali, quaenam exigant correctionem vel emendationem sive declarationem et aliam provisionem in omnibus his, quae concernunt statum et commodum religionis ac observantiam et disciplinam regularem. Atque desuper a capitulo statuatur, ad formam constitutionum tamen, ut in posterum omnes tollantur occasiones quaestionum et dubitationum et praesertim circa institutionem et remotionem superiorum et similium. Et ubicumque in glossis constitutionum citantur literae pontificiae aut decreta congregationum vel alia similis auctoritatis ad authenticos codices et posteriores derogationes, si quae sint, recurratur et cum his corrigantur et ad literam recitentur; et haec omnia fiant a praedictis religiosis, eminentissimo protectore consulto approbante. Et suprascripta omnia serventur in posterum semper, ac constitutiones imprimendae sint cum aliqua mutatione sive in ipsis sive in glossis. Quare nos perpetuae atque inviolabili praedictarum ordinationum, quae toto ordini supradicto perutiles atque conducibiles esse dignoscuntur, firmitati, robori et efficaciae ac observationi ex commissi nobis caelitus pastoralis officii debito consulere cupientes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine ordinationes et statuta praeinserta omniaque et singula in eis contenta et expressa tenore praesentium perpetuo confirmamus et approbamus ac etiam innovamus, illisque inviolabilis et irrefra-

gabilis apostolicae firmitatis vim, robur et efficaciam adiungimus ac omnes et singulos iuris et facti et solemnitatum quarumvis tam ex iuris communis et apostolicarum ac dicti ordinis constitutionum et privilegiorum praescripto quam de stylo, usu et consuetudine, etiam immemorabili, eiusdem ordinis et alias quomodolibet in similibus, etiam de necessitate observandum, et alios quoslibet, etiam quantumvis formales et substantiales ac incogitatos et incogitabiles, specificaque et individua mentione et expressione dignos defectus, si qui in eis vel eorum aliquo principaliter vel accessorie, antecedenter vel subsequenter aut concomitanter seu alias quomodolibet intervenerint seu intervenisse dici, censeri, intelligi vel praetendi quovis modo possent, plenissime et amplissime supplemus et sanamus ac penitus et omnino tollimus, perimimus et abolemus, ipsasque ordinationes et statuta praeinserta a die primae illarum et illorum publicationis et acceptationis stricte et rigorose observari praecipimus. Ac proinde si quid subinde tam a praefato capitulo generali in suis actis capitularibus quam a dicto magistro generali aliove quocumque actum, gestum, decretum vel ordinatum fuit, aut in futurum quandocumque a capitulis generalibus vel magistris generalibus dicti ordinis pro tempore existentibus aliisque quibuslibet agi, geri, decerni vel ordinari contigerit, quod praeinsertis ordinationibus et statutis directe vel indirecte seu alias quomodolibet adversetur aut illorum effectum quovis modo impedire vel avertere valeat, id in ea parte nullum, cassum et irritum nulliusque roboris et momenti ac viribus et effectu penitus et omnino vacuum esse et fore, etiam ex nunc, prout ex tunc et e contra decernimus et declaramus. Decernentes pariter, easdem praesentes literas et in eis contenta quaecumqne, etiam ex eo quod magister generalis caeterique superiores et fratres ordinis praedicti et alii quilibet, etiam specifica et individua mentione et expressione digni, in praemissis interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint, nec ad ea vocati, citati, auditi neque causae, propter quas praesentes emanarint, adductae, specificatae vel iustificatae fuerint aut ex alia qualibet, etiam quantumvis iuridica, pia et privilegiata causa, colore, praetextu vel capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali ac incogitato et inexcogitabili individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, rescindi, modificari, limitari aut in controversiam vocari seu ad terminos iuris reduci aut adversus illas aperitionis, restitutionis in integrum aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium intentari vel impetrari seu impetrato

aut etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas ac ordinationes et statuta praeinserta semper firma, valida et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis censeri atque ita per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. praefatae cardinales, etiam de latere legatos et apostolicae sedis nuntios aliosve quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante praemissis ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque apostolicis ac in universalibus provincialibusque conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon dicti ordinis aliisve quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis eidem ordini eiusque magistro generali caeterisque superioribus fratribus et personis quibuslibet, etiam specifica et individua mentione dignis, sub quibuscumque verborum tenoribus et formis ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus et efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus ac consistorialiter et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis et pluries ac quantiscumque vicibus confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa ac individua et de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes munitis seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores, formas, causas et occasiones praesentibus pro plene et sufficienter expressis, insertis, specificatis et servatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus ac derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides

ubique locorum tam in iudicio quam extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 6. octobris 1679 pontificatus nostri anno quarto.

I. G. Slusius.

Innocentius papa XII.

Ad futuram rei memoriam. Ex iniuncto nobis caelitus apostolicae servitutis munere ea, quae a Romanis pontificibus praedecessoribus nostris promovendae inter christifideles divinis obsequiis sub suavi religionis iugo mancipatos regularis disciplinae studio sapienter disposita esse noscuntur, ut solidiori robore perennent, apostolici muniminis nostri praesidio libenter constabilimus ac alias desuper solicitudinis et providentiae nostrae partes interponimus, sicut conspicimus salubriter in domino expedire. Alias siquidem super reductione magistrorum aliorumque graduatorum ordinis fratrum praedicatorum ad numerum pro unaquaque provincia dicti ordinis respective stabilitum necnon super diversis aliis executionem eorum, quae per constitutiones ac capitula generalia ordinis huiusmodi praescripta reperiuntur, potissimum respicientibus ordinationibus emanarunt a fel. record. Innocentio papa XI., praedecessore nostro, literae in simili forma brevis, tenoris qui sequitur, videlicet: Innocentius papa XI. Ad futuram rei memoriam. In supremo militantis ecclesiae solio per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus, collocati, muneris nostri partes esse intelligimus, ut ea, quae religiosorum virorum ordinibus in ecclesia Dei pie sancteque institutis detrimentum adferre regularemque in eis disciplinam perturbare noscuntur, ad aequitatis et iustitiae terminos reducere satagamus, sicut omnibus maturae considerationis trutina perpensis, ad omnipotentis Dei gloriam et religionis felicem progressum ac incrementum salubriter expedire in domino arbitramur. Cum itaque, sicut accepimus, magistri aliique graduati ordinis fratrum praedicatorum propter assiduum ministerium, quod eis exhibetur, necnon expensas, quas communitatibus occasione capitulorum provincialium adferunt, ac exemptionem a choro aliasque praerogativas, quibus fruuntur, provinciis ipsius ordinis valde onerosi existant, et licet certus eiusmodi magistrorum et graduatorum pro unaquaque provincia numerus per capitula generalia dicti ordinis ad petitionem ipsarum provinciarum, quae propriarum virium consciae ita ordinari desideraverant, stabilitus reperiatur, cum expressa prohibitione, ne eaedem provinciae alios petere valeant, neve huiusmodi numerus unquam excedatur nisi in casu, quo magister generalis ordinis praedicti pro tempore existens ex aliqua urgenti causa aliter disponeret, nihilominus magistrorum alio-

rumque graduatorum huiusmodi multitudo in dicto ordine absque ulla urgenti causa per nimiam praeteritorum magistrorum generalium ipsius ordinis facilitatem atque indulgentiam adeo excreverit, ut provinciis praedictis intolerabilis existat, et quod peius est, inter eos nonnulli reperiantur ad magisterium aliosque gradus promoti, qui officia per constitutiones ordinis praefati ad id praescripta non exercuerunt, sed cum quibus, perinde ac si officia huiusmodi exercuissent, dispensatum fuit. Hinc est, quod nos eiusdem ordinis illudque provinciarum levamento et commodis prosperoque et felici regimini et gubernio, quantum nobis ex alto conceditur, providere regularisque disciplinae vigorem tueri et, sicubi collapsus sit, restituere cupientes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine magistros aliosque graduatos dicti ordinis ad numerum per capitula generalia pro unaquaque provincia respective stabilitum, ut praefertur, ita ut in eo numero in singulis provinciis huiusmodi respective connumerari remaneant antiquiores tantum, qui functiones et munera per constitutiones et capitula generalia huiusmodi praescripta realiter et cum effectu exercuisse reperiuntur, sine ullo tamen praeiudicio illorum, qui a sede apostolica immediate promoti sunt, quos suis praerogativis supra numerum huiusmodi gaudere volumus, tenore praesentium reducimus. Porro circa supranumerarios a praefatis magistris generalibus promotos harum serie mandamus dilecto filio moderno magistro generali dicti ordinis, ut adhibito maturo religiosorum gravium consilio illorum qualitates et sufficientiam examinet et, quatenus eos habiles ac omnia officia per dictas constitutiones praescripta exercuisse repererit, illos titulo tantum gaudere faciat, quousque sequuta vacatione iuxta ordinem antiquitatis gradus suscepti ad fruitionem integrarum praerogativarum subintrent; si vero eos inhabiles aut munera seu officia a memoratis constitutionibus requisita non exercuisse compererit, illos magisterio aliove gradu, quem obtinent, omnino privatos declaret, donec et quousque studiosis laboribus meritum eiusmodi graduum respective sibi comparasse reperiantur. Praeterea ad evitandum in futurum provinciarum et communitatum huiusmodi gravamen praefato moderno et futuris dicti ordinis magistris generalibus in virtute sanctae obedientiae prohibemus et interdicimus, ne de caetero magisterii aliosque gradus supra numerum, sicut praemittitur, praescriptum conferre nec ullam cuiusvis generis exemptionem concedere audeant quovis modo seu praesumant illis fratribus, qui realiter et cum effectu laudabiliter non exercuerint illa officia et non supportaverint illa onera, quae iuxta constitutiones ordinis praefati ad obtinendos gradus et exemptiones huiusmodi respective necessario praecedere debent. Caeterum quia, sicut pariter accepimus, plurimi in ordine praedicto repe-

riuntur fratres, qui vigore gratiarum specialium a magistris generalibus supradictis concessarum exemptionibus a choro ac praerogativis loci baccalaureorum et vocis in capitulis provincialibus contra formam constitutionum et capitulorum generalium praefatorum fruuntur in gravissimum dictarum communitatum multorumque fratrum privatorum praeiudicium, nos opportunum his quoque abusibus remedium adhibere et, ne in futurum suboriantur, providere volentes, omnes et singulas gratias speciales huiusmodi motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus eorumdem tenore praesentium revocamus, cassamus et abolemus viribusque et effectu penitus et omnino vacuamus, ac in futurum dispositiones constitutionum et capitulorum generalium huiusmodi inviolabiliter observari praecipimus. Decernentes ipsas praesentes literas et in eis contenta quaecumque etiam ex eo quod praefati aliive quilibet in praemissis forsan interesse habentes seu habere quomodolibet praetendentes illis non consenserint nec ad ea vocati, citati vel auditi nec causae, propter quas praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificatae et iustificatae fuerint, seu ex alia quacumque, etiam quantumvis legitima et privilegiata causa, colore, praetextu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis magno et substantiali individuamque expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari seu ad terminos iuris reduci aut adversus illas aperitionis remedium intentari vel impetrari aut impetrato seu etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos et apostolicae sedis nuntios, aliosque quoslibet quacumque praeeminentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus praemissis ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon dicti ordinis eiusque provinciarum et conventuum aliisque quibusvis, etiam

iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et literis apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis irritantibusque et aliis decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus et alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis ac pluries confirmatis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata, exprimerentur et insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris 20. novembris 1677, pontificatus nostri anno secundo.

Cum autem firmiora sint ea, quibus iterata accedit sedis apostolicae auctoritas, hinc est, quod nos praemissorum efficaciae debitaeque executioni, quantum nobis ex alto conceditur, consulere ac, si quae illis quomodolibet adversantia forsan irrepserint, opportunae provisionis nostrae ministerio recidere atque amovere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium et dilectorum filiorum Romanae curiae praelatorum super disciplina regulari specialiter a nobis deputatorum consilio, ac etiam motu proprio ac ex certa scientia ac matura deliberatione nostris deque apostolicae potestatis plenitudine praeinsertas Innocentii praedecessoris literas omniaque et singula in eis contenta et expressa tenore praesentium approbamus et confirmamus ac innovamus, illisque inviolabilis et irrefragabilis apostolicae firmitatis vim, robur et praesidium adiungimus. Praeterea motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus omnia et singula, quae sive per collationem magisterii aliorumque graduum seu officiorum supra numerum in capitulis generalibus dicti ordinis pro unaquaque provincia ipsius ordinis respective praefinitum sive per numeri huiusmodi amplicationem sive per promotionem ad eosdem gradus seu officia pro locis vacaturis sive abs-

que petitione ipsius provinciae per constitutiones ordinis praefati ac capitulorum generalium huiusmodi ordinationes requisita sive per aliquam a choro aliamve cuiusvis generis exemptionem aut praerogativam loci baccalaureorum et vocis in capitulis provincialibus concesam iis fratribus, qui realiter et cum effectu, non autem per aequipollens laudabiliter non exercuerint atque compleverint illa officia et non supportaverint omnia illa onera, quae iuxta praescriptum constitutionum et capitulorum generalium praedictorum ad obtinendos gradus, officia et exemptiones huiusmodi necessario praecedere debent, sive demum per alia indulta et gratias idipsum importantia contra praedictarum Innocentii praedecessoris literarum formam et dispositionem hactenus quomodolibet forsan acta, gesta seu attenta fuerunt, penitus et omnino nulla, inania, invalida, irrita nulliusque roboris et momenti esse et fore, eorumdem tenore praesentium declaramus. Et nihilominus ad maiorem cautelam et, quatenus opus sit, illa omnia et singula motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus harum serie revocamus, cassamus, irritamus, annullamus et abolemus viribusque et effectu penitus et omnino vacuis haberi debere decernimus et pariter declaramus, sine ullo tamen praeiudicio illorum fratrum, qui dictarum Innocentii praedecessoris literarum mentione facta earumque derogatione legitime obtenta sedis praefatae auctoritate promoti seu exempti quomodolibet reperiuntur. Decernentes pariter, easdem praesentes et praeinsertas literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari, nec de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis nostrae aut interesse habentium consensus aliove quolibet, etiam quantumvis formali ac individuam expressionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, redargui, in controversiam vocari seu ad terminos iuris reduci aut adversus illas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aliudve quodcumque iuris, facti vel gratiae remedium impetrari vel intentari seu impetrato aut etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus concesso vel emanato quempiam in iudicio vel extra illud uti seu se iuvare ullo modo umquam posse; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores ac cardinales et legatos necnon nuntios et alios praefatos, nunc et pro tempore existentes, sublata pariter eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandantes propterea dilectis filiis prioribus provincialibus provinciarum necnon vicariis congregatio-

num quarumvis dicti ordinis ubicumque existentibus in virtute sanctae obedientiae ac sub privationis officiorum per eos obtentorum perpetuaeque ad illa et alia quaelibet in posterum obtinenda inhabilitatis poenis, ut ipsas praesentes literas in suis quibusque provinciis et congregationibus respective quamprimum executioni demandari ac inviolabiliter observari illasque in proxime celebrando capitulo dictarum provinciarum et congregationum toto earumdem praesentium tenore in actis capituli huiusmodi ad perpetuam rei memoriam relato solemniter publicari curent et faciant. Non obstantibus praemissis ac, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque constitutionibus et ordinationibus apostolicis necnon omnibus et singulis illis, quae in praeinsertis Innocentii praedecessoris litteris concessa sunt, non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem praesentium litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in iudicio et extra illud habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud s. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 22. septembris 1695, pontificatus nostri anno quinto.

I. F. Albanus.

Quamvis ego infrascriptus, uti ordinis protector, praesenti generali capitulo de more praeesse debuerim, et ex adversae valetudinis causa id mihi non fuerit permissum, subrogato proinde per breve apostolicum loco mei eminentissimo et reverendissimo d. cardinali de Via, attamen eisdem actis capitularibus, uti ordinis et religionis praedictae protector, me subscribo.

G. card. Marescotti

Fr. Ignatius Hyacinthus Amat de Graveson, sacrae facultatis Parisiensis doctor et collegii Casanatensis theologus, ord. praed.

Fr. Aloysius Nicolaus Ridolfi, s. theol. magister ac collegii s. Thomae de Urbe exregens, ord. praed.

Fr. Dominicus Antoninus Giaconi, d. theol. magister et collegii Casanatensis theologus, ord. praed.

IMPRIMATUR

Fr. Albertus Lepidi Ord. Praed. S. P. A. Magister

---

IMPRIMATUR

Iosephus Ceppetelli Archiep. Myren. Vicesg.

## Monumenta Ordinis Fratrum Praedicatorum Historica.

---

Quorum monumentorum haec edita sunt:

*Tomus primus:* Fr. GERARDI DE FRACHETO, *Vitae Fratrum Ord. Praed.* ed. REICHERT 1896.

*Tomus secundus fasc. I.:* Fr. GALVAGNI DE LA FLAMMA, *Cronica Ordinis* ed. REICHERT 1897.

*Tomus tertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1220 ad annum 1303 ed. REICHERT 1898.

*Tomus quartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1304 ad 1378 ed. REICHERT 1899.

*Tomus quintus: Litterae Encyclicae magistrorum generalium Ord. Praed. sec. XIII. et XIV.* (appendix ad tomos III et IV) ed. REICHERT 1900.

*Tomus sextus fasc. I-II.: Raymundiana seu Documenta quae pertinent ad S. Raymundi de Pennaforti Vitam et Scripta* edd. BALME-PABAN-COLOMB 1898-1901 (fasc. III. sub prelo).

*Tomus octavus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1380 ad 1498 ed. REICHERT 1900.

*Tomus nonus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1501 ad 1553 ed. REICHERT 1901.

*Tomus decimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1558 ad 1600 ed. REICHERT 1901.

*Tomus undecimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1601 ad 1628 ed. REICHERT 1902.

*Tomus duodecimus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1629 ad 1656 ed. REICHERT 1902.

*Tomus decimustertius: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1670 ad 1721 ed. REICHERT 1903.

Sequentur:

*Tomus secundus fasc. II.:* Fr. SEBASTIANI DE OLMEDA *Cronica Ordinis* ed. IUSTUS CUERVO (sub prelo).

*Tomus septimus: Diversae Cronicae Ordinis* (sub prelo).

*Tomus decimusquartus: Acta capitulorum generalium Ord. Praed.* ab anno 1725-1844 (sub prelo).

THOMAS CANTIPRATANUS, *Liber qui dicitur Bonum universale de apibus* rec. REICHERT (tom. unicus).

*Fontes ad historiam reformationis Ordinis in Germania pertinentes* ed. REICHERT (tom. ca. tres).

*Vitae primarum sororum Colmariensium de Subtilia.*

ROMAE

IN DOMO GENERALITIA

10, via dicta «San Sebastiano», 10

